INSTITUTIONES
THEOLOGIÆ
DOGMATICÆ

AB

ILLUSTRI ADMODUM REVERENDO DOMINO

ANDREA POHL

IN TOTO ROSSIACO JMPERIO PRÆSBYTERORUM SÆCULARIUM CONGREGATIONIS MISSIONIS VISITATORE

CONSCRIPTÆ

ET

Ad usum, atque commodum Ecclesiasticorum Virorum

TYPIS IMPRESSÆ

TOMUS II.

VILNÆ IN LITVANIA
Ad Domum Congr: Miss: Montis SS. Salvatoris
Anno 1809.

ELENCHUS

Eorum, quæ in hoc opere continentur.

TRACTATUS DE SEPTEM ECCLESIÆ SACRAMENTIS.

TRACTATUS DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ & MISSÆ SACRIFICIO.

TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS, ET EXTREMÆ UNCTIONIS.

2

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

TRACTATUS DE PECCATIS ET PECCATORUM PÆNIS.

ARTICULUS 2dus *De pœnis peccatorum alterius vitæ.*

TRACTATUS

DE

SEPTEM ECCLESIÆ SACRAMENTIS.

CAPUT PRIMUM

De Sacramentis in genere.

ARTICULUS 1mus

De notione atque definitione Sacramenti.

Quæres 1mo: Quid nomine Sacramenti intelligendum sit?

Resp: Nomen *Sacramenti*, derivatur à Sacro, propter ordinem quem ad rem Sacram habet; quare profani Authores etiam pecuniam in loco Sacro repositam, *Sacramentum* vocabant. In Sacris Scripturis variè sumitur. 1mo: enim accipitur pro re latente & occulta, qualiscunque illa sit, sive sacra, sive profana. Sic Tobiæ cap: 12. *Sacramentum Regis abscondere, bonum est*: hoc est arcanum, secretum, Regis silentio præmere, laudabile est. 2do: pro re abscondita, occulta & simul sacra: sic ad Eph: cap: 1. dicit Apostolus, Deum voluisse nobis per Christum, *notum facere Sacramentum voluntatis suæ*. Et ibidem cap: 3. ait: datam sibi esse á Deo gratiam, *illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo*: ubi mundi ac omnium, quæ in Cœlis & in

terra sunt rerum reparationem, quæ per Christum facta est, atque Gentium ad fidem ipsius vocationem, Sacramentum, hoc est, rem occultam & absconditam nominat. 3tio: sumitur non tantum pro re abscondita & sacra, sed etiam pro signo rei Mysticæ ac Symbolicæ quemadmodum in Apocal: cap: 17. *Dicam tibi Sacramentum Mulieris:* id est rem, quæ per mulierem designatur. Sic quoque Paschalis agni immolatio, Sacramentum erat, seu signum & figura latentis rei, nempe Christi Domini in ara crucis immolandi. In hac postrema significatione, prout nempe Sacramentum rei Sacræ signum est, Sacramenti nomen Sancti Patres acceperunt; ut enim scribit S. Augustinus Epist: 138. ad Marcellinum: *Signa cum ad res Divinas pertinent, Sacramenta appellantur.*

Quœres 2do: Quid sit Sacramentum?

Resp: Catechismus Romanus parte 2da Nro: 11. Sacramentum docet esse, *rem sensibus subiectam, quæ ex Dei institutione, Sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Verum strictius & accuratius, quid sit Sacramentum, definiendo: *Sacramentum est signum sensibile, à Christo permanenter institutum, ad consecrandum exterius hominem Deo, & producendam in eo iustitiam & sanctitatem.*

Itaque Sacramentum 1mo: est signum sensibile rei sacræ & latentis; quia justitiam ac sanctitatem quam efficiunt ac producunt, ritu etiam sensibus subiecto, designant ac representant, quare cum illa analogiam quandam habent. Sic Baptismus per exteriorem corporis ablutionem, animæ munditiem, repræsentat atque designat. Ut enim inquit S. August: Epist: 98. ad Bonifacium: *Si Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent,* quia rationem signi non haberent.

2do: Est signum à Deo permanenter institutum. Solus namque Deus signis exterioribus gratiam annectere, atque vim eam producendi, ipsis conferre potest. Cumque pro bono Ecclesiæ & salute fidelium, Christus Sacramenta instituerit, & secundum ipsius prædictionem, Ecclesia usque ad finem mundi duratura sit, in qua semper erunt fideles salutem requirentes, permanenter igitur, hoc est: firma ac stabili lege, Sacramenta institui oportebat.

3tio: Est institutum ad consecrandum exterius hominem Deo: quia inquam Sacramenta certæ hominem religioni addicunt, atque Divino cultui specialiter de-

vo-

vovent.. Itaque per Baptismum, cæteraque Sacramenta, Christianæ Religioni addicimur, atque Divino cultui, quem ipsa præscribit mancipamur, ab infidelibus quoque discernimur, hocque modo exterius Deo consecramur.

4to: Tandem Divina institutione ordinatur ad efficiendam & producendam in homine iustitiam, ſanctitatemque. Et hoc est in Sacramentis præcipuum ac principale, atque per istud Sacramenta Novæ Legis, distinguuntur atque secernuntur à Sacramentis antiquæ legis. Sacramenta siquidem antiquæ legis, utpote infirma & egena elementa, gratiam per se non conferebant, sed eam tantummodo per Christum conferendam denotabant: Sacramenta vero Novæ legis, ſanctitatem & justitiam reipsa conferunt, ac in homine producunt.

Dices: Sacramenti definitio ut recta sit, omnibus Sacramentis convenire debet. Porro allata definitio non convenit Sacramento Matrimonii, in quo verba contrahentium, consensum eorum exprimentia, pro Materia huius Sacramenti statuuntur. Neque etiam ipsa convenire potest Sacramento Eucharistiæ. Nam in Sacramento Eucharistiæ, Corpus & Sanguis Christi, non sunt ſensibilia, species vero panis & vini non sunt quid reale & positivum, sed tantummodo apparens.

Resp: Omne Sacramentum dum conficitur, ritu externo maxime sensibili perficitur, qui latentem & occultam gratiam significat: in omni igitur Sacramento, est signum sensibile. Sic Sacramentum Matrimonii, manuum coniunctione quæ per Contrahentes fit, verborum pronuntiatione quibus consensum ſuum exprimunt, Sacerdotis benedictione, perficitur, quæ omnia sunt sensibilia. Sacramentum quoque Eucharistiæ panis & vini benedictione, verborum, quæ præscripta sunt, pronuntiatione, peragitur, quæ etiam omnia sensibilia sunt. Igitur omnia Sacramenta, quoniam ritu exteriori & maxime sensibili perficiuntur, atque unumquodque gratiam sibi annexam significat, iis omnibus competit, quod signa sensibilia sint.

Quæres 3tio: Quid moderni Hæretici sentiunt de allata Sacramenti definitione?

Resp: Allatam Sacramenti definitionem, omnes Catholici Theologi amplectuntur, quia Sacræ Scripturæ ac Sanctis Patribus conformis est. Verum illam moderni Hæretici respuunt, ex hac vel maxime ratione, quia Sacramentis à Christo institutis, omnem vim & efficaciam,

gratiam conferendi ac illam in homine producendi, inesse denegant: quare varias ipsi afferunt Sacramenti definitiones. Sociniani dicunt Sacramentum esse, *nudum ac simplex signum, quo Christianus á Judæo vel Gentili distinguitur.* Huic similis est definitio Sacramenti á Zwinglio tradita: cum Sacramentum esse dicitur: *Oppignoratio, qua se homines obligant Christo, eiusque religioni dant nomen.* Verum & signum crucis quod fronti frequenter imponimus, nos â Judæis, gentilibusque secernit, & publica fidei Christianæ profesſione, nos Christo obligamus, atque ipsius religioni mancipamur.. Si ergo valerent adductæ Sacramenti definitiones, tunc & signum Crucis, & publica fidei Christianæ profesſio, inter Sacramenta numerari deberent, quod tamen nemo hucusque somniavit.

Lutherani & Calvinistæ Sacramentum dicunt esse, *sigilum Divinarum promiſsionum* Cum enim Christus, omnibus credentibus, gratiam suam, iustitiam, sanctitatemque appromiserit; Sacramentis veluti sigillis suis, has promiſsiones obsignavit. Sacramentis itaque, veluti Divinarum promiſsionum sigillis, fides illarum in nobis excitatur, ac per fidem justificamur atque sanctificamur. Quapropter Sacramentum sic definiunt: *Signum sensibile Divinæ in nos benevolentiæ, instar sigilli Divinas nobi gratiæ factas obsignans promiſsiones.* Unde juxta communem Lutheranorum ac Calvinistarum errorem, Sacramenta, gratiam, iustitiam, ſanctitatemque non conferunt, sed solum Divinam in nos significant benevolentiam, qua nobis credentibus, gratiam, ſanctitatemque dare appromisit, fidem harum á Christo nobis factarum promiſsionum in nobis excitant, & hac mediante iustificamur & sanctificamur, nihil ad id conferentibus Sacramentis. Porro sola fide justificari hominem, falſiſsimum ac hæreticum est: atque si Sacramenta nihil amplius præstant, nisi quia fidem Divinarum promiſsionum in nobis excitant, tunc Baptismus parvulis collatus, non erit Sacramentum, quia in ipsis fidem, cuius sunt incapaces, excitare non valet: & Concio sive attenta Evangelii lectio, quibus magis, quam externis quibusvis ritibus, fides Divinarum promiſsionum excitatur, Sacramentis annumerari deberent; quod nemo admiserit.

Præterea, si valeret allata â Lutheranis atque Calvinistis Sacramenti definitio, Sacramenta erunt nonnisi nuda ac sterilia Divinæ in nos benevolentiæ signa, sine ulla

vi

vi atque efficacia, nullam in nobis ipsa gratiæ, sanctitatisque effectum operabuntur, Divinas nonnisi de conferendis credentibus gratiis, à Christo factas promiſsiones, obsignabunt. Porro dogma Catholicum, apertiſsime in Scripturis traditum est, Sacramenta gratiam interiorem, justitiam, ſanctitatemque nobis conferre. Sic Act: cap: 2. dicebat Petrus: *Baptisetur unusquisque vestrum, in nomine Jesu Christi, in remiſsionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.* Item Act: cap: 8. legitur: *Tunc imponebant manus super illos, & acipiebant Spiritum Sanctum.* In quibus, Baptismus, impositio manuum, disertiſsima causa remiſsionis peccatorum, atque accepti Spiritus Sancti statuitur. Itaque eroneæ Hæreticorum Sacramenti definitiones, reiici debent; sola illa, quam communiter Catholici Theologi tradunt, retinenda est.

ARTICULUS 2dus

De convenientia ac existentia Sacramentorum.

Quæres 1. An conveniens, Summoque Numine digna fuerit Sacramentorum institutio?

Resp: Priscis temporibus fuerunt Hæretici Ascodrupetæ, Archontici, Fraticelli, atque Pauliciani, qui omnem exteriorem Divinum cultum, flocci facientes, omnia Ecclesiæ Sacramenta, Mysteriaque, aspernabantur. Tales nunc etiam in Anglia reperiuntur, Quakeri vocitati, qui nec Baptismate suos tingunt, omnia Sacramenta, ritusque Sacros, veluti Judaica instituta refugiunt. Verum summe conveniens fuit, Summoque Numine maxime digna Sacramentorum institutio. Ut enim inquit S. August: lib: 19. contra Faustum cap: 11. *In nullum religionis nomen, sive verum, sive falsum, coagulari homines poſsunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligerentur, quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta Sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas.* Quamobrem cum Sacramenta sint veluti communis quædam teſsera, qua fideles á cæteris distinguuntur, atque sine iis pietas Christiana perfici nequeat; iure meritoque aſserimus, congruam fuiſse, Summoque Numine maxime dignam Sacramentorum in-

institutionem. Deus quippe utpote ſumme providus, media statuit ad consequendum finem opportuna, homini autem corpore non minus quam anima prædito convenit, ut per res sensibiles in rerum spiritualium notitiam perducatur. Unde S. Gregorius Nanzian: Orat: de Baptismo ait: *Medicamentum partim corporale, partim spirituale aptiſsime convenit in eos ægrotos, quorum natura corpore & spiritu continetur.* Præterea, nemo ignorat, sensibilium rerum intuitu, humanum genus à Deo defeciſse, quamobrem ad eius edomandam ſuperbiam opportunum erat, iisdem sensibilibus eum subiicere rebus, per quas aditum haberet ad Deum.

Obiicies 1mo: Rectus ordo ab ipsa natura constitutus postulat, ut res ignobiliores, vita & ratione carentes, excellentioribus, præditisque ratione subdantur. Quamobrem cum Sacramenta ex rebus sensibilibus conflata sint, homo autem ratione sit præditus, iis se subiicere non potest. *2do:* Cultus & veneratio quæ Sacramentis impenditur, affinis valde est craſso nonnullorum Gentilium errori, qui res sensibiles, ipsas terræ fruges, venerabantur. *3tio:* Gratia solius Dei opus est, non ergo indigemus Sacramentis.

Resp: ad 1mum: Rectus ordo postulat, ut creatæ res á voluntate Creatoris omnino dependeant. Cum autem Deus rebus sensibilibus veluti instrumentis ad gratiam ſuam conferendam uti voluerit, nihil hac in re inordinatum apparet. Sed neque nos rebus istis, prout sensibiles sunt, subdimur; sub hac enim ratione, quatenus sensibilia sunt, plenum in eas homo habet dominium, sed prout Divinarum rerum signacula sunt, atque Dei virtute ad gratiam producendam elevatæ, ipsis subiacemus.

Ad 2dum: Veneratio quam Sacramentis exhibemus, nihil habet commune cum errore gentilium, qui etiam terræ fruges collebant. Divinum siquidem cultum ipsis exhibebant, nos vero Sacramentis (Eucharistiam ob realem Christi Domini præsentiam excipiendo) latriæ cultum non impendimus, sed iis, per verbum Dei sanctificatis, congruam præstamus venerationem, atque res invisibiles præcipue in eis honoramus.

Ad 3tium: Deum omnium bonorum largitorem, omnisque gratiæ fontem, nos recognoscimus; nihilominus cum ipse donorum suorum arbiter sit, & quocunque ei placuerit modo, illa elargiri poſsit, nihil mirum, si ad gra-

tiam

tiam obtinendam, propter sapientiſsimos suos fines, voluerit homines uti Sacramentis a se institutis.

Quæres 2do: An in quolibet humani generis statu, Deus Sacramenta constituerit?

Resp: Quadruplex humani generis numeratur ac secernitur status. Scilicet: status *innocentiæ*, *naturæ*, *legis antiquæ*, ac tandem *legis novæ.*

Status *innocentiæ* is est, in quo primi Parentes nostri Adam & Eva creati sunt, gratia ſanctificante exornati, in Paradiso á Deo collocati fuerunt. Status *naturæ* ille dicitur, qui a lapsu Adæ in peccatum cæpit, & usque ad legem per Moysen à Deo Israelitis datam, perduravit. Istiusmodi status, *naturæ* dicitur, non quia ad recte vivendum hominibus tunc satis fuerit facere quod ordo naturæ præscribebat, quia absque Divinæ gratiæ auxilio, & aliqua in venturum Redemptorem implicita ſaltem fide, nemo etiam tunc salutem consequi poterat, sed quia nulla eo tempore promulgata fuerat hominibus lex scripta. Status *legis antiquæ*, is cæpit à lege per Moysen scripta, & à Deo populo Israelitico tradita, vel etiam, ut multis placet, à præcepto Abrahæ dato de circumcidendis masculis; & usque ad adventum Christi perduravit. Quoniam vero lege Moysaica, soli Israelitæ & eorum Proselitæ tenebantur, ita ii solum ad statum legis antiquæ pertinere dignoscuntur, cæteræ autem Gentes, ad statum naturæ referendæ sunt. Status demum *legis Novæ*, est status legis Evangelicæ à Christo traditæ.

Itaque 1mo: In statu innocentiæ nulla erant â Deo constituta Sacramenta, quia breviſsimo tempore perduravit, & maxima non peccandi facilitate homo pollebat. Verum quidem est, in eo integritatis statu, potuiſse Deum, si illi placitum fuiſset, Sacramenta instituere, non quidem ad remiſsionem peccatorum, quia tunc nulla erant, sed ad gratiam receptam vel conservandam vel augendam; sed quod Deus reipsa in illo statu Sacramenta instituerit, cum res puri facti sit, ex silentio Sacrarum literarum ac Sanctorum Patrum, concludimus, nulla tunc temporis instituta fuiſse Sacramenta.

Dices 1mo: Paulus ad Eph: cap: 5. Matrimonium, quod iam in statu innocentiæ, constitutum fuerat, vocat magnum Sacramentum, atque Christi cum Ecclesia unionem præfiguraſse docet. *2do:* S. Augustinus docet, lignum in Paradiso situatum, *non sine Mysteriis rerum spiritualium fuiſse.*

Resp:

Resp: ad 1mum: Matrimonium; ad Sacramenti dignitatem in Evangelica lege primum â Christo evectum fuit & in primitivo innocentiæ statu, ad solam humani generis propagationem à Deo institutum fuit; Christi autem cum Ecclesia unionem nonnisi secundario præsignabat: & Apostolus non dicit Matrimonium, magnum Sacramentum fuiſse, illud designando quod in paradiso institutum fuit; sed inquit de Matrimonio in præsenti statu legis Evangelicæ: *magnum est hoc Sacramentum*, & quidem *in Christo & in Ecclesia.*

Ad 2dum: S. Augustinus lignum vitæ comparat petræ, ex qua in deserto fluxerunt aquæ, atque in hac etiam Mysteria rerum spiritualium latuiſse docet. Porro cum petra veri nominis Sacramentum non fuerit, idem de ligno vitæ est affirmandum. In hoc ligno vitæ, fatemur cum Augustino fuiſse inspirationem salubritatis occultam, virtutemqué invisibilem ex dono Dei promanantem; verum cum hæc gratia, hæc virtus, hæc occulta salubritatis inspiratio, ad corpus pertineret, non ad gratiam animæ infundendam ordinabatur, in quo propria ratio Sacramenti consistit. Hinc secundum Augustini mentem, lignum vitæ verum fuiſse Sacramentum, minime arbitramur.

Quæres 3tio. In statu naturæ, fueruntne aliqua Sacramenta?

Resp: Theologorum pars maior & melior S. Augustini aliorumque Patrum authoritati innixa, docet, in statu naturæ quædam fuiſse Sacramenta, saltem pro Parvulis, ad originale peccatum delendum, à Deo instituta. Nam S. Augustinus libr: 5. contra Julianum cap: 11. scribit: *Nec credendum est, & ante datam circumcisionem famulos Dei, quando quidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eius, opitulatos fuiſse parvulis suis, quamvis quid illud eſset, Scriptura latere voluit.* Et vero, pie credendum est, Deum, qui providus & misericors est, primis Parentibus nostris in peccatum lapsis, subveniendo, Parvulis, qui propriæ voluntatis actu haud peccarunt, in statu naturæ positis, aliquod ad consequendam salutem remedium contuliſse. Hoc autem nullum aliud eſse potuit, quam signum aliquod sensibile, quo fides in venturum Redemptorem ad salutem neceſsaria Parvulis applicabatur, ac proinde Sacramentum erat. Pari modo supponendum est, etiam pro adultis in statu naturæ, pro expiatione peccatorum actualium, remedium aliquod à Deo ordinatum fuiſse. Quare S. Thomas 3. parte quæst:

70.

70. Art: 4. sic inquit: *Probabile est, quod Parentes fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo existentibus, aliquas prœces Deo funderent, vel aliquam benedictionem adhiberent, sicut adulti pro seipsis prœces & Sacrificia offerebant.* Certe cum in lege naturæ fuerint sacrificia pro peccatis, quemadmodum constat exemplis Job, Abrahæ, Melchisedech, erant quoque Sacramenta ad expianda peccata á Deo instituta atque usitata; aut etiam iidem ritus externi & Sacrificia efse poterant, prout ad Dei cultum ordinabantur, & habere rationem Sacramenti, prout ad peccatorum expiationem, sanctitatemque consequendam usurpabantur.

Dices: In lege naturæ, sola fide interiori, sine ullo sensibili signo, & originale peccatum in Parvulis, & actualia in adultis expiabantur: nulla ergo tunc erant Sacramenta.

Resp: In lege naturæ non sola interiori fide, sed fide visibili signo contestata, Parvulis, sive adultis applicata, peccata expiabantur. Ita docet S. Thomas in 4. Sent: dist: 1. quæst: 1. Art: 2. ubi sic inquit: *Dicendum, quod ante legem scriptam erant quædam Sacramenta necefsitatis, sicuti illud fidei Sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati & similiter pœnitentiæ quæ ordinabatur ad deletionem actualis.* Quemadmodum igitur interior fides in venturum Redemptorem, pænitentiæ, cordisque dolori coniuncta, signo aliquo visibili, præcibus aut sacrificiis contestata, actualia adultorum delebat peccata, ita quoque fides eadem interior Adultorum, Parentum maxime, signo aliquo visibili, oratione, benedictione, manifestata ac Parvulis applicata, peccatum delebat originale. Et certe, si in ipso Evangelicæ gratiæ statu, ad emundandos ab originali peccato infantes, exteriori Sacramenti signo opus est, nec sola interior Parentum fides iis potest subvenire; atque etiam congruentifsimum judicavit Salvator noster, ad expianda Adultorum actualia peccata, remedium quoddam Sacramentale designare, quidni id etiam in lege naturæ à Deo constitutum fuifse affirmemus.

Quæres 4to: Utrum in Veteri Lege scripta, fuerint Sacramenta?

Resp: In veteri lege scripta, fuifse à Deo instituta Sacramenta, res est omnibus exploratifsima. Enim vero non decebat ut populus Israeliticus, à Deo specialiter dillectus, careret salutis remediis, quæ in lege naturæ non de-

defuerant. Porro duo nonnisi aliqui in antiqua lege statuunt Sacramenta, Circumcisionem videlicet & Agnum Paschalem. Verum unanimi cæterorum Theologorum consensu, Sacramentis Veteris Legis accenseri debent, Sacerdotum inaugurationes, pluresque pro peccatis expiationes, inter omnia autem antiquæ legis Sacramenta, eminet Circumcisio, primumque tenet locum.

Quæres 5to: Utrum in Nova etiam lege sint Sacramenta?

Resp: In nova lege sunt quoque Sacramenta à Christo instituta, illaque septem numero, nec plura, nec pauciora.

Probatur 1mo: Tot sunt Sacramenta, quot sunt ritus Sacri à Christo permanenter instituti, quibus annexa est Divina gratia. Porro ex Scriptura Sacra satis luculenter patet, septem esse Sacros ritus permanenter à Christo institutos, quibus annexa est gratia. Sic *Marci C. ult*: exteriori lavacro annectitur, salus, *Act: C. 8.* per manuum impositionem confertur Spiritus S. *Math: C: 23.* & *Joan: C. 6.* qui pie manducat Carnem Christi, vitam æternam habere dicitur. *Joan: C. 20.* Apostolis traditur potestas remitendi peccata. In *Epist: Jacobi C. 5to*: per orationem & unctionem, infirmis remitti peccata asseritur. *1ma, ad Timoth: C. 4.* impositioni manuum Præsbyterij, gratia annectitur. Tandem *Math: C. 19.* & *ad Ephes: C. 5.* Matrimonium ad magni Sacramenti rationem elevatur. Septem igitur sunt à Christo in nova Lege instituta Sacramenta. Et certe à temporibus Apostolorum, omnes qui Christo nomen dabant, Baptisabantur in remissionem peccatorum, & Sacro fonte ablutis, ut Spiritum Sanctum reciperent, manus imponebantur, ex quibus Sacramenta Baptismatis & Confirmationis demonstrantur. Neque Novatiano Hæretico fuisset à SS, Patribus, obiectum, illum perfectionem Baptismatis haud recepisse, si non putassent manuum impositione, frontisque Chrismatione, distinctam á Baptismate gratiam conferri. Deinde, quod Christus in ultima Cæna celebrando instituit, & Discipulis repetere in sui commemorationem mandavit, statim post illius in Cælum ascensionem, frequentatum est in Sacris conventibus; erant enim omnes perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus. Ex doctrina quoque Apostolorum, iam tunc notum erat, quod qui panem hunc manducaverit, vel calicem Domini biberit indigne; judicium sibi mandu-

ducare & bibere, atque reum eſse Corporis & Sanguinis Christi: quibus Eucharistiæ Sacramentum designatur. Pænitentiæ vero Sacramentum, ex eo percipimus, quod fideles semper crediderint, Sacerdotes habere à Christo dattam sibi remittendi peccata potestatem, eiq; reipsa remiſsa eſse peccata, qui eadem Sacerdoti confeſsus, ipsius absolutionem obtinuiſset. Nemo autem unquam absolvit, aut Eucharistiam consecravit, qui ab Episcopo non fuisset legitime ordinatus; quare ex mandato Pauli á Tito ejus discipulo constituuntur Præsbyteri, atque per manuum impositionem gratia illis conferebatur, potestasq; Sacerdotalia munia exercendi, concedebatur; atque hoc modo delineatum habemus Ordinis Sacramentum. Postremo Infirmorum inunctionem, ab ipsis Apostolis fuisse practicatam. Matrimonium consensu Ecclesiæ, & Sacerdotis benedictione fuiſse contractum, atque gratiam sive per extremam unctionem sive per Matrimonium recipi, omnibus persvasum fuit, & sic semper in Ecclesia creditum est. Si ergo Sacris Scripturis, continua Ecclesiæ, quæ ab ipsis Apostolis cæpit adjungatur praxis, usus, sensusque communis, certiſsimum apparet septem eſse Sacramenta. Merito itaque scripserit Augustinus *libr: 4to:* de Baptismo *C. 24. Quod universa tenet Ecclesia, nec à Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum, rectiſsime creditur.* Jam vero universa Ecclesia Latina & Græca, septem à Christo instituta credit Sacramenta, nullum eorum à quopiam Concilio institutum fuit. Igitur septem eſse Sacramenta, traditionis Apostolicæ est. Sane septem Sacramenta semper in usu atque continua praxi tam apud Latinos, quam apud Græcos fuiſse, apertiſsime evincitur ex Ritualibus atque Euchologijs, in quibus ritus, præces, in illorum administratione usurpari soliti, describuntur. Tandem perpetua totius Ecclesiæ fides, septem eſse Sacramenta, inde aperte declaratur, quod cum nonnulli aliqua Sacramenta aut negabant aut contemnebant, in eos undique insurgebant Patres, illosque tanquam Hæreticos damnavit Ecclesia. Sic contigit Novatianis, qui Confirmationem respuebant: Manischeis, qui de Matrimonio male sentiebant. Montanistis, qui Pænitentiam gravioribus peccatoribus denegabant: quod etiam posteriobus aliis Hæreticis, facere consveverat Ecclesia.

2do: Septem esse à Christo in Nova lege instituta Sacramenta, evincitur ex SS. Patribus, qui prout exigebat ne-

necefsitas, nunc hujus, nunc alterius Sacramenti meminere, sive fideles de illis instruendo, sive illa ab Hæreticorum obtrectationibus atque Gentilium cavillationibus defendendo, adeo ut nullum sit Sacramentum ex iis, quæ Ecclesia Catholica veneratur, quod multorum Patrum Scriptorumq; Ecclesiasticorum testimonio, authoritateque non confirmetur: & id manifestifsimum fiet de singulis in particulari Sacramentis pertractando. Quare merito feptem efse à Christo Jesu instituta Sacramenta definivit primo Concilium Florentinum fub Eugenio 4to Romano Pontifice Anno 1439 celebratum in Decreto unionis, in quo hæc habentur: *Novæ legis feptem funt Sacramenta, videlicet: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pænitentia, Extremo unctio, Ordo & Matrimonium.* Expost Concilium Tridentinum *fefs: 7ma Can: 1mo:* idem decrevit hunc in modum: *Si quis dixerit facramenta Novæ legis non fuifse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut efse plura vel pauciora quam feptem, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium, aut etiam aliquod horum feptem, non efse vere & proprie Sacramentum, anathema sit.*

Obijcies 1mo: Nullibi in Sacris Scripturis legimus, feptem efse à Christo instituta Sacramenta. Nullus quoque ex SS. Patribus docuit, nec plura nec pauciora efse quam feptem Sacramenta: unde non nisi Hugonis & Lombardi temporibus, qui Sæculo 12mo floruerunt, feptenarius Sacramentorum numerus est inventus. *2do*: Græci quoque ante Sæculum decimum, septenarium numerum Sacramentorum ignorarunt & nonnisi Latinis Constantinopoli dominantibus, illum didicerunt, ac tandem in Concilio Florentino ipsis obtrusus est. *3tio.* Præterea multi ex Græcis, inter Sacramenta numerant, professionem Monasticam veluti Theodorus Studita, Jobius Monachus & Symeon Thesalonicensis. Ex Latinis vero, Ambrosius, Bernardus, lotionem pedum in Ecclesia usurpari folitam, Sacramentum efse arbitrati sunt.

Resp: ad 1mum: Quod in Sacris Scripturis non invenitur totidem verbis exprefsum feptem efse Sacramenta, id Catholico Dogmati minime nocet. Non enim desunt nobis ex Sacris Scripturis luculentifsima testimonia, quibus innixi feptem recognoscimus Sacramenta, quemadmodum de singulis agendo, ostendemus. Quodsi etiam id nobis deefset, ad id firmiter credendum fufficeret nobis totius Ecele-

clesiæ constantifsima traditio, usus universalis atque praxis, ut enim inquit Tertulianus: *Quod apud omnes unum invenitur, non est erratum sed traditum.* Porro septenarius numerus Sacramentorum, non tantum apud Latinos, verum etiam apud Græcos, aliasque Orientalium Sectas, Melchitas, Maronitas, Nestorianos, Jacobitas, viget, semperque viguit. Pariter, quod veteres Patres expresſsis verbis non dixerint septem eſse Sacramenta, id quoque fidei nostræ non obstat, quia licet de singulis peculiares tractatus non ediderint, quemadmodum à recentioribus fieri consveverat, verum singula quæ nos Sacramenta eſse profitemur, & ipsi pro veris Sacramentis agnoverant, & in suis scriptis tradiderunt. Quare unumquodque Sacramentum, quæ Ecclesia Catholica recognoscit, illorum authoritate, adductis bene multis testimoonijs, comprobabimus ac vindicabimus. Falsum vero omnino est, nonnisi temporibus Hugonis & Lombardi septenarium Sacramentorum numerum, invectum fuiſse. Nam Paschasius Radbertus qui sæculo nono floruit, libro 4to in lamentationes Jeremiæ; panes septem, quibus Christus quatuor virorum millia saturavit, signa & figuras Sacramentorum novæ legis fuiſse diserte scribit, & septem panibus, septem Sacramenta respondere docet. Certe sæculo 12mo, quo floruerunt Hugo Victorinus & Lombardus Magister sententiarum, septem eſse novæ legis Sacramenta, res erat in Ecclesia pervagatiſsima. Nam Lucius 3tius Papa, qui Pontificatum Romanum cæpit Anno 1181. de Baptismo, Pænitentia, Matrimonio, ac reliquis septem Sacramentis, emisit Decretalem *ad Abolendam*: libr: 5. Decr: Greg: tit: 7mo C. 9. positam. Non itaque ab Hugone, aut Lombardo sæculo 12mo, adinventus ac introductus est septenarius numerus Sacramentorum, sed ex pervulgata, atque antiquiſsima traditione, septem eſse novæ legis Sacramenta, docuerunt.

Ad 2dum: Græci omnes ante sæculum decimum, & longe prius antequam Concilium Florentinum celebraretur, septem novæ legis Sacramenta confitebantur. Namq; Photius quamvis à Romana Ecclesia separatus, *in Biblioth: Cod: 222.* præter Baptismum & Eucharistiam, alia Sacramenta commemorat, atque ex Jobio Monacho septem illa eſse ostendit. Simeon quoque Theſsalonicensis, qui ante Concilium Florentinum scripserat, septem agnoscit Sacramenta, & multis de illis pertractat. Neque Armenis septenarius Sacramentorum numerus in Concilio

lio Florentino obtrusus est. Nam Varstanus, qui duobus ferme sæculis ante Concilium Florentinum vixit, in monitis ad Armenos *C. 6to.* sic inquit: *ſeptem Ecclesiæ Sacramenta iugiter exercemus, Christianismus enim in septem Ecclesiæ Sacramentis innititur.* Pro faciliori itaque Armenorum doctrina, atque ut Ecclesiæ Romanæ, cum qua unionem sanciebant, disciplinam reciperent, retinerentque, tradita est ipsis ab Eugenio Papa de septem Sacramentis, quæ ipsi semper profitebantur, instructio.

Et certe, septenarium Sacramentorum numerum posterioribus sæculis, vel Latini primum invexerunt, vel Græci. Si Latini, tunc Græci novitatem Latinis obiecisſent. Si Græci, tunc antiquam Ecclesiæ fidem, praximque defendiſsent Latini. Porro nihil horum contigit, imo cum Latini & Græci, ac omnes Orientales sectæ, Nestoriani, Eutychiani, ab utraque Ecclesia sejunctæ, septenarium Sacramentorum numerum semper tenuerint, ac modo constanter retineant, ut ex eorum antiquiſsimis, æque ac recentioribus Euchologijs, Ritualibus, in dubitatum efficitur, consequens est, ante sæculum decimum, duodecimumque, Græcos & Latinos ex antiquiſsimis temporibus, septem Sacramenta agnoviſse atque crediſiſse.

Ad 3tium: Monasticam proffeſsionem, quidam ex Græcis inter Sacramenta numerant, non quia ipsa per se Sacramentum sit, sed quia illam ad Pænitentiæ Sacramentum referunt; scilicet, vota Monastica pænientiæ statum præseferunt, & quisquis in eo statu vivit, per opera pænitentiæ sese emundat, purgatque à peccatis. Lotio pedum in aliquibus Ecclesijs, Bapsismum immediate antecedebat, atque veluti præparatio ad ipsum reputabatur, unde eadem die, quo Cathechumeni baptisabantur, pedes illorum abluebantur. Id in Hispanijs fieri Concilium Eliberitanum prohibuit. In Ecclesia Africana, pedes Catechumenorum, non eo ipso die, quo Baptisantur abluebantur, sed die Cænæ Domini. Porro hic ritus lavandi pedes Baptisandorum in Ecclesia Romana non erat in usu, sed alia observabatur ablutio pedum, qua, die Cænæ Domini Summus Pontifex, pauperum pedes abluebat, idque fiebat humilitatis exercendæ causa, ad exemplum Christi imitandum.

De ablutione Baptisandorum, multa locuti sunt Patres, maxime SS. Ambrosius, Bernardus, atque Sacramentum illam vocitarunt, remiſsionemque peccatorum ipsi aſseruerunt. Verum istiusmodi lotionem, Sacramentum

eſse

eſse dicunt, latiori sensu, quatenus interiorem humilitatem significat. Remiſsio etiam peccatorum ipsi à prædictis Patribus tribuitur, sed peccatorum quotidianorum, sine quibus vita humana eſse nequit. Et hæc non ipsi exteriori lotioni, verum interiori humilitati, quæ per illam significatur atque exercetur, adiudicant. Quare lotio pedum, non verum Sacramentum eſse cenſebatur, sed inter sacramentalia reponebatur, quia non vi ac efficatia sua, ſed ex interna agentis operantisquê diſpoſitione, peccata quotidiana remittebat, ac propterea sanctitatem adaugebat.

Sed dices. Chriſtus aliorum lavare pedes præcepit, atque Petro comminatus eſt: *si non lavero te, non habebis partem mecum.* Est ergo veri nominis Sacramentum.

Resp: Eximium humilitatis ſuæ exemplum Chriſtus Diſcipulis suis præbendo, præcepit ut illud imitarentur, dicens: *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*: non ipsam lotionem pedum, ſed humilitatis exercitium illis demandando. Pertinacem etiam voluntati suæ reſiſtentiam, in Petro increpavit. *si non lavero te, non habebis partem mecum*: non propterea id comminando Petro si non laverit ipsi pedes, quoniam totus mundus erat, sed si ulterius voluntati ipsius obsistere pergeret. Quare & Christi præceptum non ad exteriorem pedum lotionem, sed ad humilitatis exercitium ordinatur, & facta Petro comminatio, non lotionis pedum omissionem, sed pertinacem voluntati Divinæ resistentiam respicit. Cum itaque lotio pedum, nec omnino à Christo præcepta fuerit, sed tantum ad humilitatis exercitium commendata, nec ipsi gratia annexa fuerit, verum ac proprium Sacramentum non est. Certe, quodlibet Sacramentum, pro omnibus & pro semper à Christo institutum fuit. Porro lotio pedum iam Augustini temporibus, intermiſsa fuit, & nunc semel nonnisi in Anno, duodecim pauperibus exhibetur. Unde S. Augusti. *Epist: 55. ad Januarium*, sic scribit: *De lavandis pedibus, cum Dominus hoc propter formam humilitatis, commendaverit, ne ad ipsum Sacramentum Baptismi videretur pertinere, multi hoc in consvetudinem recipere noluerunt, nonnulli etiam de consvetudine auferre non dubitaverunt.*

Quæres 6to: Utrum Ecclesia Orientalis, semper crediderit, & hucusque credat, septem eſse à Jesu Christo instituta Sacramenta?

Resp:

Resp: Ecclesia orientalis constanter semper credidit, & modo profitetur, septem eſse à Jesu Christo instituta Sacramenta. Et hujus rei firmiſsimum habemus argumentum ex Euchologiis Græcorum, in quibus omnium Sacramentorum ritus descripti inveniuntur. Unde cum anno 1576. Lutheri sectatores Wittenbergenses, Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitano, ut ad suas eum traherent partes, confeſsionem suam Augustanam misissent, ille rei novitate perculsus, Ecclesiam Græcam septem Sacramenta admittere, atque ſemper retinuiſse, respondit. Et quamquam *Cyrillus* Lucar, Hieremiæ in Patriarchatu Constantinopolitano succeſsor, homo Heterodoxis addictiſsimus, edidit Confeſsionem, cujus Cap: 15to. Græcos duo tantum credere Sacramenta; eaque nonnisi Divinarum promiſsionum eſse sigilla affirmavit, at confeſsionem illam, ejus nomine apud Græcos divulgatam, jurejurando suam eſse ipse negavit, & Græci accito Careſsio viro docto, antiquam fidem ejus opera defenderunt, cujus vestigia preſsit Gregorius Protosyncelus, ejus discipulus. Occiso autem Ottomaniæ Porte juſsu Cyrillo Lucar, collegit Synodum Cyrillus Berroænsis, in qua anathema dictum est Lucario neganti, ex Christi institutione, & Apostolorum traditione septem eſse Ecclesiæ Sacramenta. In primaria non minus Moldaviæ Civitate, Jaſsi dicta, Concilium fuit convocatum, in quo etiam Lucaris nomine edita confeſsio, fuit condemnata. Et hæc omnia rata habita fuerunt, & approbata in Synodo Constantinopolitana sub Parthenio Seniore anno 1642. celebrata. Orientales quoque qui ritus Græci sunt, paruntque Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, Melchitæ etiam, & Maronitæ, eamdem retinent de septem Ecclesiæ Sacramentis fidem. Tandem in Nestorianorum, Eutychianorum Euchologiis de singulis Sacramentis frequenter recurrit sermo, eamdemque cum Græcis habent in hisce administrandis disciplinam, ex quo consequitur illos una cum Græcis septem profiteri Sacramenta. Hoc quoque confirmatur ex nobiliſsimis Ecclesiæ Græcæ, ac ceterorum Orientalium Scriptoribus, Simone Theſsalonicensi, Gabriele Philadelphiensi, Severo Barsalibi, Michaele Patriarcha Antiocheno, & ceteris. Ex quibus manifeste apparet, Ecclesiam Græcam, ac alias Orientales, qui ab ipsa in multis fidei articulis diſsident, in recognoscendis septem Sacramentis, convenire, ac concordare.

Quæ-

Quæres 7mo: Moderni ergo Hæretici quot Sacramenta recognoscunt?

Resp: Quamquam Lutherus & Calvinus in determinando Sacramentorum numero constantes non fuerint; sed suam doctrinam hoc in puncto frequenter immutarint, modo unum, Baptismum scilicet, modo duo, Baptismum & Eucharistiam, modo tria & quatuor admittendo Baptismum videlicet Eucharistiam, Pænitentiam & Ordinem. Sed recentiores Lutherani ac Calvinistæ duo nonnisi agnoscunt Sacramenta, Baptismum videlicet & Eucharistiam; quorum error clarissimis Sacræ Scripturæ testimoniis revincitur, quemadmodum de singulis in specie tractando Sacramentis, demonstrabimus. Cumque Lutherani ac Calvinistæ id se tantum credere protestantur, quod in Sacris Scripturis clare positum est, nullibi vero duo tantummodo esse Sacramenta scriptum reperimus, eorum de duobus tantum constituendis Sacramentis opinio, nullo innititur fundamento; plura ergo necesse est ut admittant Sacramenta, septem scilicet, prout semper ac ubique tenuit, tenetque Catholica Ecclesia.

Objicies 1mo: Joan. C. 9. dicitur: *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua:* Unde Ss. Joannes Chrysostomus, Cyryllus & Augustinus, Sacramenta de Christi latere effluxisse aiunt, atque de Eucharistia solummodo, & de Baptismo sermonem instituunt. *2do:* Justinus Martyr, & Tertulianus, duo nonnisi Sacramenta commemorant, Baptismum & Eucharistiam. Non ergo plura, quam duo admittenda sunt Sacramenta.

Resp: ad 1mum: Ss. Patres cum é latere Christi Sacramenta profluxisse affirmant, per hoc volunt ipsi, Sacramenta omnia suam vim & efficaciam ex Christi passione traxisse. Baptismum autem et Eucharistiam ideo statim commemorant, quia præcipua sunt Ecclesiæ Sacramenta, & aqua ac sanguis quæ é latere Christi effluxerunt, maiorem habent præ cæteris cum Baptismo & Eucharistia analogiam, cætera tamen Sacramenta neque excludunt, neque negant, sed alibi illa profitentur & tradunt.

Ad 2dum: Quoniam primis Ecclesiæ sæculis, adversus Baptismi & Eucharistiæ Sacramenta, gentiles impias Christianis consvetudines objiciebant, Hæretici quoque illa depravabant; ideo Justinus ac Tertulianus in suis Apologiis, quas pro Christiana Religione contra Gentiles conscripse-

scripserant, atque in scriptis, quæ contra Hæreticos exararunt, de his tantummodo Sacramentis sermonem instituerunt, illaque à calumniis gentilium, atque depravatione Hæreticorum vindicarunt.

Quæres 8vo: Utrum omnia Sacramenta æqualis sint dignitatis?

Resp: Concilium Tridentinum *Sess: 7ma Can: 3tio* sic statuit. *Si quis dixerit hæc septem Sacramenta, ita esse inter se paria, ut nulla ratione, aliud sit alio dignius, anathema sit.* Et sane, Eucharistia, in qua Corpus & Saugnis Christi continetur, præ cæteris nobilius est, ac excellentius Sacramentum.

CAPUT SECUNDUM

De Authore & Ministro Sacramentorum.

ARTICULUS 1mus

De Authore Sacramentorum.

Quæres 1mo: Quis Sacramenta novæ legis instituit?

Resp: Ipse Christus omnia novæ legis Sacramenta instituit. Et id Concilium Tridentinum definivit *Sess: 7. Can: 1mo: Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Dno Nostro instituta, anathema sit.* Certe si quod Sacramentum ab ipso Christo non fuisset institutum, illud profecto esset Extremæ unctionis Sacramentum, quia illud unus Jacobus Apostolus in sua Epistola memoravit, at & istud Sacramentum á Christo fuisse institutum, docet Tridentina Synodus. *Sess: 14. Can. 1. Si quis dixerit Extremam Unctionem, non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, & á Beato Jacobo promulgatum, anathema sit.* Igitur Extremæ Unctionis Jacobus Apostolus non institutor sed promulgator fuit. Omnia itaque Sacramenta novæ legis Christus ipse instituit, estque illorum Author.

Et hoc conforme est Sacris Literis, ac cum illis optime cohæret: Namque in Sacris Scripturis Apostoli ipsi non Sacramentorum institutores, sed tantummodo Ministros & Dispensatores se nuncupant. Paulus enim Apostolus *Epist: 1ma ad Corinth: C. 4.* inquit. *Sic nos existimet*

stimet homo ut *Ministros Christi & dispensatores Mysteriorum Dei.* Certe, si Sacramenta Veteris Legis, quæ typi tantum erant & Figuræ Sacramentorum Novæ Legis, ipsum Deum Authorem habuerant, nullum esse poterit dubium, quin Novæ legis Sacramenta, maioris longe dignitatis & æfficatiæ, non ab Apostolis, non ab Ecclesia, sed ab ipsomet Christo Dno instituta fuerint

Præterea, indubitatum est Ecclesiam á Christo fuisse institutam, uec non illa omnia quæ in lege nova præcipua sunt, & veluti ejusdem fundamenta, Eum constituisse. Porro Sacramenta præstantissima sunt in Lege Nova, atque ex his Ecclesia quodammodo ædificatur, illa ergo Christus ipse instituit. His accedit Christum post resurectionem suam quadraginta dierum spatio Apostolis apparuisse, atque, ut *Act: C. 1.* dicitur, de regno Dei, nempe de iis quæ ad Ecclesiam pertinent, fuisse locutum. Quamobrem cum Sacramenta sint veluti Ecclesiæ bases ac fundamenta, de iis, suos Apostolos ipsum edocuisse, non est ambigendum. Unde præclare inquit *S. Leo de Ascensione Domini.* Non ergo ij dies qui inter Resurectionem Domini, Ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu, sed magna in his confirmata Sacramenta, magna sunt revelata Mysteria.

Postremo, unde virtus est, meritum, & efficacia Sacramentorum, inde eorum repetenda est institutio. Jam vero virtus, meritum, efficacia Sacramentorum, á Christo & ejus latere, ut docent Ss. Patres, profluxerunt, quamobrem ab ipso instituta sunt.

Obijcies 1mo: Joan: C. 20. dicit Christus Apostolis: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* Quodsi ergo Christus habuit potestatem instituendi Sacramenta, hæc Apostolis non est deneganda. *2do:* Paulus *Epist: 2. ad Corinth: C. 2.* inquit: *Ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi.* Quamobrem cum Apostoli vicem Christi gerant, poterant & ipsi Sacramenta instituere.

Resp: ad 1mum: Ad Sacramenti institutionem Divina requiritur Auctoritas, gratiam enim conferre solius Dei est. Porro cum potestas hæc Apostolis inesse nequeat, hinc consequitur illos Sacramenta haud istituere potuisse. Verba autem Christi, *Joan: C. 20.* Apostolis dicta, nihil aliud innuunt, quam hoc, quod sicuti Christus ad hominum salutem missus fuit in mundum, ita Apostoli in eumdem finem â Christo mittebantur. Verum

parem in Apostolis atque in Christo agnoscere potestatem, desipere est.

Ad 2dum: Apostoli in Regimine Ecclesiæ â Christo constitutæ, vices ejus gesſisſe Paulus docet; & quemadmodum Apostoli aliam fundare non poterant Ecclesiam, ita neque alia poterant instituere Sacramenta, quam quæ Christus, veluti fundamenta Ecclesiæ suæ, constituit.

Dices: Hugo Victorinus & Magister sententiarum arbitrati sunt, Extremam unctionem haud fuiſse â Christo institutam, sed à S. Jacobo Apostolo. Alexander quoque Alensis & S. Bonaventura docuerunt, Sacramentum Confirmationis in Concilio Meldensi Anno 847. celebrato initium accepisse.

Resp: Hæc istorum Scriptorum sententia, iam obsoleta est, neque temeritatis effugeret notam, qui illam defenderet. Præterea, nullo satis valido isti Doctores initabantur fundamento. Jacobus siquidem Apostolus Extremam Unctionem non instituit, sed opportunam de illa doctrinam tradit. In Concilio autem Meldensi, non tanquam res nova Confirmationis proponitur Sacramentum, sed de inunctione Chrismatis, eiusque consecratione sermo instituitur.

Quæres 2do: Quomodo Christus omnia Sacramenta instituit, immediate an tantum mediate?

Resp: Sacramenta omnia immediate Christus instituiſse dicitur, si omnia per seipsum ordinavit ac constituit. Mediate vero tantummodo illa instituiſse censendus est, si Apostolis suis de iis instituendis, ordinandisque præceperit, illosque ut ipsa constituerent, ordinarentque inspiraverit. Sic Baptismi Sacramentum immediate Christus instituit, quia per seipsum Apostolis mandavit ut omnes Baptiſsarent, formamque ad id præscripsit, præcipiendo ut in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti Baptisarent. Mediate vero tantummodo Christus Diaconatum instituit, quia scilicet ipso mandante atque inspirante, non vero proprio suo arbitratu, Apostoli Diaconos constituerant.

Fide Catholica certum est, nonnulla Sacramenta, videlicet Baptismum, Eucharistiam, Pænitentiam, Christum immediate instituiſse, quia ipse per semetipsum ordinavit, ac constituit, ut apertiſsime in ſacris Scripturis legimus. Utrum vero & reliqua Sacramenta, scilicet: Confirmationem, Ordinem, Matrimonium, atque Extremam Unctionem immediate Christus instituerit, id quidem cer-

tissimum

tissimum atque indubitatum est, ut ex mox allatis probationibus apparet, & SS. Patres per duodecim sæcula constanter docuerunt, ipsum Christum Sacramentorum Auctorem esse, nullibi vero insinuarunt, à Christo Apostolis concessam fuisse instituendi Sacramenta, potestatem: quare vix effugeret temeritatis notam, qui contrarium sentiret ac defenderet. Verum quia in Concilio Tridentino simpliciter definitum fuit, omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta fuisse Sacramenta, & non expressum, *mediate an immediate*, ideoque quanquam certissimum sit, & unanimiter ab omnibus nunc docetur ac defenditur, Christum immediate omnia ac singula Sacramenta instituisse, id tamen Dogma fidei non est.

Dices: Concilium Tridentinum expresse definivit omnia Sacramenta à Jesu Christo fuisse instituta. Porro in usu communi, â quo Tridentina Synodus certe non recessit, illud quis instituisse dicitur, quod per se ipsum instituit. Concilium itaque Tridentinum definivit, Christum per seipsum, ac proinde immediate omnia Sacramenta instituisse.

Resp: Concilium Tridentinum in eo unice allaborabat, ut Hæreticorum errores dignosceret, diiudicaret atque damnaret. Porro illorum temporum Hæretici, Lutherani, Zwingliani, Calvinistæ, cum nonnisi duo Sacramenta admitterent, Baptismum & Eucharistiam, cætera vero, Confirmationem, Ordinem, Matrimonium ac Extremam Unctionem, blasphemo ore affirmabant esse otiosas Cæremonias, â Diabolo introductas, mendacia & inposturas, deliramenta, Sacramenta fictitia, ab hominibus adinventa. Hos blasphemos errores, Concilium Tridentinum damnare intendens, definivit omnia Sacramenta â Jesu Christo Domino nostro instituta fuisse; de industria vero à vocibus *mediate*, *immediate*, abstinuit. Igitur, utrum omnia Sacramenta sint á Christo *mediate*, vel *immediate* instituta, hoc non est definitum.

Quæres 3tio: *Quis est Sacramentorum Minister?*

Resp: Homines in corpore viventes, suorum Sacramentorum Ministros Christus constituit: quare solus homo viator, secundum legem Christi ordinariam, est Minister Sacramentorum. Enimvero, solis hominibus dictum est: *Euntes docete omnes gentes Baptisantes eos .....* solis hominibus dictum est: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis....* solis hominibus in ultima Cæna dixit Christus: *Hoc facite in meam commemorationem.* Unde

Apo-

Apostolus Paulus Epist: ad Hæbr: cap: 5. inquit: *Omnis Pontifex ex hominibus afsumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* In omnibus itaque quæ sunt ad Deum, atque à Deo pro hominibus ordinata, Ministri homines mortales afsumuntur; & quemadmodum soli homines Sacrificia pro peccatis Deo offerunt, ita etiam soli homines, hominibus à Deo conferrunt Sacramenta. Quare S. Joannes Chrysost: *libro 3. de Sacerdotio:* sic inquit: *Qui terram incolunt, potestatem acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis, dedit Deus, neque enim illis dictum est: quæcunque ligaveritis....*

Verum administrandorum Sacramentorum Ministerium, non ita Christus hominibus alligavit, quin, si ipsi libitum fuerit, aliis etiam illud communicare potuerit. Quapropter extra consvetum ordinem potuit Deus Angelis largiri facultatem administrandorum Sacramentorum: & reipsa Angelos bonos non semel Sacramenta administrafse, in historia Ecclesiastica legimus. Sed cum mali Angeli semper Spiritus mendaces sint, nunquam supponendum est, ab illis verum Sacramentum collatum fuifse. Hanc doctrinam tradit Angelicus Doctor *part: 3. quæst: 64. Art: 7.* ubi sic inquit: *Sciendum, quod sicut Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin pofsit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre; ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ Ministris, quin etiam Angelis pofsit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis: & quia boni Angeli nuncii sunt veritatis, si aliquod Sacramentale Ministerium à bonis Angelis perficeretur, efset ratum habendum, quia deberet constare; hoc fieri virtute Divina. Si vero Dæmones, qui sunt spiritus mendacii, aliquod Sacramentale Ministerium exhiberent, non efset ratum habendum.*

Quæres 4to: Utrum omnia Sacramenta, quilibet homo conficere, ac ministrare pofsit?

Resp: Lutherus, ac ipsius sequaces docent: *Verbi Divini Ministerium*, seu prædicationem, *efse commune omnibus Christianis, sicut & Sacerdotium & Sacrificium:* ac proinde affirmant, Sacerdotem non ordinari, sed creari, & in Baptismo nasci. Quare omnibus Christianis, verbum Divinum prædicandi, Sacramenta conficiendi atque administrandi, potestatem competere afserunt. Ne autem in Ecclesia aliqua oboriatur confusio, huius potestatis iis tantummodo concedunt usum, qui ad id consen-

sum communitatis habent. Sed hunc errorem Concilium Tridentinum damnavit, *Sess: 7. Can: 10. Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis habere potestatem, anathema sit.* Et merito, non enim omnes Christiani, quælibet Sacramenta administrandi, ac conficiendi habent potestatem. *Probatur 1mo ex Sacris Scripturis.* Paulus Apostolus *Epist: 1. ad Corinth: cap: 12.* Christianos corpus unum Mysticum constituere affirmat, in quo diversa membra, diversa quoque officia habent, atque munera alia & alia exercent. Unde ait: *Si totum corpus occulus, ubi auditus? si totum corpus auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra; unumquodque eorum in corpore sicut voluit.* Quamobrem sicut visus, potestatem auditus & odoratus non habet, ita neque omnes Christiani, eandem habent in Ecclesia potestatem: non omnia ergo omnibus competunt, ac proinde etiam non omnes poterunt omnia conficere, atque administrare Sacramenta, non omnes poterunt verbum Divinum prædicare, cæteraque Ecclesiastica exercere munia. Hinc subdit Paulus: *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes?* ac propterea *in Epist: ad Ephes: cap: 4.* docet: constitutos esse â Deo in Ecclesia Pastores & Doctores à plebe diversos atque distinctos, *in opus Ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Ac tandem *in Epist: ad Hebr: cap: 5.* inquit: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Quare qui dona ac sacrificia offerre debent pro peccatis, â Deo vocandi sunt tanquam Aaron. Porro nemo ignorat, Aaron ante vocationem, & consecrationem suam, neque usum, neque potestatem Levitici Sacerdotii obtinuisse, proindeque in nova etiam lege usum, & potestatem in Dei verbo & Sacramentis ii tantum obtinebunt, qui vocati a Deo sunt, & legitima ordinatione consecrati. Hinc etiam est, quod Apostoli, quamvis iam dudum Baptisati, potestatem non habuerint peccata remittendi, nisi cum Christus ligandi, absolvendique iis tribuit potestatem. Joannis cap: 20. dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

2do: Eadem veritas evincitur ex Traditione. Nusquam Ecclesia Christi passa est, ut Sacramenta promiscue ab omnibus conficerentur, sed semper credidit, id muneris ex institutione Christi, proprium esse pastorum, Episcoporum videlicet & Sacerdotum; quare cum Collu-

thus

thus quidam Episcopalem sibi arrogans dignitatem, Ischyram, unum ex S. Athanasii accusatoribus, Ordinaſset, Nicæni Concilii Patres, huiusmodi Ordinationem nullam, irritamque declararunt eo unice, quod Colluthus verus Episcopus non eſset. Propterea Tertulianus *libro de præscriptionibus* docet: Hæreticorum proprium eſse, ut ab omnibus, etiam mulieribus, promiscue omnia administrentur Sacramenta; sic enim ipse ſcribit: *Cap: 41. Ipsæ Mulieres Hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, exorcismos agere, ſorsitan & tingere, ordinationes eorum temerarie, leves, inconstantes. Nunc Neophytos colocant, nunc sæculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, ut gloria illos obligent, quia veritate non poſsunt. Nusquam facilius proficitur, quam in Castris rebellium, ubi ipsum eſse illuc, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Præsbyter, qui cras Laicus, nam & Laicis Sacerdotalia munia iniungunt.*

Obiicies 1mo: In Lege nova, omnes qui Christo nomen dederant, sunt Sacerdotes, poſsunt ergo omnes Sacramenta conficere. Sic Petrus *Epist: 1. cap: 3.* inquit: *Ipsi tanquam lapides vivi super ædificamini, domus spiritualis Sacerdotium Sanctum, offerte Spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Et iterum: *vos genus electum, regale Sacerdotium, genus sancta, populus acquisitionis.* Joannes pariter in Apocalip: *cap: 1. inquit: Fecit nos regnum, & Sacerdotes, Deo & Patri suo: & cap: 20.* dicitur: *Et erunt Sacerdotes Dei & Christi ejus. 2do:* Christus in ultima Cæna omnibus fidelibus in persona adstantium Apostolorum, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Unde Paulus *Epist: 1ma ad Corinth: cap: 11.* omnes alloquens Corinthios inquit: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Ligandi quoque & solvendi potestatem omnibus credentibus eſse communem, ostendunt Christi verba apud Matheum *cap: 18.* postquam enim omnibus Christus dixerat: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum:* mox subiungit: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo.* Tandem *Math: cap: 28.* dum dixerat Christus Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, Baptisantes eos....* omnes prorsus idoneos Baptismi effecit Ministros. Si ergo omnes poſsunt Baptisare, solvere, Eucharistiam consecrare, & cætera Sacramenta omnes poſsunt conficere atque ministrare.

Resp: ad 1mum. Sacerdotis nomen late patet. Vel enim accipitur in propria verborum significatione & tunc potestatem indigitat legitima ordinatione acquisitam: vel etiam in ampliori sumitur verborum sensu, & tunc tribuitur omnibus, qui laudis, præcumque hostias supremo Numini offerunt. Hoc postremo verborum sensu, SS. Petrum & Joannem locutos fuiſse, ipsorum verba demonstrant. Christianos enim singulos sicuti Sacerdotes, ita & Reges nuncupant. Reges autem improprio sensu vocari, eo quia propriis dominantur affectibus, patet per se; quare idem est de eorum Sacerdotio affirmandum. Porro S. Petri verba *ex cap: 19. libri Exodi:* videntur deprompta eſse, ubi de universo Israelis populo dicitur: *Et vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens Sancta.* Nemo autem diffitebitur in Hebraico populo solam tribum Levi ad munus Sacerdotale aſsumptam fuiſse, reliquis ergo tribubus, Sacerdotis nomen improprio & mystico sensu attribuitur. Joannes autem in Apocalipsi de Beatorum Sacerdotio loquitur, qui ideo Sacerdotes dicuntur, quia aſsiduis laudibus Deum celebrare non desinunt.

Ad 2dum: Verba Christi; *Hoc facite in meam commemorationem:* non diriguntur ad omnes promiscue Fideles, tunc enim Christus cum solis Apostolis in loco segregato cænabat: solis itaque Apostolis, quos novi Testamenti Sacerdotes constituit, eorumque hac in dignitate succeſsoribus, dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod etiam constans Ecclesiæ Latinæ & Græcæ praxis ostendit, iuxta quam, nonnisi Sacerdotes Eucharistiam consecrabant. Quod autem ad Corinthios scribit Paulus: *Ego accepi â Domino, quod & tradidi vobis:* ostendit se Corinthiis palam facere velle, quod de Augustiſsimo Eucharistiæ Sacramento à Domino acceperat, ut serio recogitarent, cum quanta reverentia, corpus ac sangvinem Domini deberent accipere. Sed de consecrandi potestate Laicis omnibus collata, nec syllabam, nec apicem habet.

Peccantem fratrem juſsit Christus primo ſecreto corripere, nullo adhibito teste: *corripe eum, inter te & ipsum solum;* secundo, adhibitis uno vel duobus testibus, tandem juſsit peccantem deferre Ecclesiæ, id est Rectoribus & Majoribus Ecclesiæ; quod si & hos non audierit, veluti Ethnicum ac Publicanum habendum eſse decrevit, atque Maiorum ac Rectorum latam in contumacem sententiam, in Cælis etiam validam fore affirmat: *Amen dico vobis,*

quæ-

quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo. Prædicta ergo verba non omnibus, sed Ecclesiæ Maioribus, Rectoribusque dicta sunt. Unde etiam Joannis *cap*: 20. Solis Apostolis Christus dixit: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.* Solis itaque Apostolis, atque eorum ſucceſsoribus ligandi, atque solvendi potestatem Christus tradidit. Neque opus habuiſsent in primitiva Ecclesia Laici, ab Episcopis ac Præsbyteris absolutionem à peccatis petere, quemadmodum & nunc ubique Catholici faciunt, si quilibet Laicus id præstare potuiſset.

In neceſsitatis casu, quemlibet Laicum etiam Infidelem, Baptisare poſse, antiquiſsima Ecclesiæ edocti Traditione, praxique continua, fatentur omnes Catholici. At simul censent, hoc Sacramentum ordinaria potestate, & ſolemniter administrare, Episcoporum & Sacerdotum eſse, non vero Laicorum; quare ſpeciatim dictum est à Christo Apostolis: *Docete omnes gentes, Baptisantes eos...*

Quæres 5to: An, & quomodo Sacramentorum Minister influit in effectum eorum?

Resp: Minister Sacramentorum, vere influit in effectum illorum. Enimvero, Minister Sacramentorum vere peccata remittit, *Joan*: *Cap*; 20. per manuum impositionem gratiam elargitur, 2. *ad Timoth*: *Cap*: *1mo.* vere igitur influit in effectum Sacramentorum. Certe, Minister est causa Sacramentorum, ergo active concurrit ad effectum illorum, estque illius etiam causa. Qui enim est causa actionis, est etiam causa effectus, quam actio parit. Porro Minister Sacramentorum, est causa actionis Sacramentalis. Est ergo etiam causa effectus, quem ipsa producit.

Verumtamen Minister Sacramentorum, est solum instrumentalis causa illorum; unde Dispensatores mysteriorum Dei dicuntur. Christus vero est ſuorum Sacramentorum Minister principalis; unde Joannes *Cap*: *1mo*: de Salvatore ait. *Hic est qui Baptisat in Spiritu Sancto.* Quæ verba explanans S. Augustinus *Tract*: *6to in Joannem*, inquit: *Petrus baptiset, hic est qui baptisat. Paulus baptiset, hic est qui baptisat. Judas baptiset, hic est qui baptisat.* Et *ad Rom*: *Cap*: 8. Paulus ait. *Deus est qui justificat.*

Et hæc intelligenda ſunt de Sàcramentis in usu,

ſeu in actione transeunte positis. Cum vero Eucharistiæ Sacramentum in re permanenti consistat, ad gratiam quam Eucharistia parit, illam administrans, atque distribuens, active non concurrit, quoniam gratia quam ipsa parit, non ipso consecrationis actu percipitur, ſed tunc, dum quis de illo Sacramento participat.

Quæres 6to: Utrum valeant Sacramenta, ab Hæreticis, aut improbis Ministris confecta?

Resp: Donatistæ Hæretici affirmabant, non valere Sacramenta ab improbis Ministris collata. Eundem errorem amplexi ſunt Valdenses, Albigenses, Wiclefistæ, ac postremo Anabaptistæ, quos omnes damnavit primo Concilium Constantiense, deinde Concilium Tridentinum, atque *Seſs: 7. Can: 12.* definivit: *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia eſsentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.* Est igitur de fide, valere Sacramenta, ab improbo Ministro rite collata. Sed ulterius inquiritur, an quemadmodum valent Sacramenta à peccatore confecta, sic etiam valeant, ab Hæreticis aut Schysmaticis collata. Negabat valere S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus, affirmabat S. Stefanus Romanus Pontifex, & de ſolo Baptismo ab Hæreticis collato, controversia tunc inter illos erat, quam per Concilium Generale finitam fuiſse, docet S. Augustinus, ſed quodnam illud Concilium fuerit, an Nicænum, an Arelatense, incertum manet. Indubitatum vero est à Concilio Tridentino definitum fuiſse, Baptisma ab Hæreticis rite collatum valere: sic enim statutum est, *Seſs: 7ma Can: 4. Si quis dixerit, Baptismum, qui datur ab Hæreticis, in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non eſse verum Baptisma, anathema sit.* Cum itaque Concilium Tridentinum, de ſolo Baptismo in adducto Canone loquatur, atque de ſolo Baptismo ab Hæreticis, aut Schysmaticis collato, antiquitus controversia fuerit, hinc hoc unicum est de fide, vallere Baptisma ab Hæreticis aut Schysmaticis rite collatum; quare nonnulli Theologi propugnant, non valere ab Hæreticis aut Schysmaticis collata Sacramenta Confirmationis & Pænitentiæ. Verum communiter cæteri omnes Theologi docent, valere ab Hæreticis aut Schysmaticis rite collata Sacramenta, non ſolum Baptismi, ſed & Ordinis, Confirmationis, aliorumque, atque ipsius

etiam

etiam Pænitentiæ, nisi omnem ipsis Ecclesia abstulerit jurisdictionem omnino necessarjam ad hujus Sacramenti validam administrationem.

Quæres 7mo: Igitur ad valorem Sacramenti, neque fides, neque probitas in Ministro necessario prærequiritur?

Resp: Ita sane, neque fides, neque probitas, necessario in Ministro prærequiritur, ut ipse valide conficiat Sacramenta. Enimvero Sacræ Scripturæ nos edocent, in rebus, quæ ad aliorum comodum & utilitatem inserviunt, quæmadmodum gratiæ sunt, quæ à Theologis, gratis datæ dicuntur, fidem & probitatem Ministri haud requiri. Nam Caiphas nulla in Christum præditus fide, vaticinatus attamen de eo fuit, Joannis *Cap: xx.* atque improbos multos viros in Christi nomine prophetasse, dæmonia eiecisse, & virtutes fecisse multas, traditur Mathæi *Cap: 7.* Porro Sacramentorum Ministerium in aliorum commodum utilitatemque cedere, res est explorata, proindeque neque fides, neque probitas Ministri dicenda est necessaria, ut valide ipsa conficiantur. Et vero Joannis *Cap: x.* de Christo dicitur: *Hic est qui baptisat in Spiritu Sancto:* pari modo dici potest & debet: *Hic est qui corpus & Sanguinem suum efficit, peccata hominum remittit.* Est enim Christus principalis suorum Sacramentorum causa & author; Episcopus vero, sive Sacerdos, Minister nonnisi, & causa instrumentalis; quæ non propria, sed causæ principalis virtute agit. Porro, causa instrumentalis, atque purus Minister, nequit impedire activitatem, potestatemque causæ principalis, primarijque auctoris. Igitur Ministrorum perversitas, Infidelitasque, validitati Sacramentorum obesse nequit. Quare cum apud Corinthios ex diversitate Ministrorum dissensio erat, quia inquam alius dicebat ego sum Pauli, alius, ego Apollo, illos *Epist: 1ma Cap: 3:* sic increpat Apostolus: *Quid est Apollo? quid Paulus? Ministri eius cui credidistis. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Unde S. Augustinus *libro 3. contra Cresconium Cap: 3tio.* Sacramenta comparat semini quod spargit malus, ac infidelis colonus, qui tamen fæcunditatem terræ, cælique temperiem, illorumque efficaciam impedire nequit. Et *libro 2do adversus Petilianum Cap: 3.* sic inquit: *Nolite ex hominum moribus & factis Divina Sacramenta pensare, illa enim per eum Sancta sunt, cujus*

sunt,

ſunt, ſed digne tractata, afferunt præmium, indigne autem tractata, judicium. Et quamvis unum non sint, qui Dei Sacramenta digne, & qui indigne tractaverint, unum est tamen illud, sive digne, sive indigne tractetur.

Confirmatur eadem Catholica veritas ex SS. Patribus & Ecclesiasticis definitionibus. S. Chrysostomus *Homilia 8va in Epist: 1mam ad Corinthios*, sic inquit: *Nunc autem etiam per indignos Deus ſolet operari, nec Baptismatis gratia quidquam læditur à vita Sacerdotis.* Et *Homilia 8va in Joannem*, ita egregie propositam evincit veritatem: *Si bruti ore, & impura lingua, propter improbos Judæos, Deus operatus est, multo magis propter vos bene moratos, etiamsi Sacerdotes admodum ſcelesti sint, ſua omnia perficiet, & mittet Spiritum Sanctum. Neque Angelus, neque Archangelus in iis, quæ à Deo data ſunt,. aliquid efficere potest, ſed Pater & Filius & Spiritus Sanctus omnia administrat, Sacerdos vero linguam ſuam commodat, manum porrigit. Neque enim justum est, propter alterius improbitatem, ut illi, qui fidem ſunt amplexati, in Symbolis ſalutis nostræ læderentur.* Theophilactus in Caput 20. Joannis scribens, improbos ac infideles Ministros asinæ Ballaam comparando, sic inquit: *Quamvis Sacerdotes indigni ſunt, quid hoc? Divinorum donorum ſunt Ministri, & gratia operatur per eos, sicut & per asinam Ballaam locutus est.* Idem per omnia docent: Gregorius Nansianzenus, Ambrosius, Euthymius, & cæteri Patres. Quare Concilium Arelatense primum, Afrorum errorem, qui Hæreticos indiscriminatim omnes ad Ecclesiam revertentes iterum Baptisabant, damnavit: quare *Can: 8vo* sic statuit: *Placuit ut si aliquis de hæresi venerit, interogent eum nostræ fidei Sacerdotes, Symbolum, & si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu Sancto eſse Baptisatum, manus tantum ei imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum.* Et Concilium Nicænum 1mum Novatianos ſola manuum impositione ad Ecclesiam recipiendos eſse mandavit. Paulinistas vero, quia ut ſcribit S. Augustinus *in libro de Hæresibus*: Baptismi formam corrumperant, Baptisari jubet. Sed & alia bene multa Concilia, rebaptisationes, reordinationes fieri prohibuerunt, Sacramenta quæque sive ab Hæreticis aut Schysmaticis, sive ab impijs Ministris collata, valida atque rata eſse censentes.

Obijcies 1mo: Ex Sacris Scripturis liquido apparet; infideles ac impios Ministros, Sacramenta polluere, illaque

que administrare non poſse. Sic *Eccles*: *Cap*: *34*. scriptum est: *Ab immundo quis mundabitur*: & iterum: *Qui baptisatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficet lavatio eius.* Itaque nec mundat, qui inmundus est, & qui coram Deo mortuus est, licetsi baptiset, ejus lavatio nulli prodest, quare à malis Ministris Sacramenta nullatenus ſunt ſuscipienda, ſed prorsus reijcienda: unde inquit Psalmista *Psal: 140. Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Et Apostolus *Epist*: 2. *ad Corinth*: *Cap*: *6.* inquit: *Nolite jugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras. Quæ autem conventio Christi cum Belial, aut quæ pars fideli cum infideli.* Certe, si mali ac infideles valide Sacramenta conficerent, ac per ipsa gratiam ſuscipientibus conferrent, tunc de spinis uvæ, de tribulis ficus, de arbore mala, fructus boni colligerentur. Hoc autem fieri neutiquam poſse, aſserit Christus *Mathei Cap*: *7mo. 2do.* Consvetudo rebaptisandi Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes, cui S. Cyprianus innitebatur, est antiquiſsima, cum ab ipsis descenderet Apostolis, ut patet ex *Can*: *45 & 46.* Apostolorum, ubi. *Episcopus vel Præsbyter, qui Hæreticorum Baptismum admiseri*, deponi iubetur. Erat quoque universalis, cum vigeret in tota Africa, in toto Oriente, imo & in Occidente, ubi, si à Stephano impugnata est, ab alijs plerisque Romanis Pontificibus probata fuit, veluti ab Innocentio 1mo. *Epist: 18.* Leone 1mo. *Epist*: *79.* & alijs.

Resp: *ad 1mum:* Ab immundo, qui propria virtute agit, propriamque ſuam actionem exercet, nemo alter emundari potest, actio siquidem ipsius polluta ac fædata est. At in Sacramentis prima, potiorque pars est Christi, qui est agens principalis; Minister vero Sacramenta conficiens, est nonnisi instrumentum, unde nomine & in persona Christi baptisat, consecrat, à peccatis ſolvit. Cum autem, ut optime observat S. Thomas Doctor, effectus quilibet non instrumento, ſed principali agenti attribuatur, hinc à Christo omnis nostra in Sacramentis emundatio, ſanctificatioque descendit, atque ex ipsius meritis profluit: itaque merito Paulus Apostolus *Epist: 1ma Cap*: *1mo* increpat Corinthios, qui inde gloriabantur, quod Discipuli illius eſsent, dicens: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptisati estis?* Cum igitur Christus mundus sit, vivit, atque ſedet à dextris Patris, actioque Sacramentalis mundiſsima,

dissima, atque Sanctissima, licetsi Minister illius, quo Christus veluti instrumento utitur, immundus, atque in peccatis suis mortuus sit, vivificare, ac emundare potest. Qui igitur Sacramenta ab impijs ac Hæreticis suscipit, non ab immundo mundatur, neque à mortuo baptisatur: & quemadmodum per infirmi medici operationem applicatum farmacum sanare potest infirmum, sic Christus per immundi Ministerium, animas mundare potest.

Sed si verba Ecclesiastici inspiciamus, & illorum tenorem consideremus, ipsa longe à præsenti controversia esse perspiciemus. Namque quod dicitur: *Ab immundo quis mundabitur:* statim ibidem additur, *& à mendace quid verum dicetur?* sicuti ergo mendax nihil ex seipso profert nisi mendacia, ita immundus nihil, nisi immunda; & quemadmodum mendax homo, neminem veritatem edocebit, ita quoque immundus, neminem ab immunditia revocabit, quia ille nonnisi mendacia, iste nonnisi immunda, ex seipso profert. Quod vero idem Ecclesiasticus superaddit: *Qui baptisatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio eius:* de iis loquitur, qui iterum in eadem scelera prolabuntur, quibus propterea præcedens expiatio nihil proderat, eo plane modo, quemadmodum in illa veteri lege adhuc immundus censebatur, qui post purgationem, cadaver demortui iterato contrectasset.

Demum, Psalmista non loquitur de Oleo Sacramentali, sed de oleo fraudulentiæ peccatorum, adulationis, & blanditiarum, â quibus cavendum esse docet, misericordem justi præponens increpationem. Superius namque dixerat: *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me:* mox subdit: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Quare manifestissimum efficitur in adductis ex Ecclesiastico atque Psalmista textibus, ne verbum quidem de Ministris Sacramentorum haberi, quemadmodum & Paulus Apostolus citatis ad Corinthios verbis, non loquitur de Ministerio Hæreticorum, aut impiorum Sacramenta conficientium, sed unice satagit Christianos à consortio cum infidelibus abducere, quia nimirum justitiæ cum iniquitate, luci cum tenebris, Christi cum Belial, nulla potest esse conventio. Actio, qua conficitur Sacramentum, ex se bona, sancta, inter spinas & tribulos numerari nequit. Christus auctor est & principalis Sacramentorum Minister, estque arbor bona, bonos producens fructus. Dum igitur improbi ac infideles Ministri

Sacra-

Sacramenta conficiunt, & ex ipsis, illa suscipientes, gratiam recipiunt, non colliguntur de spinis uvæ, nec de tribulis ficus, sed ex actione Sacramentali Sancta, Sancta gratia percipitur. Neque arbor mala bonos fructus producit, quia gratia Sacramentalis, non est fructus mali Ministri, sed ipsius Christi.

Ad 2dum: Consvetudo rebaptisandi Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes, cui innitebatur Cyprianus, quamque vel maxime allegabat, recens & novella erat, quam ipse ultra Agripini, qui eum annis nonnisi quadraginta aut triginta præcefserat, tempora protendere non potuit. Objecti autem Canones non sunt Apostolorum, ut omnes consentiunt eruditi, sed ex diversis particularibus Conciliis fuerant collecti, qui vel errorem, loco veritatis tradiderunt vel in iis locis conscripti sunt, ubi Hæretici omnes formam Sacramentorum inverterant. Consvetudo etiam rebaptisandi Hæreticos, non fuit universalis, quia hæc nec in Africa quidem tota, & multo minus in toto Oriente obtinebat, ut ipse agnovit Cyprianus; contraria vero praxis, quam tuebatur Stephanus Romanus Pontifex, tam universaliter vigebat in Occidente, ut Cypriani opinio, pro scandalosa novitate habita fuerit. Quare Innocentius Imus, licet Clericos ab Hæresi redeuntes, ad Laicam Communionem adigeret, nullibi tamen Sacramenta illorum pro invalidis habuit. Leo autem Imus hanc in adducto loco regulam servari jufsit, *ut lavacrum semel irritum, nulla iteratione violetur.*

Dices: Plurimi; iique præstantifsimi Patres docuerunt, Sacramenta ab Hæreticis, ac improbis Ministris collata, nulla efse.

Resp: Nonnulli Patres Sacramenta ab Hæreticis ac improbis Ministris collata, nulla efse docuerunt, non quoad substantiam, sed quoad effectus, quia vacua erant, & nullam pariebant gratiam, propter malas suscipientium dispositiones, quia videlicet Hæresi aut impietati addicti erant: ita Ss. Ambrosius, Hieronymus. Multi vero collata ab Hæreticis, Schysmaticisque Sacramenta, etiam quoad substantiam irrita efse censuerant, quia forma, aut materia illorum Sacramentorum immutata, ab ipsis fuit, ita Cyrillus Hierofol: Optatus Milevitanus. Nonnulli denique errore decepti putarunt, Sacramenta, maxime ab Hæreticis collata, prorsus nulla efse, quia arbitrabantur, extra veram Christi Ecclesiam, confici & dari non pofse: ita

ita Tertulianus, Basilius. Sed hi paucifsimi sunt, & hos cum honore relinquimus.

Quæres 8vo: In Ministro Sacramenta conficiente, requiriturne aliqua intentio, ut illa valida sint?

Resp: Intentio est voluntas, sive animi propositum, quidpiam efficiendi. Lutherus existimavit, Sacramenta absque ulla prorsus intentione, & mimice tantum ac illusorie collata, valida efse. Idem docuit Calvinus, & illorum sequaces. Hunc errorem damnavit Concilium Tridentinum *Sefs: 7. Can: 11.* his verbis: *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Dogma igitur Catholicum est, in Ministro Sacramenta conficiente, ac conferente, intentionem faciendi id quod facit Ecclesia, omnino efse necefsariam; quare Sacramenta illusorie, & mimice collata, nulla atque irrita sunt.

Probatur 1mo: Scripturarum auctoritate: *Joannis C.* 20. dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt. Lucæ Cap:* 22. Christus Eucharistiam instituens, Apostolis suis ait: *Hoc facite in meam commemorationem:* Unde Apostolus *1. ad Cor: Cap:* 4. inquit: *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei.* Qui ergo Sacramenta conficiunt, sunt Christi Administri, sunt judices, ligandi, solvendique potestatem habentes: at omnibus compertum est, nullam præstari fidem Ministro irrisorie, atque jocose, quæ sui principis sunt, pertractanti: nullam censeri à judice mimice pronuntiatam sententiam, omniaque illorum hujusmodi acta, pro nullis atque irritis, ab omnibus merito reputantur: proindeque nulla etiam erunt, & irrita ab omnibus censeri debent, per jocum & subsanationem, à Christi Ministris, ejusque Legatis, collata Sacramenta.

Et vero: Christus suorum Sacramentorum homines Ministros constituens, voluit etiam Sacramentalem actionem ab ipsis faciendam, humanam efse debere. Porro actio, si non ex serio voluntatis proposito, ac intentione procedat, et quæ nonnisi mimice & illusorie perficitur, actio humana non est, maxime talis, qualis in Ministro, Christi legatione fungente, requiritur. Igitur per jocum atque illusorie, sine intentione faciendi id, quod facit Ecclesia, collata Sacramenta, nulla atque irrita sunt. Accedit & alia probatio, quam Sanctus Thomas

Doctor *part. 3 quæst: 64. Arti: 8.* sic proponit: *Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debet. Ea vero, quæ in Sacramentis aguntur, poſsunt diversimode agi, sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari & ad munditiem corporalem, & ad sanitatem, & ad ludum, & multa alia hujusmodi; & ideo oportet, quod determinetur ad unum, id est: Sacramentalem effectum, per intentionem abluentis.* Intentio itaque conficientis Sacramenta, omnino neceſsaria est, quia per ipsam, exteriores ritus Sacramentorum, qui ad multa indiferentes sunt, ad eſse Sacramenti determinantur: & sine hac determinatione, Sacramenta valere ac subsistere nequeunt.

Confirmatur eadem Catholica veritas Traditione; ex qua manifeste apparet, semper Ecclesiam credidiſse, ad validam Sacramentorum administrationem, intentionem omnino neceſsariam eſse, & sine ipsa confecta, invalida ac irrita reputaſse. Cornelius Papa, flagitiosam Novati Ordinationem eſse censet, quia à temulentis, crapula oppreſsis, & vi coactis, adumbrata quadam, & inani manuum impositione, Episcopatum accepit. Synodus Romana anno 963. habita, irritam eſse declaravit Ordinationem cujusdam Diaconi in stabulo á Joanne 12mo: irrisorie factam. Concilium Constantiense Seſsione ultima præcepit, ut suspectus de hæresi Wiclefi, inter alia interogetur: *an credat, quod malus Sacerdos, cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere absolvat, vere baptisat, & vere conferat alia Sacramenta.* Tandem Synodus Florentina, & Eugenius 4. Papa, in Decreto unionis, communem ac veterem Ecclesiæ proponendo fidem, declararunt, Sacramenta omnia tribus perfici, videlicet: *rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramenta, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.*

Objicies 1mo: Socrates *Hist: Eccles: libr: 1. Cap: 15.* ex Ruffino narrat, Athanasium admodum puerum, sacrum quemdam ludum exercuiſse, cum pueris æqualibus suis Is lusus, imitatio erat Sacerdotis. Porro cum Athanasius Episcopi dignitatem in lusu sortitus eſset, nonnullos Mysteriis nondum initiatos baptisavit, ut scribit Sozomenus *Hist: Eccles: libr: 2. Can: 17.* Alexander autem Episcopus, qui à longe rem considerabat, *censuit, non rebaptisandos eſse eos, qui in simplicitate divinam gratiam percipere*

sæpere meruissent. Nicephorus *Histor: libr: 3.* affirmat, Episcopum Constantinopolitanum baptismum approbasse â nonnullis pueris per ludum infanti Hebræo collatum. Non dissimile est Genesii factum, qui in theatro publice ludens, baptismum irridendo petiit, obtinuitque: hunc autem validum fuisse ex eo colligitur, quod Ecclesia inter Sanctos Genesium veneratur. Porro hæc baptismata collata fuerunt sine seria intentione faciendi id, quod facit Ecclesia, priora enim jculariter, postremum mimice, repræsentata sunt. 2do: Sacramenta se habent, ut animarum medicinæ, & quemadmodum medicaminum efficatia non pendet ab intentione medici, sic nec effectus Sacramentorum, ab intentione Ministri. Unde S. Augustinus *Tract: 80. in Joannem* inquit: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum:* sola ergo accessione verbi ad elementum, efficitur Sacramentum, ipsiusque ponuntur effectus. Non itaque ad id opus est intentione Ministri.

Resp: ad 1mum: Facta Athanasii & Genesii, inter anniles fabulas reputantur. S. Athanasius siquidem tunc, quando hoc ab ipso, tanquam admodum puero, factum fuisse narratur, ad minimum octodecim erat annorum: & Genesii factum primus Odo Vienensis, qui anno 880. mortuus est, narrat: unde vero illum hauserit, non refert: cum tamen omnes reliqui Scriptores, qui illum sex prioribus sæculis præcesserant, alte de illo siluerint. Sed gratis admissa istiusmodi factorum veritate, facile dici potest, Genesium repente in theatro, gratia Spiritus Sancti conversum, sanguine suo, dum Martyrium subiit, baptisatum fuisse. Et Athanasii Baptisma pueris collatum, ideo Alexander approbavit, ut scribit Sozomenus: *quod omnia juxta Ecclesiasticum ordinem exacte in illis servata esse depræhendisset.* Quapropter ludum quidem pueri fecerunt, quantum ad Sacerdotalem & Episcopalem, quam sibi arrogabant, dignitatem, quamque Athanasio conferre videbantur; nihilominus Athanasius, Baptismum conferens, veram & sinceram habuisse ab Alexandro reputatus est intentionem, faciendi ea, quæ Episcopus in Ecclesia facere consvevit; unde ludus & iocus non cadens in Sacramentum Baptismi, ejusdem integritati derogare non poterat. Narrat etiam Nicephorus, Constantinopolitanum Episcopum rem diligenti examine voluisse habere compertam, atque statuisse, ut in illo hæbreo infante, *quod deesset juxta mysterii executionem, compleretur:* scilicet: vel statuerat, Infantem hæbreum Confirmationis recipe-

re debere Sacramentum, quia censebat pueros, qui illum baptisarunt, veram eum baptisandi habuiſse intentionem, vel decrevit, ut infans hæbreus sacro fonte regeneraretur, quia noverat, intentionis defectu, nullum fuiſse illi collatum baptisma. Utrumque admittunt sensum verba Nicephori.

His addendum est: duplici modo exteriorem Ecclesiæ ritum, per jocum exerceri poſse: *1mo*: ita, ut idem ritus simulate tantum repræsentetur. *2do:* Ita, ut vere intendatur id, quod intendit Ecclesia, tametsi id, sive ad jocum, sive ad alium profanum finem intendatur. Prima joci species, quia in ipsa sistit tota agentis intentio, Sacramenti veritatem impedit: secus de secunda dicendum est, quia hæc addit quidem actioni Sacramentali finem profanum, qui tamen, cum intentionem internam non tollat, neque etiam actionis Sacramentalis veritatem tollere potest. Et sic se habet baptisma, sive ab Athanasio adhuc puerulo, sive à pueris infanti hæbreorum Constantinopoli collatum.

Ad 2dum: Corporalis medicina ut prosit, debet imprimis medicina eſse, & debito modo infirmo applicari. Ita quoque ut Sacramenta medicinæ spirituales sint, & animabus prosint hominum, prius véra Sacramenta eſse, & debito modo, modo videlicet humano & Sacramentali applicari debent. Porro nequeunt eſse Sacramenta, nisi constent materia, forma & intentione Ministri: neque etiam modo humano & Sacramentali applicantur, si jocose tantum conficiantur. Quare etiam juxta Augustinum, si verbum per humanam, & ordinatam actionem, accedat ad elementum, fit Sacramentum. Si vero verbum mimice ac irrisorie, supra elementum prolatum fuerit, quoniam verba humana, præter, aut contra intentionem proferentis, nihil operari poſsunt, tunc non erit Sacramentum. Certe scopus S. Augustini alius non est, quam ut probet, elementum â forma Sacramentali sejunctum, nihil habere virtutis: unde ait: *Detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua, accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

Quæres 9no: Qualis intentio in Ministris Sacramenta conficientibus, neceſsaria est, ut valida ipsa censeantur?

Resp: Nonnulli Catholici Theologi, ac imprimis Ambrosius Catharinus ex Ordine Prædicatorum, cenſent Sacramenta valida ac rata eſse, dummodo ritus illorum exterius

terius ſerio peragantur, licetsi à Ministro intus derideantur, detestentur, ac simulate nonnisi perficiantur, neque aliud quidpiam facere intendat, quam ritum mere profanum peragere. Et hæc est celebris illa intentio externa, à Catharino propugnata. Alij longe plures Catholici Theologi firmiter docent ac propugnant: ad validitatem Sacramentorum, non ſufficere intentionem pure externam, ſed omnino neceſsariam eſse intentionem internam ac ſeriam, perficiendi ut ritum apud Christianos Sacrum ac religiosum. Et hæc intentio interna vocatur. Pure autem Scholastica est istiusmodi controversia. Neque enim putandum est, priorem ſententiam, à Concilio Tridentino Canone ſupra laudato confixam eſse; quoniam ibi Lutheri, Calvinique tantummodo damnatus fuit error, qui censebant, per iocum etiam, ac exteriorem irrisionem collata valere Sacramenta, ac proinde omnem prorsus excludebant intentionem: unde Concilium Tridentinum contra ipsos definivit: ad valorem Sacrametorum neceſsariam eſse in Ministro intentionem, faciendi, quod facit Ecclesia: istius vero ſententiæ Patroni, affirmant ac propugnant, iocılariter ac mimice collata Sacramenta, irrita eſse, ac proinde in Ministro Sacramenta conficiente, licetsi peſsime erga ipsa interius affectus sit, omnino requiri intentionem, ritum Sacramentalem exterius ſerio perficiendi; eo ipso namque censent ipsum velle facere, quod facit Ecclesia. Posterior attamen opinio, & tutior est, quia validitati ac ſecuritati Sacramentorum optime consulit, & longe priore ſententia probabilior censetur. Namque qui Sacramenta conficit, debet ſe conformare Christi institutioni, atque Ecclesiæ praxi: & hoc est, quod à Concilijs Florentino & Tridentino insinuatur, dum statuitur, Ministrum Sacramentorum, ut valide illa conficiat, debere habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: unde & S. Thomas Doctor *part: 3. quæst: 64.* docet: neceſse eſse ut Minister Sacramentorum, *ſe ſubiiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus & Ecclesia.* Porro qui Sacramentum quodpiam exterius quidem serio conficit, ſed interius illud deridet, ac nonnisi ut rem profanam perficit, nullo modo ſe conformat Christi institutioni, praxique Ecclesiæ, ac proinde nullo modo intendit facere, quod Christus instituit, ac ipsius facit Ecclesia. Non ergo valide conficit Sacramentum. Certe, qui iocose & irrisorie conficit Sacramenta, nulliter illa conficit, quia

nullo

nullo modo Christi institutioni respondet, nec potest velle facere, quod facit Ecclesia: pari modo, qui licetsi extrinsecus serio perficiat Sacramenta, intrinsecus tamen illa irridet, detestatur, se illa perficere fingit, nec quidquam in tota sua actione intendit, nisi profanum, nullo modo correspondet Christi institutioni, aut velle censendus est id, quod facit Ecclesia. Quemadmodum igitur exterior ioculator ac mimus, non conficit Sacrameta; ita nec occultus irrisor; neque unus ab altero differt, nisi quod posterior, interiorem impietatem, exteriori tegat hypocrisi, quam prior, exterius etiam prodit. Quare Concilium Trident: *Sess: 14. Cap: 6to.* docet: non perfici Sacramentum Pænitentiæ, *si Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi desit.* Et S. Thomas Doctor, *opusculo 5to.* diserte asserit necessariam esse in Ministro Sacramenta conficiente intentionem, peragendi veluti rem Sacram: *si Minister Sacramenti, non intendit Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum.*

Tandem, inter propositiones damnatas ab Alexandro 8vo die 7ma xbris Anno 1690, sequens numero 28 reperitur: *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque Baptisandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit; non intendo facere, quod facit Ecclesia.* Si ergo invalide Baptisat qui ritum Baptismi exterius serio peragit, sed tantum in corde suo apud se resolvit, nolo facere, quod facit Ecclesia, magis, ac potius ille invalide Baptisat, aut aliud quodpiam minime conficit Sacramentum, qui illius ritum exterius serio peragit, sed interius deridet, detestatur, atque ut rem profanam perficiens, fingit ac simulat se ritum Sacramentalem peragere. Quod iterum auctoritate & doctrina S. Thomæ Doctoris comprobatur; qui *part: 3. quæst: 64. Art: 10.* sic inquit: *Intentio Ministri, potest perverti dupliciter: uno modo respectu ipsius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere: & talis perversitas tollit veritatem Sacramenti.*

Dices: Valet Baptisma ab Infidelibus, Judæis exg: Paganis, immo ab ipsis Atheis collatum. Porro illi nec habent, nec habere possunt veram & sinceram intentionem, faciendi id, quod facit Ecclesia, quia nec Christo credunt, nec Ecclesiam venerantur. Ergo ad valide

Sacra-

Sacramenta administranda, non est necessaria istiusmodi intentio.

Resp: Valent Sacramenta ab Infidelibus rite confecta, quia fides in conficientibus Sacramenta, ad illorum validitatem non prærequiritur: semper tamen Ecclesia anxia ac solicita fuit de Baptismo ab Infidelibus collato; unde Nicolaus I. in responsione ad consulta Bulgarorum, solicite investigandum esse mandat, an ille vir origine Judæus, qui apud ipsos multos baptisaverat, Christianus fuerit, an Paganus, an saltem postea Christianus factus fuerit, quia de Infidelibus Judæis, ac Paganis, semper rationabile remanet dubium, utrum requisitam, & omnino necessariam ad valide conficienda Sacramenta intentionem tunc habuerint, cum munus illa perficiendi sibi usurpaverunt. Ex quo manifestissime apparet, Ecclesiam semper existimasse, præter ritum Sacramenti exterius serio positum, aliud quidpiam ad Sacramenti valorem prærequiri, intentionem scilicet internam, & seriam, faciendi id, quod facit Ecclesia; quæ quia interius latet, de illa opportuna solicitudo esse potest, externus vero ritus, cum omnibus pateat, de eo non multum anxii esse possumus.

Equidem Pagani, Judæi, non credunt Ecclesiæ Sacramenta; ac propterea non possunt velle illa perficere ut ritus in se Sacros, à Deo constitutos; effectus, ad quos ordinantur, non possunt intendere; & id etiam ad valorem Sacramentorum non est necessarium. Sed possunt velle illa perficere, ut ritus, qui apud Christianos habentur pro Sacris; & id ad valorem Sacramentorum sufficit, ac omnino est necessarium. Eo ipso namque quod Paganus aut Judæus, dum baptisandi munus affectat, vellit ac intendit ritum baptismi, prout à Christianis practicatur, exercere; nollens volens, & Christi institutioni respondet, & intendit facere, quod facit Ecclesia: Id egregie probat, atque elucidat S. Thomas Doctor part: 3. quæst: 64. art: 1. dicens: *Si Minister patiatur fidei defectum circa ipsum Sacramentum, quod exhibet, licet credat per id, quod agitur exterius, nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat quod Ecclesia Catholica intendit per hujusmodi, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum, unde non obstante infidelitate, potest intendere facere id, quod facit Ecclesia, licet existimet id nihil esse, & talis intentio sufficit ad Sacramentum.* Ex quibus Doctoris Angelici verbis, evidentis-

sima

sime apparet, ad valorem Sacramenti, non requiri ut Minister intendat verum conficere Sacramentum, ut rem in ſe reipsa Sacram ac Divinam peragere, aut per illam quidpiam interius in ſuscipiente operari, & id infideles nequeunt intendere, ſed omnino neceſse est, ut conficiens Sacramentum, quisquis ille est, vellit, atque ſerio intendat ritum Sacramentalem, veluti apud Christianos Sacrum, peragere, & ideo, juxta Divum Thomam, oportet, *ut ipse non ignoret, quod Ecclesia Catholica intendit, per hujusmodi, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum*, & talem intentionem infideles habere poſsunt, ac debent. Unde collata ab ipsis valent Sacramenta. Porro, qui etsi ritum Sacramentalem, exterius ſerio perficiant, illum tamen interius irrident, detestantur, atque nihil aliud intendunt, quam rem veluti profanam ac vilem peragere, atque exterius Sacramentum, nonnisi fingere, ac simulare, ij, nec habent, nec habere poſsunt, veram sinceramque intentionem perficere Sacramentalem ritum, veluti apud Christanos Sacrum; ac propterea, nec volunt, nec intendunt facere id, quod facit Ecclesia. Igitur valide ipsi non conficiunt Sacramenta.

CAPUT TERTIUM

De partibus, atque effectibus Sacramentorum.

Quæres: Quæ sint partes, ex quibus Sacramenta constant?

Resp: Tres sunt cuiuslibet Sacramenti partes, ex quibus unumquodque Sacramentum constat, videlicet: materia, forma, & Minister. Quare Eugenius 4, in Armenorum instructione, enumeratis omnibus Sacramentis, sic inquit: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet: rebus tanquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum.* Verum materiæ, ac formæ nomina, ex Aristotelica Philosophia desumpta, toti retro antiquitati erant ignota. Gvilhelmus Antisiodorensis circa annum 1215. Sacramentales partes, materiam, & formam appellare cæpit, similem quippe dicendi modum, apud vetustiores invenire non licet,

neque

neque apud antiquos Græcos istiusmodi vocabula reperiuntur. Sed cum hæ voces ad explicandam Sacramentorum naturam visæ fuerunt opportunæ, Ecclesiæ usu fuerunt quodammodo consecratæ, atque ab ipsis etiam Græcis in usum aſsumptæ sunt.

Priscis Ecclesiæ ſæculis consvetum fuit dicere, Sacramenta constare signo, & re invisibili. Cum nominabant signum, totum complectebantur id, quod materiæ & formæ vocabulis intelligimus, per rem vero invisibilem, Sacramenti indigitabant effectum. Dicebant etiam alii considerandum eſse Sacramentum, & rem Sacramenti. Nomine Sacramenti designabant omne id, quod est in Sacramento sensibile, per rem vero Sacramenti, spiritualem illius effectum denotabant. S. Augustinus Sacramenta ex elemento & verbis componi affirmat. Per elementum materiam, per verbum, formam Sacramenti intelligebat. Apparet itaque rem ipsam semper in Ecclesia agnitam fuiſse, quæ tamen varias apud diversos, diversis temporibus, sortita est appellationes. Verum tamen materiæ nomen in Sacramentis, non semper physice, veluti aqua est in Baptismo, panis in Eucharistia, accipiendum est, sed sensu interdum accomodatitio, eo, quod materiam solemus nuncupare id omne, quod sensibus subiectum est, cui si accedat forma, fit Sacramentum, tales sunt manus impositio, contractus mutuus in matrimonio; nec non pænitentis actus, quemadmodum docent Patres Concilii Tridentini, affirmantes actus pænitentis, eſse quasi materiam Sacramenti pænitentiæ.

ARTICULUS 1mus

De Materia & forma Sacramentorum.

Quæres 1mo: Utrum Christus materiam, formamque cuiuslibet Sacramenti determinaverit?

Resp: Duplici modo potuit Christus materiam, formamque Sacramentorum determinare. *1mo*: in genere, si ipse mandaſset Apostolis suis, ut res aſsumerent, atque verba determinarent, quæ cum re Sacramenti quamdam analogiam haberent, atque effectum ipsius designarent. *2do:* in ſpecie, si ab ipso cujuslibet Sacramenti materia, secundum suam speciem designata fuiſset, verbaque præscripta quibus, & non aliis perficeretur. Equidem fide

Ca-

Catholica certum est, Baptismi & Eucharistiæ materiam, atque formam in specie à Christo determinatam fuiſse. Enimvero, Math: cap: 28. inquit Christus Apostolis suis: *Euntes docete omnes gentes, Baptisantes eos: in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Joannis autem cap: 3. dixerat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quamobrem Christus in specie, ac determinate Baptismi materiam constituit, videlicet aquam, & formam præscripsit. Pari modo materiam, formamque Eucharistiæ constituit, ac præfixit. Siquidem Lucæ cap: 22. habemus de Christo: *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens. Hoc est corpus meum. Similiter & calicem, dicens: Hic est Calix novum Testamentum in meo Sangvine;* quibus panem, & calicem, Eucharistiæ determinavit materiam, formamque designavit, verba præscripsit, quibus conficeretur.

Fidei quoque Catholicæ dogma est, Christum Dominum omnium Sacramentorum formas, ac materias saltem in genere constituiſse, atque determinaſse. Christus namque, quemadmodum Concilium Tridentinum definierat, Sacramentorum est Auctor, ac institutor, illorum ergo materias, ac formas saltem in genere determinare debuerat. Sacramentum siquidem quodlibet; in forma, ac materia, eorumque conjunctione consistit. Si ergo Christus omnia Sacramenta instituit, ut credere neceſse est, oportet etiam ut omnium Sacramentorum materias, formasque saltem in genere constituerit, ac determinaverit.

Porro an Christus non solum Baptismi, ac Eucharistiæ, sed & reliquorum Sacramentorum materias, formasque in ſpecie determinaverit, disputant inter se Catholici Theologi: Multi putant, Christum, præter Baptismum, & Eucharistiam, cæterorum Sacramentorum materias, formasque in genere tantum determinaſse, Apostolorum autem, & Ecclesiæ authoritati permisiſse, ut eas in specie determinaret. At è contra alii existimant Christum in specie omnium Sacramentorum materias, ac formas determinaſse. Et quamquam hac in re nihil ab Ecclesia fuerit definitum, maioribus attamen rationum momentis posterior opinio solidata eſse videtur.

Enimvero maior pars Theologorum sentit, Ecclesiam non habere potestatem materiam, aut formam Sacramentorum immutandi, id enim expreſse Concilium Tridentinum decernit Seſs: 21. cap: 2. *Hanc potestatem per-*

perpetuo in Ecclesia fuisse; ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitali, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire iudicaret. At Sacramentorum substantia in materia ac forma consistit, suntque ipsius partes essentiales. Ergo hæc immutandi potestatem Ecclesia á Christo minime accepit. Sane Christus est Sacramentorum auctor, ac ipse per semetipsum illa instituit, ac ordinavit, quæ in ipsius lege primaria, atque præcipua sunt, qualia certe præprimis sunt Sacramenta, quamobrem si Ecclesia materias ac formas Sacramentorum ordinasset, illasque immutare posset, potestatem haberet in iis immutandis, quæ in lege nova primaria, ac præcipua sunt, quæque ab ipso Christo instituta esse omnino censenda sunt, quod affirmare absurdum est, id enim à Christo fuisse Ecclesiæ concessum, nec Scriptura, nec Traditio docet, res namque hæc, facti est, dum vero facti quæstiones agitantur, nihil est absque solido fundamento definiendum. Jam vevo Ecclesiæ collatam esse à Christo potestatem ordinandi, atque immutandi materias, formasque Sacramentorum, neque è Scriptura Sacra evinci potest, neque ex Traditione comprobari valet, nulloque Conciliorum Decreto fulcitur. Igitur opinio quæ hanc potestatem Ecclesiæ competere arbitratur, commentitia est. Unde egregie Adrianus 6tus in 4. de Baptismo sic ratiocinatur: *Ecclesia non posset novam formam baptismi, aut alterius Sacramenti instituere, aut institutam quovis modo mutare, quia ut solius Dei est, animam à labe peccati mundare, ita solus, quæ Sanctificant animam, potest instituere, unde noverit se Ecclesia non esse dominam Sacramentorum, sed ministram, nec posse magis formam aliquam Sacramentorum destituere, aut novam instituere, quam legem aliquam Divinam abolere, vel ad tempus ab obligatione hominem suspendere, vel novum aliquem articulum fidei instituere, qui aliter non est de fide.*

Obiicies 1mo: Ecclesia reipsa materiam, formamque nonnulorum Sacramentorum immutavit. Namque Apostolorum tempore manuum impositio veluti materia Sacramenti Confirmationis adhibita fuit, quam in Chrismatis inunctionem mutavit Ecclesia. Non minus manuum impositio ad Sacramenti Ordinis substantiam primitus fuit requisita, & ejus loco subrogata est instrumentorum

tra-

traditio. Ante Concilium Tridentinum mutui Clandestini contractus, Matrimonii Sacramentum constituebant, quod postea Patres Tridentini irritum reddiderunt. *2do:* si Ecclesia non immutavit materias, formasque Sacramentorum, unde tanta diversitas in iis conficiendis apud Græcos, & Latinos?

Resp: ad 1mum: Manuum impositio Sacramenti Confirmationis fuit, & etiam nunc est eſsentialis materia, sed non minus Sacrum Chrisma, ad Sacramenti substantiam pertinet, cuius perpetuus fuit in Ecclesia usus. Manuum quoque impositionem in Sacramento Ordinis materiam neceſsariam eſse arbitramur, instrumentorum vero traditio, potestatem Ministris traditam magis exprimit, sed utrum substantiam Sacramenti Ordinis constituat, lis est sub judice. Patres quoque Tridentini, Matrimonia Clandestina irrita eſse declarantes, materiam Sacramenti Matrimonii non immutarunt. Namque juxta Christi institutionem, contractus mutuus, secundum positivas leges validus, est materia Sacramenti Matrimonii, & hoc Patres Concilii Tridentini non immutarunt, solummodo constituerunt, & præscripserunt, quomodo istiusmodi mutuus contractus fieri debet, ut validus sit.

Ad 2dum: In Sacramentorum administratione, quoad aſsentialia, atque ſubstantialia, quæ materiam, formamque ſpectant, ac constituunt, nulla est discrepantia inter Ecclesiam Græcam ac Latinam, & in iis quæ ſunt antiqua, quæ Sancti Patres memoraverunt, & in Sacramentariis, atque Euchologiis, tam Latinis, quam Græcis deſcripta fuerunt, plane consentiunt, si quæ vero à Latinis, vel Græcis recentius addita ſunt, ea non ad Sacramentorum eſsentiam, ſed ad eorum ſollemnitatem, uberioremque rei significationem, fuerunt instituta.

Quæres 2do: Utrum verba, quæ formas Sacramentorum constituunt, sint consecratoria, an ſolum concionatoria, sive promiſsoria,

Resp: Error communis modernorum Hæreticorum est, per ſolam fidem hominem justificari, ex quo allii perniciosiſsimi profluunt errores, videlicet: Sacramenta nullam conferre gratiam ſpiritualem, verba divina, quæ formas Sacramentorum constituunt, & quibus illa perficiuntur, efficaciam nullam habere, ac proinde non eſse consecratoria, nihilque aliud ipsa præstare, quam quod nos instruant, nobis proponant, ac in memoriam revo-

eent

cent divinas promiſsiones, quibus pollicitus est Christus credentibus gratiam, & ſalutem, fidem illorum in nobis excitant, qua justificamur, unde verba, quæ formas Sacramentorum constituunt, ſolum promiſsoria, ac concionatoria eſse affirmant, ac perinde illa ſe habere, ac concio, Evangeliique prædicatio, qua divinæ nobis proponuntur, explananturque promiſsiones, fidesque illarum in nobis excitatur, atque hinc inferunt, Sacrameta alta voce, & vernacula lingua eſse administranda, quia hæc aptiora, atque commodiora ſunt, ad fidem in ſuscipientibus Sacramenta excitandi. Sed istiusmodi Hæreticorum commenta, sunt errores quos facile est convellere. Verba siquidem divina, quæ formas Sacramentorum constituunt, neque ſunt promiſsoria, neque concionatoria, ſed ſunt vere consecratoria.

Probat: amo: Verba divina quæ formas Sacramentorum constituunt, non ſunt promiſsoria. Enimvero ex Christi institutione Baptismus his conficitur verbis: *Ego te baptiso in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Eucharistiæ Sacramentum his: *Hoc est corpus meum. Hic est calix sangvinis mei.* Porro per ſe manifestum est, in his verbis nullam promiſsionem contineri, quare istiusmodi verba, quibus Baptisma, ac Eucharistia conficiuntur, promiſsoria non ſunt. Certe verba, quæ effectum præsentem demonstrant, eumque divina operante virtute producunt, promiſsoria non ſunt, promiſsio enim non est actualis gratiæ largitio, ſed gratiæ offerentis pollicitatio. Sed verba, quibus Baptismus, Eucharistiaque conficiuntur, non exprimunt gratiæ conferendæ pollicitationem, ſed designant, efficiuntque præsentem effectum, præstantem scilicet regenerationem, præsens Corpus, atque ſangvinem Christi. Non ſunt ergo verba promiſsoria de futuro, ſed efficientia & indicativa de præsenti. Profecto, si Christus Sacramenta instituens, verba promiſsionis eſse voluiſset, ea indubie præscripsiſset, quæ promiſsionem clare continent, quemadmodum ſunt illa Marci Cap: 16. *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit.* Et Joannis Cap: 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſangvinem, habet vitam æternam*, his enim illorum, qui Sacramentis innitiantur, ad Divinarum promiſsionum fidem, facilius mens erigeretur. Cum igitur Christus, Sacramenta instituens, illa, ad ea conficienda præscripserit verba, quæ indicativa, demonstrativa, atque efficientia ſunt, inde evidentiſsime

tissime consequitur, verba Divina, quæ formas Sacramentorum constituunt, & quibus illa conficiuntur, non esse promissoria.

2*do*: Verba divina, quibus formæ Sacramentorum constituuntur, non sunt concionalia. Enimvero Christus Sacramentum Eucharistiæ instituens, Concionem nullam ad Apostolos habuit, & verba, quæ ad conficiendum hoc Sacramentum præscripsit, Concionem nullam in se continent. Forma quoque baptismi: *Ego te baptiso...* concionem non denotat, neque ut validus sit baptismus, aliqua necessario prærequiritur concio, aut instructio. Quamvis enim nulla præcesserit Concio, dummodo cum aquæ lavacro, verba illa pronuntiata fuissent: *Ego te baptiso...* ab omnibus, non solum Catholicis, sed & Hæreticis, validum censetur baptisma, & ê contra nullum, atque irritum reputatur, si prædicta verba, formaque prætermissa fuerit, qualiscunque tandem Concio, instructioque adhibita fuerit. Verba itaque, quæ formam Sacramentorum constituunt, nec ipsa concionalia sunt, neque ulla requiritur concio ad valide quæque conficienda Sacramenta.

Et certe, si ad valide conficienda Sacramenta, requiratur concio, instructioque fidem in suscipientibus excitans, tunc invalida erunt Sacramenta infantibus, amentibus, aut iis collata, qui concionem, instructionem vel propter ruditatem non percipiunt, vel propter defectum rationis percipere nequeunt, in illis namque Sacramenta antecedens concio, instructioque fidem minime excitabit; quæ sola, juxta modernos Hæreticos in Sacramentis operatur. Jam vero infantibus, amentibus, ac rudibus collata Sacramenta valere ipsi Calvinistæ, ac Lutherani nobiscum affirmant. Igitur ad valide Sacramenta conficienda neque ulla requiritur concio, & verba, quæ formas Sacramentorum constituunt, & quibus conficiuntur, concionalia non sunt.

3*tio*: Cum itaque verba divina, quæ Sacramentorum formas constituunt, neque sunt promissoria, neque concionalia, sunt igitur vere consecratoria.

Enimvero verbum consecratorium illud dicitur, quod non solum materiam ad usum sacrum determinat, sed etiam illam veluti instrumentalem causam, ad gratiam producendam reddit efficacem. Porro talia esse verba, quæ Sacramentorum formas constituunt, Sacrarum Scripturarum eloquia clare ostendunt. Apostolus namque Paulus Epist: ad Ephes: Cap: 5. sic inquit; *Christus dilexit*

Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ: mundamur itaque lavacro aquæ, & in verbo vitæ, lavacrum ergo aquæ, verbo vitæ consecratur, atque ab eo vim mundandi animas nostras, accipit. Actorum etiam Cap. 22. Ananias dixit Saulo: *Exurge, & baptisare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius*, invocationi itaque nominis, quæ fit in in baptismate, ablutio à peccatis adscribitur, verborumque efficacia indicatur. Verba itaque, quibus perficiuntur Sacramenta, sunt consecratoria.

Et id perpetuo docent Ss. Patres. Basilius libro de Spiritu Sancto Cap: 15. ait: *Tribus immersionibus, & totidem nomenclaturis invocationibus, magnum baptismatis mysterium perficitur*. S. August: libro 6. de Baptismo Cap: 25. sic inquit: *Deus adest Evangelicis verbis suis; sine quibus baptismus Christi consecrari non potest*. S. Ireneus libro 5. Cap: 2. ait: *Quando mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis, & sangvinis Christi*; tandem S. Ambrosius libro 4. de Sacramentis Cap: 4. inquit: *Quomodo potest, qui panis est, corpus eſse Christi? Consecratione. Consecratio quibus verbis est? Domini Jesu*. Qnia ergo juxta doctrinam Ss. Patrum, tribus invocationibus baptismi mysterium perficitur, sine verbis Evangelicis baptismus consecrari nequit, verbo Dei fit Eucharistia corporis, & sangvinis, Christi, panis consecratione efficitur Corpus Christi, & hæc verbis Domini Jesu peragitur. Verba igitur, quæ formas Sacramentorum constituunt, & quibus ipsa perficiuntur vere consecratoria sunt.

Obijcies. Math: Cap: 28. Christus Apostolis suis in baptisando præscripsit concionem dicens eis: *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos...* quare antiquis Ecclesiæ temporibus, nec baptisma, nec aliud quodpiam conferebatur Sacramentum, sine Concione.

Resp: Christus cum suos mitteret Apostolos ad Evangelium annuntiandum, voluit ut prius adulti homines fideī præceptis imbuerentur, deinde sacro baptismatis fonte regenerarentur, quam praxim perpetuo servavit Ecclesia, instituendo, & erudiendo Catechumenos, ex quo consequitur doctrinam, instructionemque, veluti neceſsariam in adultis dispositionem præceſsiſse baptismum, non vero cum ipso baptismo fuiſse conjunctum. Unde S Hieronymus, in Caput ultimum Mathæi sic inquit: *Juſsit Apostolis, ut primum docerent omnes gentes, deinde fidei intinge-*

tingerent Sacramento: Et antiquis Ecclesiæ temporibus, Concio habebatur, antequam aliquod adultis Sacramentum ministraretur, sed ideo tantum, ut ad illud cum majori fructu percipiendum disponerentur, non quod pars Sacramenti substantialis eſse censeretur, quare & infantibus, amentibusque, qui concionem percipere non poterant, & adultis etiam ratione utentibus, dum grave imminebat periculum, sine concione, aut exhortatione Sacramenta conferebantur.

ARTICULUS 2dus

De effectibus Sacramentorum.

Quæres 1mo: Qualem efficaciam Sacramentis moderni tribuunt Hæretici?

Resp: Calvinistarum, Lutheranorum, ac cæterorum hujus temporis Hæreticorum palmaris error est, per solam fidem divinarum promiſsionum justificari, ac sanctificari hominem; quare cum unica fides, sit illud instrumentum quo gratia salutaris à Deo percipitur, proindeque nullam vim, aut efficaciam Sacramentis in eſse ad hominem justificandum ac sanctificandum autumnant: quare censent ipsi, *non* alio fine à Christo instituta fuiſse Sacramenta, nisi ad fidem in hominibus excitandam, confirmandam, augendamque, atque hujus intuitu homines justificari ac sanctificarí, gratiamque salutarem consequi opinantur, non ratione ipsorum Sacramentorum, ſed fidei operatione. Unde inter Sacramenta antiquæ legis, ac novæ, omne discrimen tollunt, & quemadmodum Sacramentis antiquæ legis, hoc unicum inerat, quia fidem in venturum Messiam excitabant, & ratione hujus fidei, operibus legis conjunctæ, homines justificabantur, ac sanctificabantur, ita quoque censent ipsi Sacramenta novæ legis, nihil amplius operari, quam fidem divinarum promiſsionum in nobis excitare, quæ sola sanctificat, ac justificat homines. Ex his igitur manifestum efficitur, juxta Lutheranos, ac Calvinistas, tam Sacramenta antiquæ legis, quam novæ, non per se immediate & ratione sui, sed nonnisi per fidem, quam excitant, justificare, sanctificare, idest: ut brevitatis causa loquuntur Theologi, non ex opere operato, sed ex opere operantis, atque Sacramenta novæ legis, à Sacramentis antiquæ legis non discrepare aliqua

qua interna vi, ac efficacia intrinseca, sed hoc unico quia aliæ ſunt & aliæ cæremoniæ, ritusque diversi.

Hos errores profligavit ac condemnavit Concilium Tridentinum, Seſs: 7. Can. 2. *Si quis dixerit, novæ legis Sacramenta, à Sacramentis legis veteris non differre, nisi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit:* & Can: 5. *Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuiſse, anathema sit:* item Can: 8. *Siquis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promiſsionis ad gratiam consequendam ſufficere: anathema sit.* Dogma itaque Catholicum est, Sacramenta novæ legis ex opere operato gratiam conferre.

Quæres 2do: Quid sit, Sacramenta novæ legis, gratiam conferre ex opere operato?

Resp: Sacramenta dicuntur producere gratiam ex opere operantis, cum illa à Deo elargitur propter fidem, & merita sive ſuscipientis, sive conferentis Sacramenta, seu produci gratiam ex opere operantis, est illam à Deo elargiri non ob ritus Sacramentalis à Christo factam institutionem, non ob ritus illius exterius positionem, non ob annexa ipsi Christi merita, sed intuitu probitatis ministrantium, & fidei suscipientium. Sic duo minuta à muliere pauperrima in gasophylacium projecta, ex opere operantis habuerunt prætium singularis, insignisque eleemosynæ.

Dicuntur vero Sacramenta producere gratiam ex opere operato, cum gratia salutaris à Deo datur intuitu ritus externi á Christo instituti, independenter ab omni merito sive suscipientis, sive conferentis Sacramenta, ac proinde producitur gratia vi ac efficacia actionis Sacramentalis, quæ consistit in conjunctione materiæ, ac formæ, atque ipsius debita per legitimum Ministrum applicatione facta, subjecto rite disposito. Inde consequitur, Sacramenta eſse causas instrumentales, quæ non solum vi actionis, ritusque exterioris, sed etiam vi intimæ efficaciæ ipsis ex Christi institutione, atque ipsius meritis competentis, gratiam producunt.

Quæres 3tio: Quibus argumentis probatur Sacramenta novæ legis producere gratiam ex opere operato.

Resp: Sacramenta ex opere operato gratiam producere, auctoritate Sacrarum Scripturarum, & Traditione Ss. Patrum comprobatur. Et quidem 1mo: ex Sacris Scripturis apertiſsime constat, per Sacramenta nos salvos

fieri, exuere veterem hominem, innovari Spiritu Sancto, regenerari, renasci, peccatorum remifsionem accipere, ab iis ablui, donum Spiritus Sancti recipere, Christum induere, ac vitam æternam consequi. Sic Joan. Cap: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Actorum Cap: 2. inquit: Petrus: *Baptisetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remifsionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti:* Annanias etiam Paulo dixit Actorum Cap: 22. *Exurge, & baptisare, & ablue peccata tua:* ac Paulus ipse ad Titum Cap: 3. ait: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti:* Hæc de Baptismo. Jam vero de Confirmatione Actor: Cap: 8. dicitur: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum:* de Eucharistia Joan: Cap: 6. inquit Christus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangvinem, habet vitam æternam* de Pænitentia Joan: cap: 22. clarifsimum habemus testimonium, ibi enim Christus Apostolis ait: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis...* de Extrema Unctione Jacobus Apostolus Cap: 5. Epistolæ suæ aperte testatur, ubi infirmum per Præsbyteros Ecclesiæ jubet inungere oleo in nomine Domini, afseverans, *si in peccatis sit, remittentur ei..* In Ordine etiam per impositionem manuum Præsbyterii gratiam conferri docet Paulus Apostolus 2. ad Timoth: Cap: 6. Tandem de Matrimonio quamvis lara Scripturarum non habeamus testimonia, ipsius tamen gratiam commendat, quod Christus nuptias sua præsentia cohonestaverit; & Apostolus Paulus, Matrimonium vocat magnum Sacramentum in Christo, & in Ecclesia ad Eph: Cap: 5. Certe adducta Scripturarum testimonia, ipsi actioni, rituique Sacramentali attribuunt, regenerationem, renovationem, peccatorum remifsionem, ablutionem, per ipsa Sacramenta docent nos accipere Spiritum Sanctum, donaque ipsius, obtinere gratiam, & vitam consequi æternam. Quamobrem Sacramenta habent veram efficaciam, ac vim intrinsecam, producendi gratiam. Igitur illam producunt ex opere operato,

2do: Eadem Catholica veritas constanti Ss. Patrum Traditione comprobatur. Tertull: libro de Baptismo Cap: 4. inquit: *Supervenit Spiritus de cœlis, & aquis superest sanctificans eos in semetipso, & ita sanctificatæ, vim sanctificandi combibunt*: S. Gregorius Nyfsenus Orat: in Bapti: Christi sic inquit: *Baptisma peccatorum expiatio est, re-*

mifsio

missio delictorum, renovationis, & regenerationis causa: S. August: libro 4 contra Cresconium Cap: 16. ait: *Non eorum meritis, à quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate, atque veritate propter eum, à quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem.* Quæ luce meridiana clarius ostendunt, Baptismum propria vi, ac efficacia constare, idem de ceteris Sacramentis affirmant Ss. Patres, sit pro omnibus Tertulianus libro de Resurr: Carnis Cap: 8. ubi hæc præclara habet: *Caro abluitur, ut anima emaculetur, Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro saginatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut spiritus illuminetur, Caro corpore, & sangvine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur:* Cum itaque ex unanimi Ss. Patrum sensu, Sacramenta sanctificandi vim habeant à Spiritu Sancto, gratiarum sint causæ ex Christi institutione, effectus ipsorum spirituales, neque à meritis ministrantium, neque à meritis suscipientium dependeant, consequens omnino est, Sacramenta ex opere operato gratiam producere.

Obijcies 1mo: Sacramenta sunt signa, & sigilla, at signorum & sigillorum natura hæc est, ut nihil in se contineant, aut inhærente sibi vi efficiant. Cum itaque Sacramenta sint instituta veluti signa, sigillaque gratiæ, eam non efficiunt, nec producunt, sed solum significant, & obsignant. 2do: Si Sacramenta vi aliqua sibi inhærente efficerent id, quod significant, tunc in baptismo ablutio sordium carnis, salvaret baptisatum. Porro id negat Petrus Apostolus Epist: 1. Cap: 3. scribens: *Salvos nos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio:* Non ergo aquæ sordes carnis abluenti, sed bonæ conscientiæ interrogationi gratia salutaris tribuenda est. Jacobus etiam Apostolus non unctioni, sed orationi fidei adscribit ægrotantium levamen, & gratiam: *Oratio fidei salvabit infirmum. 3tio:* Sacramenta operantur virtute dispositionum, quæ in recipientibus reperiuntur, unde quo major, aut minor est in suscipientibus dispositio, eo majorem aut etiam minorem Sacramenta producunt gratiam. Non ergo illam producunt ex opere operato. 4to: Gratiam insita vi conferre solius Dei est, & liberrime illam distribuit prout vult, non est ergo ipsa Sacramentis alligata, neque ipsam insita vi producere posfunt. Certe nullum corporale vi sua efficere potest aliquid spirituale, vel agere in animam hominis. Porro

ritus Sacramentalis, est quid corporeum, gratia, quæ animæ infunditur est spiritualis. Exterior itaque Sacramenti ritus in animam hominis agere nequit, neque gratiam spiritualem in illa producere valet.

Resp: ad 1mum: Sacramenta sunt quidem signa, sed non theoretica tantum, ac significativa, sed & practica, ac efficientia, quæ efficiunt id, quod significant, gratiam inquam quam significant, etiam producunt, ipsamque obsigillant. Namque Sacræ Scripturæ difsertifsime tradunt, per Sacramenta nobis conferri Spiritum Sanctum, nos per illa regenerari, interius renovari, remifsionem peccatorum accipere, ab illis ablui. Igitur signa sunt non solum ad significandam, sed etiam ad producendam gratiam.

Ad 2dum: Petrus Apostolus diserte affirmat, per Baptismum nos salvos fieri, unde ex ipso Baptisma, non vero aliunde exg. ex fide, aut aliis credentium dispositionibus salus repetenda est; quare idem Apostolus, jam credentibus & corde compunctis dixit Actor: Cap: 2. *Baptisetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum.* Et Paulus, certe Christo credidit, dum pergendo Damascum in terram prostratus, lumine cælesti circumfusus est, attamen ad ipsum Annanias sic inquit: *Quid moraris? Exurge, & baptisare, & ablue peccata tua:* Ipsi ergo baptismo remifsio peccatorum, ablutio illorum afseritur. Verum ne quis putaret, id proficisci ex simplici ablutione, qua carnis sordes per aquam emundantur, nam balneum quodlibet id præstare potest, addit Apostolus: *Non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio*, quia scilicet Baptismus salvos nos facit, non quia carnis sordes abluit, sed quia sordes conscientiæ abstergit, emundat, ut jam nihil sit in ea, propter quod vereatur sisti coram Deo, ab eoque interrogari, nihil *siquidem*, ut inquit Paulus ad Romanos Cap: 8vo: *damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.*

Unctio olei à Præsbyteris infirmo data, cum adjunctis Orationibus, totum perficiunt Extremæ Unctionis Sacramentum, merito igitur S. Jacobus Apostolus, & Unctioni olei, & orationi fidei, levamen infirmi, & remifsionem peccatorum adscribit.

Ad 3tium: Sacramenta operantur ut causæ naturales. Jam vero causæ naturales vim atque efficientiam suam exerunt in subjecto capaci, ac disposito, inertes, & prorsus steriles sunt in subiecto incapaci, inepto, atque indisposito, sic ignis aquam, lignaque virida non urit, aqua non

non lavat laterem, quare etiam plus pariunt effectus in subiecto melius disposito, minus in subiecto minus disposito, verum evidentifsimum est nullam ex subiecti dispositione vim aut efficaciam communicari causæ naturali, sed causa naturalis, ubi nullum invenit obicem, obstaculumque, totam vim suam, activitatemque exerit, & secundum totam suam efficaciam operatur. Sic se habent & Sacramenta, vim producendi gratiam ex meritis Christi, & Divina ipsius institutione inditam sibi, atque annexam habent, unde aliquando independenter à quibusvis dispositionibus sive ministrantium, sive suscipientium, effectus suos producunt, hinc valent Sacramenta à pefsimis Ministris, infantibus, aut perpetuo amentibus collata. Sed ordinarie certas in suscipientibus requirunt dispositiones, ut effectus suos operentur, quibus deficientibus, propter obicem, atque obveniens obstaculum, nihil operantur, sed sterilescunt, quia activitas eorum impeditur, sed ex prævii dispositionibus activitatem & efficaciam non hauriunt, sed in se ex Christi institutione illam habent, quia sunt veræ causæ instrumentales, per quas Deus, utpote omnium bonorum primus largitor, gratias in nobis operatur. Unde egregie S. Augustinus Epist: 98. ad Bonifacium sic scribit: *Non enim scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, sive ministrantium fide, sed nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto. Aqua igitur exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ.*

Ad 4tum: Sacramentis vim divinam inditam efse ad producendam in nobis gratiam, id certo scimus; quomodo vero istam gratiam in nobis producant, physice an moraliter, illud plane ignoramus. Deus agens liberrimum est, prout vult gratias distribuit, unde etiam sine Sacramentis pro bona sua voluntate illas largitur. Sed id non vetat voluifse Deum ritibus quibusdam externis, à se selectis easdem gratias alligare, ipsisque vim virtutemque impertire illas producendi. Quod enim res corporea pofsit influere in spiritualem, & vice versa, spiritualis in corpoream, id exemplo animæ, & corporis nostri declaratur, dum ab anima corporis nostri membra moventur, & motus sensuum nostrorum externorum, varias in anima excitant sensationes, atque perceptiones. Equidem solius Dei est, insita virtute, ac independenter, veluti causa primaria, atque ex se gratiam conferre, verum

rum ad id potuit quoque Deus causas coligere secundarias, ritus quosdam instituere, ipsis gratias suas annectere, atque veluti per instrumenta suæ omnipotentiæ, gratias suas hominibus conferre. Quidquid ergo in Sacramentis virtutis est, efficaciæ, ac operationis, id totum â Deo est, vi Christi institutionis.

Dices: Sacramenta nihil quidpiam operantur, nec sanctificant, nec justificant homines, hæc enim omnia soli fidei in Scripturis attribuuntur, unde Apostolus Paulus ad Romanos cap: 3. inquit: *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus*, & multoties repetit: *Justus ex fide vivit.*

Resp: Per aquam in Baptismate peccata ablui, per impositionem manuum sive in Confirmatione, sive in Ordine Spiritum Sanctum dari, gratiamque ipsius conferri, per Inunctionem infirmis levamen afferri, peccata remitti, Sacræ Scripturæ apertiſsime testantur, & unanimi consensu SS. Patres docent, Sacramenta igitur ſanctificant, justificant, gratiamque in nobis producunt. Hæc soli fidei attribui, falsiſsimum est. Verum est, ut docet Apostolus, quia justus fide vivit, per fidem justificamur, quia prima ad justitiam, atque ad vitam æternam per Sacramenta consequendam dispositio, est fides, unde illam primo exigebat Philippus ab Eunucho. Cum enim dixiſset: *Ecce aqua quid prohibet me baptisari?* Respondit illi Philippus. *Si credis ex toto corde, licet.* Quare S. Augustinus vocat: *fidem initium humanæ salutis.* Sed ipsa fides non sanctificat, non salvat, quia dixit Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, & ut credentibus Apostoli peccata dimitterent, Christus *insufflavit*, & *dixit eis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Quæres 4to: Utrum etiam Sacramenta antiquæ legis gratiam contulerint?

Resp: Sacramenta etiam antiquæ legis gratiam conferebant, Enim vero Paulus Apostolus Epist: ad Hebræos cap: 5to docet omnem Pontificem, ac proinde etiam Aronici ordinis, constitui in his quæ sunt ad Deum, *ut offerat dona*, & *sacrificia pro peccatis.* Et quidem ſacrificia pro peccatis instituta fuiſse, liquet ex libro Numerorum, oblata vero ad avertendam Dei indignationem, & statutas scelerum pænas, ex Regum Judæ historiis, librisque Machabæorum discimus. Quare & Levitici cap: 5. ubi de Sacrificiis pro peccatis institutis sermo occurrit, hæc

hæc legimus: *Rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccata ejus, & dimittetur ei*; & cap: 6. ubi Aries pro peccato sacrificandus præcipitur, positum est: *Rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur ei pro singulis, quæ faciendo peccavit.* Sacrificiis itaque veteris legis peccata expiabantur, quod etiam, & potiori jure affirmandum est de illius Sacramentis, lustrationibus, expiationibus, ac aliis. Sacrificia siquidem primario ad cultum supremo Numini exhibendum instituta sunt, Sacramenta vero ad salutem hominum imprimis ordinata sunt, & Sacrificia antiquæ legis, rationem etiam Sacramentorum habuisse compertum est. Si ergo Sacrificia antiquæ legis, peccata expiabant, id potiori jure de Sacramentis ipsius censendum est. Et id docent SS. Patres. Augustinus in Leviticum scribens quæst: 84. demonstrat, nihil prodesse Sacramentum visibile, sine invisibili sanctificatione, affirmatque Moysen sanctificasse visibilibus Sacramentis per Ministerium suum, Dominum vero invisibili gratia per Spiritum Sanctum. A visibilibus ergo Sacramentis, etiam antiquis, Augustinus minime gratiam sanctificationis disjungit. Eadem est sententia S. Leonis Magni Serm: 2. de Pentecost: cap: 4. ubi hæc habet: *Omnes Sancti, qui prioribus fuere temporibus, ejusdem sunt Spiritus Sancti sanctificatione vegetati, & sine hac gratia nulla unquam instituta Sacramenta, nulla sunt celebrata Mysteria, ut eadem semper fuerit virtus charismatum, quamvis non eadem fuerit mensura donorum.* Idem docuit, ac sensit Ambrosius libro 7. in Lucam, ubi sic inquit: *Alibi purificatio, alibi sanctificatio, alibi justificatio est. Circumcisio purificavit, sanctificavit lex, justificat gratia, unus in omnibus, & in uno omnia.* Et certe dici nequit Sacramenta antiquæ legis sine ullo spirituali fructu extitisse, nihilque prorsus contulisse iis, qui pie ad illa, ac recte dispositi accedebant. Omne siquidem pietatis opus, apud Deum meritorium est, consequens igitur est, Sacramenta antiquæ legis, dum pie frequentabantur, aliquid gratiæ spiritualis contulisse, & per piam eorum frequentationem, Judæos gratiam promeruisse, alioquin inutilia prorsus, & sine ratione instituta fuissent, quod dici nequit. Quare S. Augustinus libro 19. contra Faustum cap: 13. comparationem instituens inter Sacramenta antiquæ legis, & novæ. hæc dicit esse *virtute maiora, utilitate meliora*, ergo juxta mentem S. Augustini, & Sacramentis anti-

antiquæ legis, inerat aliqua virtus, utilitasque. Gratiam itaque spiritualem ipsa conferebant.

Quæres 5to: Quomodo ergo Sacramenta antiquæ legis conferebant gratiam?

Resp: Hæretici, novæ legis Sacramenta deprimentes, ea veteris legis Sacramentis adæquant eamdemque eorum statuunt efficaciam, ac proinde nonnisi ritibus inter se differre affirmant, quia aliæ, & aliæ sunt cæremoniæ, quod Concilium Tridentinum reprobavit; sed qualis efficientia Sacramentis antiquæ legis inesset, id non definivit. Neque etiam Eugenius 4tus, qui in sua pro Armenis edita instructione, affirmare videtur Sacramenta antiquæ legis nullo modo gratiam causare potuisse, ac proinde omnem illis vim, ac efficaciam denegare supponitur, aliquod negotium facessere potest, quia compertum est omnibus, Eugenium multa Armenis proposuisse, quæ ad Catholicam fidem minime spectant. Verum communis est Theologorum sententia, antiquæ legis Sacramenta, vim tantum habuisse elargiendi gratiam ex opere operantis, hoc est vi fidei, & pietatis in ministrante, vel suscipiente, non autem ex opere operato, quemadmodum Sacramenta novæ legis, atque istud est principale discrimen inter utriusque legis Sacramenta.

Et quidem 1mo: Sacramenta antiquæ legis non habebant vim largiendi gratiam ex opere operato. Hoc Scripturæ Sacræ auctoritate evincitur. Paulus Apostolus Epist: ad Hebræos cap: 7. inquit: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex*: & cap: 9. de eadem antiqua lege loquens, ait: *Juxta quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem sollummodo in cibis, & in potibus, & variis Baptismatibus, & justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.* Quare ibidem affirmat, sangvinem hircorum, & taurorum, ac cinerem vitulæ, tantummodo ad emundationem carnis inservisse. Cap: 10 docet legem antiquam umbram tantummodo habuisse futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, unde concludit: *Impossibile est sangvine taurorum et hircorum auferri peccata*; ad Galatas vero scribens cap: 4 veteris legis Sacramenta, ac Sacrificia vocat, *infirma, ac egena elementa.* Ex quibus apparet, legem veterem, cuius pars nobilissima Sacramenta erant, & Sacrificia, infirmam fuisse, ad perfectum haud potuisse perducere, umbram solum habuis-

buiſse futurorum bonorum, oblata munera, Sacrificia, & hostias conscientiam non potuiſse emundare, sangvinem taurorum, ac hircorum, ad emundationem solum carnis valuiſse, atque impoſsibile fuiſse, ut per illum peccata tollerentur. Unde consequitur Sacramenta antiquæ legis propria virtute gratiam non contuliſse.

Eadem veritas comprobatur testimoniis SS. Patrum. S. Aug: in Psalmum 73. scribens, sic inquit: *Sacramenta non sunt eadem, cum alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi testamenti dant salutem, Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem*, & Tract: 41. in Joan: 21. de Sacrificiis, quæ in antiqua lege Deus pro peccato offerri mandaverat, ait: *In quibus Sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum*. S. Joan: Chrysost: Orat: de Baptismate Christi, sic inquit. *Judaica expiatio nequaquam à peccatis liberabat, sed à corporis sordibus tantum, nostra vero talis non est, à peccatis liberat, & animam abstergit, & Spiritus gratiam largitur.* Idem docent Basilius, Hieronymus, & cæteri Patres, unde Eugenius 4. in Armenorum instructione, sic inquit: *Novæ legis Sacramenta multum à Sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per paſsionem Christi dandam eſse figurabant, hæc vero nostra, & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.* Hæc igitur si cum adductis Sacræ Scripturæ Testimoniis conferantur, manifestiſsime apparet, Sacramenta antiquæ legis gratiam non ex se, non intrinseca virtute, ac proinde non ex opere operato contuliſse.

2do: Restat igitur, Sacramenta antiquæ legis gratiam contuliſse nonnisi ex opere operantis, id est vi fidei, & pietatis, sive in ministrante, sive in suscipiente. Enim vero Sacramenta antiquæ legis gratiam conferebant, non conferebant ipsam ex se, virtute intrinseca, seu ex opere operato, ergo illam conferebant ex opere operantis, seu vi fidei, ac pietatis, sive in ministrante, sive in suscipiente. Et id ex Scriptura Sacra, & Patribus comprobatur. Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos cap: 3. sic inquit: *Est unus Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Igitur fidei, pietatisque merito, sive in Circumcisione, sive in præputio omnes per Sacramenta justificabantur, ac proinde ex opere operantis. Unde August: libro 2. de Nuptiis inquit. *Eadem fides Mediatoris, salvos, justos faciebat pusillos cum magnis.* Et

ite-

iterum Paulus Epist: ad Hebr: cap: 11. causam afferens cur Deus respexit ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain vero, & ad munera ipsius non respexit, sic inquit: *Fide plurimam hostiam Abel, quam Caim obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est, eſse justus.* Quamobrem manifestum ſit, hostias & munera, quæ veteris legis etiam Sacramenta erant, per ſidem gratiam contuliſse, ac proinde ex opere operantis. Unde S. Augustinus, quæst: 25. in librum Numerorum sermonem de ſacrificiis antiquæ legis instituens, sic inquit de illis: *Quæ, si per seipsa attendantur, nulli peccato poſsunt mederi, si autem res ipsæ, quarum Sacramenta sunt, inquirantur, in iis inveniri poterit purgatio peccatorum.*

Ex his autem omnibus, quæ hucusque adducta ſunt, omnino concluditur, Sacramenta etiam antiquæ legis, gratiam rite ſuscipientibus contuliſse; ſed non eodem modo, quo illam Sacramenta novæ legis conferunt, ſed plane diverso, illa non ex ſe, non virtute interna, non ex opere operato, ſed ſolum vi ſidei, ac pietatis sive in ministrante, sive in ſuscipiente, hoc est ex opere tantum operantis, ac propterea Sacramenta antiquæ legis non fuiſse ejusdem efficaciæ, neque paris virtutis cum Sacramentis novæ legis, quare Paulus Apostolus ad Galatas Cap: 2. inquit. *Si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est:* egregie itaque pronuntiavit S. Ambrosius libro 5. in Lucam. *Etsi est in lege justitia, non est tamen per legem justitia, si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Videlicet: erat in antiqua lege justitia, per Sacrificia, per Sacramenta, ſed quia ipsam non per ſe, non intrinseca virtute operabantur, ſed vi ſidei ac pietatis Ministrantium, atque ſuscipientium, ideo justitia hæc non erat per legem. Sacramenta autem novæ legis ex ſe, virtute intrinseca justitiam operantur, & hoc totum habent ex meritis mortis, ac paſsionis Christi, ac proinde gratis ipse non est mortuus.

Obijcies 1mo: Paulus Apostolus Sacramenta antiquæ legis vocat infirma & egena elementa, atque impoſsibile eſse dicit ſangvine hircorum, & taurorum auferri peccata, nullo ergo modo gratiam conferebant, unde etiam ad Galatas idem Apostolus ſcribens, Cap: 3. absolute pronuntiat, *in lege nemo justificatur.* *2do:* Aut si conferebant gratiam, pari modo id præstabant ac Sacramenta novæ legis. Enimvero, si Sacramenta antiquæ legis

gra-

gratiam conferebant, id non aliunde habebant, nisi quemadmodum Sacramenta novæ legis, ex meritis ſangvinis Christi. Porro eadem virtus est Sangvinis Christi antequam funderetur, ac postquam fusus est.

Resp: ad 1mum: Sacramenta antiquæ legis dicuntur infirma & egena elementa, quia tantæ virtutis non erant, ut per ſe justificarent, unde etiam impoſsibile erat, ut ſangvis hircorum & taurorum, interna vi ac efficacia à peccatis mundaret, quare nemo justificabatur sive per Sacramenta, sive per Sacrificia ex opere operato, justificabantur tamen, alioqui omnes periiſsent, cum tamen multi fuerint justi ac Sancti, ergo per Sacramenta, & per Sacrificia justificabantur, ex opere operantis, ſcilicet: vi ac virtute fidei atque pietatis.

Ad 2dum: Sacramenta antiquæ legis non pari efficacia, ac Sacramenta novæ legis gratiam producebant, alioqui aliud inter ipsa non eſset descrimen, nisi quod sint alii ritus, ac aliæ cæremoniæ, quod Concilium Tridentinum damnavit, dispar ergo est illorum vis, atque efficacia. Verum quidem est, quod ſangvis Christi, antequam funderetur eandem habuerit efficaciam, ac postquam fusus est, ſed Deo ita disponente, ac ordinante, non eodem modo, in antiqua ac in nova lege, virtus ipsius hominibus applicatur, in nova lege per opus operatum, in antiqua per opus operantis.

Quæres 6to: Præter gratiam, quam Sacramenta nobis conferunt, quid amplius illa in nobis operantur?

Resp: Nonnulla Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo, præter gratiam quam conferunt, imprimunt etiam characterem in anima indelebilem, unde iterari ipsa nequeunt. Et id Concilium Tridentinum definivit Seſs: 7. Can: 9. his verbis. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo, scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Ex hac Concilij Tridentini definitione discimus, in tribus tantummodo Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine characterem imprimi, & signum eſse ſpirituale animæ impreſsum, atque indelebile, postremo hæc memorata Sacramenta, propterea iterari non poſse.

Jam vero characteris effectus duplex est. *1mus:* Spiritualem potestatem confert in iis, quæ cultus divini ſunt. Et hæc potestas vel paſsiva est, vel activa. Pas-

siva

siva illa est, quæ ex Baptismo recipitur, qua ad alia recipienda Sacramenta homo idoneus efficitur, notum siquidem est, sine Baptismate ad alia Sacramenta nemini aditum patere poſse. Activa autem ex Confirmatione, & Ordine promanat. Ordo siquidem dat potestatem ad alia Sacramenta conficienda, Confirmatio vero roborat, firmatque, ut quilibet adversus hostes Christiani nominis fidem valeat intrepide profiteri.

2dus: Characteris effectus est, quod unus distingvitur ab alio, per comparationem ad aliquem finem, ad quem ordinatur, qui characterem accipit. Quapropter Baptisma Christianum ab infideli ſecernit, per Confirmationem, veluti Christi milites armamur, ad fidem ipsius publice propugnandam, & ad præliandum adversus hostes nostros ſpirituales. Character autem Ordinis, distingvit á ceteris, qui Sacramentorum non ſunt Ministri.

Characteris existentiam negarunt, primo Wicleffus, & deinceps Lutherus, Calvinus, ac ipsorum aſseclæ. Contra hos Catholicum dogma est comprobandum.

Quæres 7mo: Quibus argumentis probatur existentia characteris Sacramentalis?

Resp: Sacramenta nonnulla, characterem in animabus ſuscipientium imprimere variis probatur argumentis. Et quidem *1mo:* ex Sacris Scripturis. Paulus Apostolus I. ad Corinth: Cap: 1. sic alloquitur. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et ad Ephesios Cap: 1. inquit. *In quo credentes signati estis Spiritu promiſsionis Sancto*: atque Cap: 4. ait. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Hic duo ab Apostolo commemorantur, imprimis unctio gratiæ, quæ per Sacramenta percipitur, & ſecundo signatio, ſeu sigilli, sive notæ impreſsio, quo character designatur. Igitur Sacramenta quædam, præter gratiam quam conferunt ſuscipientibus, characterem quoque animabus eorum imprimunt, quare SS. Hieronymus, Joannes, Chrysostomus, Æcumenius, Theophilactus, citata Pauli verba diserte de Sacramentali charactere exponunt, atque reliquos omnes Sanctos Patres, qui per nonnulla Sacramenta characterem indelebilem imprimi tradiderunt, ad laudata Apostoli verba allusiſse, manifestiſsimum est, qui uno ore docent, per Sacramenta Baptismi, Ordinis, ac Confirmatio-

mationis, fideles signari, insigni vi, sigillum, characterem illis imprimi.

2do; Eadem Catholica veritas auctoritate Sanctorum Patrum corroboratur. S. Cyrillus Hierosolymitanus in præfat: in Cateches: docet quod Baptisma sit: *Captivis libertas, peccatorum remifsio, signaculum Sanctum & indelebile.* S. Gregorius Nanzianzenus Orat: 40. ait: *Baptismus est sigillum, quia consecratio est, ac demonstratio signationis.* S. Ambrosius libro 1. de Spiritu Sancto Cap: 6. hæc habet. *Spiritu signamur, ut splendorem, atque imaginem ejus, & gratiam tenere pofsimus, quod est utique Spiritale signaculum.* Et non tantum per Baptisma characterem imprimi docent Patres, fed & per Confirmationis, ac Ordinis Sacramenta. De Confirmatione inquit S. Cyprianus Epist: 77. *Recens baptisatos sigillo dominico consummato:* & Augustinus, libro 2. contra litteras Petiliani Cap: 104. ait. *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, fed potest efse & in hominibus pefsimis:* de Baptismo & Ordine, libro 2. contra Epist: Parmeniani Cap: 13. hæc habet idem Augustinus. *Utrumque Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud dum Baptisatur, istud cum Ordinatur, ideoque utrumque non licet iterari.* Porro sigillum Domini quo recens baptisati consummantur, character Confirmationis est, quæ statim post Baptismum conferebatur: & consecratio, ex qua Baptismus & Ordo initerabilis redditur, characterem horum Sacramentorum indelebilem demonstrant, & probant.

Et certe femper moris in Ecclesia fuit, ut Sacramenta quædam iterarentur, quædam vero nunquam iterabantur, quamvis ab Hæreticis, Schysmaticis, atque impiis, collata fuifsent, dummodo rite, juxta Ecclesiæ praxim, confecta efsent. Porro nulla discriminis hujus ratio reddi potest, nisi quod hæc characterem indelebilem pariant, illa vero nonnisi gratiam Sanctificantem conferant, quæ cum fæpe amittatur, æquum fuit ut hæc iterari pofsint, non illa.

Quæres 8vo: Quæ igitur Sacramenta imprimunt characterem.

Resp: Tria nonnisi Sacramenta imprimunt characterem, videlicet: Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Sic definitum est in Concilio Tridentino Sefs: 7. Can: 5. & prius adhuc Eugenius 4. idem docuit Armenos, in data

illis

illis instructione. Sed & SS. Patres, atque Concilia non alia ex causa docent, atque statuunt Sacramenta Baptismi, Confirmationis, atque Ordinis non deberi, nec posse iterari, nisi quia characterem imprimunt indelebilem. Et hic sensus, atque doctrina non solum totius Ecclesiæ Latinæ fuit, sed & Græcæ, atque nunc etiam est.

Obijcies 1mo: Characteris Sacramentalis apud veteres ante Petrum Pictaviensem qui anno 1200. obiit, nulla mentio, unde nihil de charactere isto habet neque Magister Sententiarum, neque Hugo Victorinus, neque alii. *2do:* Sacramentorum eadem est vis, & efficacia, aut ergo omnia Sacramenta imprimunt characterem, aut nulla. *3tio:* Nulla est utilitas hujus characteris, quæ enim illi tribuimus, vel gratiæ Sacramentali, vel ipsi Sacramento tribuenda sunt. Gratia enim Sacramentalis nos aptos reddit ad cultum divinum, Sacramenta vero dum illa suscipimus à non suscipientibus nos discernunt. *4to:* Tandem in adstruendo charactere Sacramentali, circulum vitiosum committimus, characterem probamus, ex initerabilitate quorundam Sacramentorum, initerabilitatem Sacramentorum, ex charactere ipsis annexo deducimus.

Resp: ad 1mum: Characteris Sacramentalis multis sæculis ante Petrum Pictaviensem expresse meminerunt, SS. Basilius, Augustinus, & alii. S. Joannes Chrysostomus Homil: 2. in Epistolam ad Ephesios sic inquit: *Charactere Spiritus Sancti, nos insignivi:* alii vero SS. Patres, characterem Sacramentalem, dixerunt, signaculum, signum indelebile. Antiqui etiam Theologi per consecrationem, quam tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine conferri docebant, characterem iis annexum intelligebant, unde Magister Sentent: libro 4. Dist: 7. verba S. Augustini ex libro 2. contra Epistolam Parmeniani transcribens, de Sacramento Baptismi, & Ordinis sic inquit. *Sacramentum est, & quadam consecratione datur, ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterari, quod indubitanter etiam de Confirmatione tenendum est.* Certe per consecrationem propter quam tria hæc Sacramenta iterari non possunt, aliud intelligi nequit, nisi character Sacramentalis. Sed & dist: 24. expresse characterem nominat dicens: *Character ergo spiritualis, ubi fit promotio potestatis, ordo vocatur.* Subditque characterem hunc, Sacrum quoddam signaculum esse. Gratianus quoque de Consecratione Dist:

24.

24. Cap: 41. de iis ſermonem faciens, qui ab Hereticis baptisma receperunt, sic inquit: *Satis eluxit Pastoribus Eccleſiæ Catholicæ, & ovem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem foris accipiebat, venientem ad Christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi, characterem tamen dominicum in eo cognosci potius, quam reprobari. Quando quidem ipsum characterem multi & lupi, & lupis inſigunt.* His manifeste conficitur, antiquis Scriptoribus Ecclesiasticis, & rem, & nomen characteris Sacramentalis notum, ac perspectum fuiſse.

Ad 2dum: Sacramenta omnia habent efficaciam sibi vi divinæ institutionis competentem, in uno genere eandem, quia omnia Sacramenta vel gratiam Sanctificantem dant, vel ipsam augent, in alio vero genere non eandem habent, quia alia præter gratiam imprimunt characterem, alia vero non, quia ſcilicet, ut advertit S. Thomas part: 3. quæst: 63. art: 6. *Sacramenta novæ legis ad duo ordinantur, ſcilicet in remedium peccati, & ad cultum divinum.* Primum omnibus convenit Sacramentis, alterum est proprium Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, horum namque Sacramentorum virtute, homines decorantur, & præordinantur, *ad ſuscipiendum, vel aliis tradendum ea, quæ ſunt cultus divini*, ut inquit idem Angelicus Doctor.

Ad 3tium: Characteris Sacramentalis effectus, non minimi sunt momenti. Jus tribuit in Baptismo ad alia Sacramenta percipienda, in Ordine dat potestatem ad Sacramenta conficienda, cæterisque administranda, in Confirmatione, nos roborat, firmatque, ut adversus hostes Christiani nominis strenuæ decertemus. Tandem character Sacramentalis, veluti splendido signaculo, nos à cæteris omnibus secernit, qui illo non sunt insigniti. Non inutilis ergo est character Sacramentalis. Hæc namque omnia tribui non poſsunt, neque gratiæ divinæ, quæ nullum jus, nullamque ad divina exercenda mysteria tribuit potestatem, neque exteriori Sacramentorum ritui, quia is cum permanens non sit, sed brevi temporis spatio perficiatur, stabiliter ac permanenter secernere non potest eos, qui illa receperunt Sacramenta quæ characterem imprimunt, ab iis, qui ea non receperunt.

Ad 4tum: Circulus vitiosus committitur, quando idem ex eodem, secundum eundem respectum deducitur, causa, ex eadem cáusa, effectus ex eodem effectu probatur, non est vero circulus vitiosus, cum causa ex effectu, & ex

ex effectu causa demonstratur, quemadmodum hic fit. Enim vero dum affirmamus tria Sacramenta, Baptismum scilicet, Ordinem, & Confirmationem, characterem indelebilem imprimere, eo quod non iterantur, tunc causam ex effectu probamus, cum vero dicimus illa Sacramenta non iterari, quia imprimunt characterem, tunc effectum ex causa demonstramus. Præterea dum affirmamus prædicta Sacramenta, & characterem imprimere, & iterari non poſse, hoc ideo, quoniam id nos edocent Scriptura & Traditio, atque Ecclesiæ catholicæ confirmat auctoritas.

Quæres 9no: Quid sentiendum est de Cæremoniis, quas in administrandis Sacramentis usurpamus?

Resp: Cæremoniæ, sunt ritus externi, & religiosi, à Christo, vel ab Apostolis, aut etiam ab Ecclesia instituti, ad sacra cum majori decentia, devotione, & solemnitate peragenda. Quare cæremoniæ, quæ in administrandis Sacramentis adhibentur, aliæ sunt ab ipso Christo Domino institutæ, ac propterea divinæ dicuntur, illæ autem ſunt, quæ materiam, formam ac Ministrum spectant: aliæ ſunt ab Apostolis, eorumque immediatis Succeſsoribus constitutæ, & illas Apostolicas nominamus, & istiusmodi ſunt omnes illi ritus, qui ab universa Ecclesia retinentur, & quorum initium ostendi nequit, illi enim ab Apostolis dimanaſse jure creduntur. Denique aliæ ſunt cæremoniæ, quas Ecclesia ipsa præscripsit, & istæ Ecclesiasticæ vocitantur. Cæremoniæ, quæ à Christo institutæ ſunt, immutabiles ſunt, atque Sacramentis eſsenciales. Quæ ab Apostolis, eorumque immediatis Succeſsoribus dimanarunt, omni quoque veneratione dignæ ſunt. Tandem quas Ecclesia constituit, laudabiles, ac venerandæ ſunt, illasque quemadmodum Ecclesia instituit, ita quoque eas immutare potest.

Wicleffus illas quoque rejecit Cæremonias, ac sacros ritus, qui ab Apostolorum tempore, in Sacramentis administrandis usurpati sunt, veluti in Baptismo Chrismatis inunctio, fontis consecratio. Lutherus & Calvinus, aliquas cæremonias, quæ vel præceptum habent in Sacris litteris, vel exemplum, admittunt, atque Ecclesiam, quæ ad earum attinent ordinem, poſse decernere, non diffitentur, verum institutos ab Ecclesia ritus, omnino repudiant, ac tamquam superstitiosos aspernantur. Hunc illorum errorem damnavit Concilium Trident: Seſs: 7. Can: 13. his verbis: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione*

tione adhiberi consvetos, aut contemni, aut sine peccato á Ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari poſse, Anathema sit.

Quœres nomo; Utrum Ecclesia habeat potestatem instituendi Sacras Cœremonias, quœ in administrandis Sacramentis adhiberi debeant?

Resp: Ecclesia habet omnimodam, & plenam potestatem instituendi, atque ordinandi Sacras Cæremonias, quæ in administrandis Sacramentis adhiberi debeant. Enimvero id potest Ecclesia, cujus faciendi exemplum accepit à Christo, & ab Apostolis. Porro Ecclesia exercendi, ac proinde etiam instituendi Sacras Cæremonias, exemplum atque normam accepit â Christo, & ab Apostolis. Christus namque licetsi absque ulla exteriori actione, sed ſolo nutu, ac voluntatis interiori actu, mentes & corpora ſanare potuerit, ad id tamen quosdam exteriores adhibuit ritus. Sic Apostolis daturus Spiritum Sanctum insufflavit in eos, Cælum ascensurus elevatis manibus benedixit eis. Ex sputo lutum fecit, & digitos in aures misit, ut cæco, & surdo mederetur. Idem exemplum Apostoli Ecclesiæ præbuerunt, seu cum præceperunt ut Gentiles ad fidem conversi abstinerent à ſuffocato, & ſangvine, ſeu cum ea, quæ ad decentem Sacramentorum administrationem constituerunt, prout illos reipsa constituiſse S. Augustinus colligit, ex verbis Apostoli Pauli Epist: I. ad Corint. cap: XI. scribentis. *Cætera cum venero, disponam*, ubi de Eucharistia sermonem instituens, ipse decernere voluit, quæ ad Sacramentum hoc decore, & sancte administrandum, vel suscipiendum magis opportuna judicabat. Certe ritus præcipui, ac cæremoniæ, quas in administratione Sacramentorum usurpat Ecclesia, veluti crucis signationes, salis, aquæ, ceterorumque benedictiones, exorcismi, insufflationes antiquiſsimæ sunt institutionis, & merito ab Apostolis dimanare censentur, unde illarum expreſse meminerunt SS. Patres. Justinus Martyr, Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius, Hieronymus, Augustinus, & reliqui omnes.

Et vero non minor est in condendis, atque instituendis ritibus Ecclesiæ Catholicæ potestas, quam olim fuerat Synagogæ Judæorum. Jam vero Synagoga Judæorum, ſacros sibi ritus instituebat, de quibus nihil per Moysem Deus ordinaverat. Sic in libro Esther instituitur

festum ſortium, in libro Judith nova ſancitur ſolemnitas in memoriam prostrati Holofernis, libro 1. Mahab: cap: 4. indicitur solemnitas dedicationis Templi. Tandem libro 2. Esdræ cum novis cæremoniis indicitur dedicatio muri Civitatis Hierusalem. Cum itaque Synagoga Judæorum de novo multos ſacros ritus sibi instituerit, Christus Ecclesiæ ſuæ ſacras instituendi cæremonias exemplum ac formam dederit, ac tandem SS. Apostoli multos ritus ad decentem Sacramentorum administrationem instituiſse creduntur. Indubitatum ergo est Ecclesiam Catholicam habere potestatem Sacras instituendi, ordinandique cæremonias, quæ in administrandis Sacramentis adhibeantur.

Quæres xxmo. An pie & laudabiliter Ecclesia sacras cœremonias instituerit?

Resp: Ecclesia Catholica, pie & laudabiliter multas ſacras Cæremonias instituit, quæ omnino retinendæ, & fideliter observandæ sunt. Cum enim Ecclesia habeat potestatem ſacras cæremonias instituendi, & illas reipsa non sine graviſsimis causis instituerit, omnino retinendæ, & fideliter observandæ sunt. Ecclesiæ siquidem obedire, Christi mandatum est, ipsamque audire nolle, juxta Salvatoris effatum, est Ethnicum, ac publicanum fieri. Et vero omnes Sacræ cæremoniæ, veneranda antiquitate condecorantur, paucis exceptis, ab Apostolorum temporibus initium ducunt, ab ipsis Apostolis, aut eorum immediatis Succeſsoribus originem suam trahunt.

Neque etiam ſacræ cæremoniæ carent utilitate, imo maximum Catholicæ Eccleſiæ adferunt emolumentum. Namque cæremoniæ sunt medium efficaciſsimum ad fidem nostram conservandam, & reipsa exorcismi in Baptismo ostendunt homines nasci filios iræ, atque peccati originalis existentiam comprobant, preces demonstrant ad bona opera perficienda divinæ gratiæ neceſsitatem. Quamdiu durat Miſsæ ſacrificium de reali præsentia Christi Domini in Eucharistia certificamur. Nativitatis, & Paschatis ſolemnitates, firmiſsimum semper erunt argumentum ad ostendendum Christum Dominum pro salute nostra natum fuiſse, paſsum, & mortuum. Cinerum impositio de pænitentiæ neceſsitate nos admonet, & de brevi vitæ nostræ termino nos commonefacit. Totum Quadragesimæ officium ponit ante occulos nostros, cum quanta solicitudine Cathechumæni ad Baptismum, pænitentes ad absolutionem disponebantur. Tandem ſacræ cæremoniæ ad Divini cultus decentiam, splendoremque multum conferunt.

Ru-

Rudium intelligentiam adiuvant, ad Divina Mysteria facilius, atque rectius percipienda. Movent ad pietatem, & animum per visibilia erigunt ad invisibilia. Merito itaque Concilium Tridentinum Sefs: 21. cap: 2. definivit. *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuiſse, ut in Sacramentorum dispensatione ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, sive ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaverit.*

Objicies 1mo: Ritus ab Ecclesia in usum afsumpti, a Gentilium superstitione originem suam trahunt. *2do:* Multitudo, pompa, & splendor Cæremoniarum, quæ animum & sensus humanos rapiunt, res ipsas Divinas obscurat.

Resp: ad 1mum: Gentiles habuerunt templa publica, Minstros, Preces, an ideo hæc abijcienda sunt? Minime. Quamobrem etsi Ecclesia nonnullos haberet ritus, à Gentilibus derivatos, quod tamen minime verum est, non inde tamen redarguenda est, quod enim illi ad falsorum Deorum cultum usurpabant, in supremi Numinis venerationem ipsa consecravit. Ceterum plures ritus ad eliminandas Gentilium superstitiones, ab Ecclesia fuiſse institutas, certiſsimum est.

Ad 2dum: Multitudo, & pompa ſacrarum Cæremoniarum, res Divinas non obscurant, imo ad illarum dignitatem facilius percipiendam multum adiuvat, atque commovet.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTIS BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS.

CAPUT PRIMUM

De notione, institutione, materia, ac forma Baptismi.

ARTICULUS Imus

De notione, & institutione Baptismi.

Quæres Imo: Quid nomine Baptismi intelligi debet?

Resp: Baptismus nomen græcum est, & mersionem, lotionem, significat, & Baptiso idem est, ac intingo, lavo. Sic intelligenda sunt, Marci cap: 7. Baptismata Calicum, & urceorum, æramentorum, & lectorum, nec non lotiones illæ, quibus ante cibum Judæi uti consveverant. Figurate autem & metaphorice nomen Baptismi ad designandam remifsionem peccatorum, & Spiritus Sancti dona sumitur. Math: cap: 3. dum Spiritu Sancto, & igne à Christo Baptisari credentes prædicuntur. Accipitur etiam Baptismus pro calamitatibus, & afflictionibus, atque etiam ad Sangvinis effusionem denotandam usurpatur, sic Lucæ cap: 12. inquit Christus: *Baptismo habeo baptisari.* Tandem nonnumquam sumitur pro voto, seu ardenti desiderio ipsius Baptismi, unde triplex discernitur Baptismus, flaminis, fluminis & sangvinis. Baptismus flaminis est ardens suscipiendi baptismi desiderium, dum homo contritus, baptisari desiderans; lachrymis intimi doloris perfusus, abluitur. Baptismus sangvinis est, dum quis proprio sangvine, illum pro Christo effundendo, baptisatur

satur, quare dixerat Christus discipulis Marci cap: 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptisor, baptisari?* eo ſenſu S. Basilius ſcripsit, Martyres multos in proprio ſangvine baptisatos fuiſse. Baptismus fluminis est ille, qui recipitur per ablutionem aquæ, sub expreſsa SS. Trinitatis invocatione, Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Proprie tamen unus est Baptismus fluminis, desiderium autem Baptismi, & Martyrium, Baptismi nomine decorantur, quoniam in neceſsitatis casu, ſangvis pro Christo effusus, & contritio vehemens cum Baptismi desiderio, ejusdem poſsunt effectum ſupplere. Variis autem nominibus Baptismus fluminis solet insigniri, nimirum vocatur *fidei Sacramentum*, *lavacrum regenerationis*, item *Sacramentum illuminationis, janua Sacramentorum*, *secunda nativitas*, & aliis bene multis designatur appellationibus.

Quæres 2do: Quomodo igitur definiri debeat Baptismi Sacramentum?

Resp: Heterodoxi varias Baptismi excogitarunt definitiones. Sociniani, Baptismum definiunt, quod sit ritus exterior, quo homines à Judaismo, vel gentilismo ad Christianam Religionem accedentes, manifeste profitebantur, se Christum pro suo Domino agnoscere. Lutheri sequaces, veluti Melanchton affirmat, Baptismum eſse signum, quo Deus nobiscum agit, & nos recipit in gratiam. Calvinus vero Baptismum dicit eſse signum initiationis, quo in Ecclesiæ cooptamur societatem, ut Christo insiti, inter filios Dei censeamur. Sed istiusmodi Hæreticorum definitiones, à Catholica veritate prorsus alienæ sunt. Enim vero si valerent istiusmodi definitiones, Baptismus solam contineret Christianæ religionis profeſsionem, nullumque amplius de recipiendo Baptismate extaret Christi præceptum, alius quoque non eſset Baptismi effectus, quam cooptatio baptisati in visibilem Ecclesiam, quod tamen falsiſsimum est, quia per Baptisma regeneramur, a peccatis abluimur, donaque Spiritus Sancti multiformia, consequimur. Præterea non solo Baptismo, sed præterea variis, ac diversis modis nobiscum Deus agit, nosque in gratiam recipit. His itaque erroneis Hæreticorum reiectis definitionibus, hanc brevem cum Catechismo Romano, ex Sacris litteris depromptam damus Baptismi definitionem. *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.*

Quæres 3tio: Quis, & quando Baptismum instituit?

Resp;

Resp: Christum Dominum Baptismi Sacramentum instituiſse, res adeo perspicua est, atque tot roborata Scripturarum testimoniis, ut tempus in vanum tereret, quisquis onus, id probandi, aſsumeret. Attamen de tempore quo Christus Baptismum instituit, non exigua est difficultas. Alii namque contendunt, post Christi resurrectionem Baptisma institutum eſse, cum Math: cap: 28. Apostolis dixit. *Euntes docete omnes gentes, Baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & huius sententiæ eſse videntur S. Joannes Chrisoſtomus, Leo, Theophilactus, Euthymius, & alii. Sed ante Paſsionem à Christo Baptisma fuiſse institutum docent SS. Augustinus, Tract: 5. in Joannem, & S. Thomas Doctor Angelicus part: 3 qæst: 66. Art: 2. atque hæc sententia Sacris Scripturis magis consona videtur. Enimvero Joan: cap: 3 legimus: *Post hæc venit Jesus, & disciputi ejus in terram Judæam, & illic demorabatur eum eis, & Baptisabat*, & cap: 4. habemus positum: *Quamquam Jesus non Baptisaret, sed discipuli ejus.* Quamobrem cum ante Christi resurrectionem ejus discipuli iam baptisarent, neceſse est, iam tunc institutum fuiſse Baptisma. Hinc S. Augustinus Tract: 5. in Joannem, inquit: *Quamvis ipse non Baptisaret, sed discipuli eius, ipse, & non ipse, ipse potestate, ille Ministerio, servitutem illi ad baptisandum admovebant, potestas Baptisandi in Christo permanebat*, ex quo non minus consequitur, Apostolos non Joannis, sed Christi laviſse Baptismo, secus non fuiſset Christus, qui Baptisaret, ut affirmat Augustinus, sed Joannes potius, si illius Baptisma contuliſsent Apostoli, unde etiam Joannis Baptistæ discipuli conqueruntur de Christo dicentes: *Cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic Baptisat*, aliud ergo iam erat à Christo institutum Baptisma, diversum à Joannis Baptismate, & illud Apostoli conferebant.

Verum & ipsi Theologi, qui ante Christi Paſsionem Baptisma à Christo institutum fuiſse volunt, adhuc inter se diſsentiunt. Multi censent id contigiſse, cum in Jordane Christum baptisavit Joannes, tunc enim aquas, vim accepiſse à peccatis emundandi, & gratiam ſanctificantem elargiendi, SS. Patres tradunt, atque cum apertum est Cælum, præsignatum etiam fuiſse, Cæli ianuas, quæ per peccatum nobis erant occlusæ, fuiſse tunc reseratas. Alii id factum fuiſse putant, cum Christus Nicodemo dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Plures contendunt

dunt, solemnem quamdam Baptismi designationem tunc fuiſse factam, cum Christus in Jordane voluit à Joanne Baptisari, sed veram, ac propriam illius institutionem tunc contigiſse dicunt, quando in mundum universum misit discipulos suos, ut omnes gentes docerent, ac baptisarent, quare S. Thomas in 4. Sentent: dist: 3. quæst: 2: Art: 5. cum de Baptismi designatione in Jordane facta instituiſset sermonem, inquit: *Sed usus fuit inchoatus quando Christus Discipulos ad prædicandum, & baptisandum misit.* Verum res hæc tanti momenti non est, ut plura de ea dicantur.

Quæres 4to: Quid sentiendum sit de Joannis Baptismo?

Resp: Petilianus Donatista unum eſse dixit Christi, & Joannis Baptisma, gradibus tantum inter se discrepans, contendebat siquidem Joannem aqua, Christum Spiritu, Paracletum vero igne Baptisaſse, hæc tamen tria unum efformaſse Baptisma. Zwinglius, Calvinus, Melanchton, & alii quam plurimi Lutheri sequaces, Baptismum Joannis, & Christi pro uno eodemque reputandum eſse censent, quia scilicet pravo inhærentes systemmati quod sola fides justificet, & Sacramenta Divinarum promiſsionum signa tantummodo sunt, & sigilla, putant ipsi Joannis & Christi Baptisma, eadem prorsus ratione gratiam remiſsionis peccatorum absignaſse, atque eiusdem prorsus fuiſse efficaciæ, eſsentialemque eſse utriusque Baptismi identitatem. Hunc sacrilegum errorem Concil: Tridentinum Seſs: 7. Can: 1. damnavit his verbis: *Si quis dixerit Baptismum Joannis habuiſse eamdem vim, cum Baptismo Christi, anathema sit.* Dogma itaque Catholicæ fidei est, Baptismum Joannis non eandem habuiſse vim cum Baptismo Christi, sed cuius ipse fuerit efficaciæ, an non etiam ipse aliquomodo remiſerit peccata, licet diversa ratione ac illud præstabat, & nunc etiam præstat Baptisma Christi, id ab Ecclesia non est definitum. Certe S. Augustinus libr: 5. contra Donatistas, Cap: 10. quamvis arbitretur Baptisma Joannis non deleviſse peccata, nihilominus non omnem ei denegat efficaciam, unde scribit. *Ne quisquam contendat, etiam in Baptismo Joannis dimiſsa eſse peccata, sed aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos juſsit Apostolus denuo baptisari per Baptismum Christi eſse collatum, non ago pertinaciter.*

Quæres 5to: Quibus argumentis probatur non eamdem

dem fuisse vim, ac efficaciam Baptismi à Joanne instituti, ac Baptismi Christi?

Resp: Id maxime ex sacris Scripturis comprobatur. Enimvero Joan: cap: 1. Baptista Joannes suum Baptisma, ab eo, qui Christi est, aperte distingvit, dicens. *Qui misit me Baptisare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptisat in Spiritu Sancto*, & Lucæ cap: 3. hæc habemus. *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus. Respondit Joannes dicens omnibus. Ego quidem aqua baptiso vos, veniet autem fortior me, cuius non sum dignus solvere, corrigiam calceamentorum eius. Ipse vos baptisabit in Spiritu Sancto, & igne.* Eadem habet Mahtæus, & Marcus. In his vero, quemadmodum Joannes suam personam discernit à persona Christi, ita quoque Baptisma suum distingvit à Baptismate Christi, & quidem ex ratione virtutis, ac efficaciæ longe maioris, ac potentioris, quia scilicet ipse tantum Baptisabat in aqua, Christus vero baptisaturus erat in Spiritu Sancto & igne, unde etiam Christum fortiorem se esse confitetur, atque inde infert, ipsum Baptisaturum in Spiritu Sancto, & igne: quo manifeste ostendit, quemadmodum Spiritus, & ignis fortiores sunt aqua, ita Baptisma Christi potentioris fore virtutis, ac fuit ab ipso institutum.

Et vero si finem attendamus, propter quem institutus fuit Baptismus Joannis, illum à Baptismate Christi longe distare reperiemus. Baptismus namque Joannis institutus fuit, ut homines ad Christi adventum præparentur, eumque veluti suum Redemptorem agnoscerent. ut ipse Baptista confessus est, Joan: cap: 1. *Ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea ego veni in aqua Baptisans*, quare Baptisabat *in pœnitentiam*, ut dicitur Math: cap: 3. quia scilicet per Baptismum pænitentiæ, *parabat Domino plebem perfectam*, quemadmodum agit S. Lucas cap: 1. Jam vero Baptismus Christi institutus fuit, ut renati ex aqua & Spiritu Sancto, possimus introire in Regnum Cælorum, ut baptisati, & Credentes salvi efficiamur. Unicum ergo, & omnino necessarium salutis medium est Christi Baptismus, quod de Baptismate Joannis nulla ratione affirmari potest. Non ergo ejusdem virtutis, aut paris efficaciæ erat Baptismus Joannis, ac Baptismus Christi.

Eadem Catholica veritas, inde vel maxime confirmatur

matur, quod ii, qui Baptismum Joannis receperant, rursus Baptismo Christi abluti fuerunt, cuius rei luculentissimum testimonium habemus in actis Apostolorum cap: 19. Paulus siquidem, Ephesi quosdam inveniens discipulos dixit: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum, sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo Baptisati estis? Qui dixerunt in Joannis Baptismate. Dixit autem Paulus. Joannes Baptisavit Baptismo pœnitentiæ populum dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. His auditis Baptisati sunt in Nomine Domini Jesu.* Profecto si unus, idemque esset uterque Baptismus, eadem utriusque virtus, ac efficacia, non jussisset Paulus eos, qui Joannis Baptisma receperunt, Baptismo à Christo instituto denuo baptisari. Sed & adducto facto, atque citatis Pauli Apostoli verbis aperte declaratur, Baptismum Joannis, fuisse Baptismum pænitentæ tantum, Baptisma vero Christi, est lavacrum regenerationis, renovationis. Spiritus Sancti, ut scribit idem Apostolus ad Titum cap: 3. atque ipso â peccatis abluimur. Joannes Baptisavit in eum, qui venturus erat post ipsum, ut crederent in Jesum, erat igitur nonnisi præparatio ad adventum Christi, ut in illum crederent, at vero ut docet idem Apostolus ad Romanos cap: 6. *Quicunque Baptisati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius Baptisati sumus*, quia scilicet merita mortis ipsius per Baptismum nobis applicantur, quare ulterius sic inquit Paulus. *Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Hic præcipui Baptismi à Christo instituti recensentur fructus ac effectus, quia scilicet sepulta sunt peccata nostra, ideoque necesse est, ut cum Christo Spiritualiter resurgamus, atque in novitate vitæ ambulemus. Cum itaque alii, ac prorsus diversi fuerint effectus, fructus, finisque Baptismi Joannis, ac Baptismi à Christo instituti; re, vi, atque efficacia omnino inter se discrepant.

Hanc ipsam veritatem unanimi consensu tradunt SS. Patres, atque adducta mox ex Sacris litteris argumenta corroborant S. Hilarius in Mathæum scribens, docet, Baptismum Joannis in pænitentiam institutum fuisse, Christi vero in salutem. S. Basilius libro de Spiritu Sancto. cap: 5. sic inquit: *Illinc cognoscitur, quantum inter eam gratiam, quæ à Spiritu proficiscitur, & Baptismum eum, qui aqua tantum constabat, sit discriminis, quod Joannes quidem*

dem Baptisavit aqua, Dominus autem Jesus Christus in Spiritu Sancto. Gregorius Magnus in Evangelia scribens libro 1. Homil: 7. hæc habet. *Joannes non Spiritu, sed aqua Baptisat, quia peccata solvere non valens, Baptisatorum corpora per aquam lavat.* Hieronymus adversus Luciferianos sic loquitur. *Audi, quid Scripturæ doceant, Joannis Baptisma, non tam peccata dimisit, quam penitentiæ Baptisma fuit, in peccatorum remiſsionem, id est futuram remiſsionem, quæ eſset postea per sanctificationem Christi subsecutura.* Idem docent reliqui omnes Patres. Ex quo manifeste consequitur non eandem fuiſse vim, ac efficaciam utriusque Baptismi Christi, & Joannis, sed plane diversam.

Objicies 1mo: Baptismo Joannis æque ac Baptismati Christi tribuitur remiſsio peccatorum. Lucas cap: 3. de Joanne inquit: *Venit prædicans Baptismum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum.* Petrus vero de Baptismate Christi Actor: cap: 2. ait. *Baptisetur unusquisque vestrum in Nomine Jesu Christi in remiſsionem peccatorum.* *2do:* Quod Christus Baptisaturus erat in Spiritu Sancto, cum Joannes ſolum in aqua Baptisaſset, non ponit discrimen inter Christi, & Joannis Baptismum, quia per Baptismum in Spiritu Sancto, & igne non intelligitur Baptismus in aqua à Christo institutus, sed ille Baptismus, quo per effusionem donorum Spiritus Sancti in lingvis igneis, Baptisati sunt Apostoli, unde dixit Christus Actor: cap: 1. *Joannes quidem Baptisavit aqua, vos autem Baptisabimini Spiritu Sancto, non post multos hos dies.* Inter hæc Baptismata statuitur discrimen, non inter illa.

Resp: ad 1mum: Vis, ac efficacia utriusque baptismatis non iisdem in Sacris Scripturis exprimuntur verbis, de Baptismo Christi dicitur, simpliciter, quod sit in remiſsionem peccatorum. *Baptisetur unusquisque vestrum in remiſsionem peccatorum*, quia ſcilicet per ipsum Baptisma peccata dimittuntur, unde etiam alibi per ipsum peccata ablui dicuntur, qua de causa lavacrum dicitur, de Baptismo vero Joannis enuntiatur, quod sit, Baptismus *pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum*, quia ſcilicet ipse peccata non delebat, ſed futuram peccatorum remiſsionem in Christi baptismate consequendam prænuntiabat. Et hæc est interpretatio Patrum. Tertullianus libro de Baptismo Cap: 10. inquit: *Prædicabat Baptismum pœnitentiæ in remiſsionem delictorum, in futuram remiſsionem enuntiatum*, item Augustinus libro 5. de Baptismo Cap:

10.

10. ait: *In remiſsionem peccatorum, ut ab eo Baptisatis in spe remitterentur peccata, reipsa vero in Domini Baptismo fieret.* Igitur Baptismus Joannis erat in remiſsionem peccatorum proxime futuram per Christum, ad quem digne ſuscipiendum, populus ad pænitentiam voce Præcursoris excitatus, disponebatur. Dici etiam potest, Baptismum Joannis fuiſse in remiſsionem peccatorum, non quia vi ac efficacia ipsius peccata dimittebantur, quemadmodum fit in Baptismate Christi, ſed quia virtute pænitentiæ, quam ad Baptisma Joannis accedentes, & actus etiam ſuos, sive peccata confitentes, profitebantur, peccatorum ſuorum à Deo veniam obtinebant, unde Chrysostomus Homil: 11. in Math: de Joannis Baptismo, inquit: *Nec illud quidquam amplius habere demonstrat, quam ut eos ad pœnitentiam duceret, non enim dicit in aqua remiſsionis, ſed pœnitentiæ.*

Ad 2dum: Cum multiplici ſensu Baptismus ſumatur, nomine baptismi, figurate & metaphorice, effusio donorum Spiritus Sancti intelligi potest, unde dixit Christus Apostolis ſuis, *baptisabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*, prænuntians brevi futurum in eos Spiritus Sancti descensum, qui die Pentecostes contigit, cum apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto. Verum dum Joannes discernit Baptismum ſuum à Baptismate Christi, ex eo quod ipse in aqua tantum baptisaverit, Christus vero baptisaturus erat in Spiritu Sancto & igne, loquitur de proprie dicto Christi Baptismate quem & ille in aqua ſuperaddita ipsi Spiritus Sancti efficacia instituturus erat. Enimvero Christus reipsa instituit Baptismum in aqua & Spiritu Sancto, dixit enim Nicodemo Joan: Cap: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, ab hoc ergo Baptismo discernit ſuum Baptismum Joannes, ex eo quod ipse eſset tantummodo in aqua, quare iterum inquit ille: *Qui misit me baptisare in aqua, ille mihi dixit. Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem ſuper eum, hic est, qui baptisat in Spiritu Sancto.* Revera Christus sive per ſeipsum, sive per discipulos ſuos baptisabat in aqua, & Spiritu Sancto, Baptismo ſcilicet eo, quod ipse instituerat, & quo homines ex aqua & Spiritu Sancto renascebantur, ab isto ergo Christi Baptismate, ſuum Joannes discernit Baptisma, quod discrimen in eo positum erat, quia Joannis Baptismus in ſola aqua erat, Christi

vero

vero Baptisma in aqua, & Spiritu Sancto. Unde S. Ambrosius in Lucam ſcribens, libro 2. sic inquit. *Aqua corpus abluitur, Spiritu animæ delicta mundantur. Non enim aqua omnis ablutio, ſed hæc inter ſe divisa eſse non poſsunt, ideo aliud fuit Baptisma pœnitentiæ, aliud gratiæ est. Istud ex utroque, illud ex uno.*

Dices: Cur ergo Joannes Baptismum Christi, quem ſuo opponit Baptismati, dicit, futurum eſse in igne, quod Baptismo in aqua à Christo instituto non convenit?

Resp: Quia quemadmodum aqua lebeti infusa, & ad ignem apposita urendi vim induit, ita in Baptismate Christi aqua ex Spiritus Sancti virtute efficaciam mundandi, atque abluendi acquirit, quare Cyrillus in Joannem ſcribens, sic inquit. *Spiritus efficacitatem ſensibilis aqua ad divinam quamdam & ineffabilem vim transformatur.*

Quæres 6to: Baptisma Joannis eratne Sacramentum?

Resp: S. Augustinus, Joannis Baptisma Sacramentum vocat, quia scilicet signum erat rei Sacræ institutum divinitus, Christi præfigurans Baptismum, quare Cyrillus Alexandrinus libro 2. in Joannem Cap: 57. inquit. *Baptismus Joannis ad Baptismum Christi collatus, præparationis vim obtinet*, attamen Sacramentum proprie dictum non erat, quia ritu constanti non fuit institutum, cum nonnisi eousque durare debuerat, quousque Christus ſese manifestum faceret, & neque ad veteris, neque ad novæ legis Sacramenta pertinuerit, neque etiam gratiæ conferendæ vim obtinebat.

ARTICULUS 2dus

De materia, & forma Baptismi.

Quœres 1mo: Quæ sit materia Baptismi?

Resp: Materia Sacramenti Baptismatis, alia est proxima, alia remota. Remota est aqua naturalis, proxima ablutio, quocunque fiat modo sive immersione, perfusione, sive tandem aspersione.

Circa utramque Baptismi materiam multipliciter errarunt Hæretici. Et quidem Manichæi aquam à principio malo creatam fuiſse effutientes, in aqua datum Baptisma repudiabant, Seleuciani, etiam & Hermiani, aquæ Baptismum reprobant. Flagellantes aquæ substituebant ſan-

ſangvinem, Flagellis ex corpore effuſum. Nonnulli ignem aquæ miſcebant. Quidam in oleo, allii in vino, nonnulli deficiente aqua, in cerevisia Baptismum administrabant. Lutherus, quidquid balnei loco est, pro Baptismo idoneam materiam eſse reputabat. Theodorus Besa, quovis liquore, non minus rite quam in aqua Baptismum administrari poſse contendebat. Tandem quidam ob intermisſum trinæ immersionis ritum, Ecclesiam Latinam acriter reprehendunt, statuentes per trinam immersionem Baptisma omnino conferendum eſse.

Quæres 2do: Utrum ſola aqua sit materia Baptismi?

Resp: Juxta Christi institutionem, ſola aqua naturalis est neceſsaria Baptismi materia. Enim vero mittens Christus Apostolos ſuos in universum mundum dixit eis. *Euntes docete omnes gentes, Baptisantes eos.* Porro is baptisandi ritus, ex verbis ejusdem Christi ad Nicodemum dictis Joan: Cap: 3. in aqua perficiendus erat. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Igitur aqua naturalis est materia Sacramenti Baptismi. Præterea aquam ad baptisandum adhibuerant Apostoli. Sic Actor: Cap: 10. Petrus Cornelium, ejusque domesticos Baptisaturus dixit. *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non Baptisentur hi.* & Ca: 8. dicitur. *Descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptisavit eum.* Unde & Paulus ad Ephesios Cap: 5. inquit. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* SS. Patres etiam aquam ad Baptismum adhibendam eſse tradiderunt. Justinus Apol: 2. ait de Catechumenis. *Adducuntur à nobis ubi aqua est, nam in aqua lavantur.* August: tract: 15. in Joan: inquit. *Tolle aquam non est Baptismus.* Quare Concilium Tridentinum Seſs: 7. Can: 2. de Baptismo, sic definivit. *Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non eſse de neceſsitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini Nostri Jesu Christi. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto. . . . ad metaphoram aliquam detorserit. Anathema sit.*

Validiſsimum quoque pro hac veritate petitur argumentum ex præscriptione deprømptum. Nam Latini, Græci, Orientalesque omnes, ut eorum Rituales, & Euchologici libri palam faciunt, ſolam naturalem aquam, pro materia Baptismi præscribunt, & cum nonnulli, illam immu-

immutare, respuere, temerare ausi fuerint, unanimi omnium Ecclesiarum consensu damnati ſunt.

Obijcies In adductis verbis Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto....* non magis aqua naturalis pro materia Baptismi statui potest, quam Spiritus Sanctus. Porro constat Spiritum Sanctum non eſse Baptismi materiam. Ergo neque aqua. Præterea Joannes Baptista prædixerat de Christo: *Ipse vos baptisabit in Spiritu Sancto, & ignie*, quemadmodum ergo hic ignis naturalis non designatur pro materia Baptismi, ita neque aqua, dum dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua....* Omnia ergo in his, & aliis similibus textibus, aqua nimirum, ignis, Spiritus Sanctus, metaphorice accipienda ſunt.

Resp: Usus,& continua praxis totius Ecclesiæ, est optimus Scripturæ Sacræ interpres. Apostoli, illorum Succeſsores, totaque Ecclesia Latina & Græca semper aquam ad Baptisandum adhibuit, nunquam vero ignem, aut quidpiam aliud. Semper ergo credidit Ecclesia ex Christi institutione aquam naturalem, eſse Baptismi materiam. Et vero in adductis Sacræ Scripturæ textibus, tria vel maxime enuntiantur, materia Baptismi, videlicet aqua, effectus illius, regeneratio ſcilicet, ac renovatio, ac tandem causa ipsius efficiens, nimirum Spiritus Sanctus, atque virtus ipsius igne designatus, in aquam redundans, quæ non ex se, ſed ex virtute Spiritus Sancti, hominem renovat abluit, purificat, & quemadmodum ignis metalla purificat, renovat, aqua ex igne, ipsi admota, vim accipit calefaciendi, ita aqua Baptismatis, igne Spiritus Sancti calefacti, virtute ipsius potens efficitur ad regenerandum, renovandum, abluendum, purificandum hominem. Licetsi ergo ſola aqua naturalis materia sit Baptismi, vere tamen in Spiritu Sancto, & igne baptisari dicimur. Falsum itaque est, in præcitatis Scripturæ textibus, omnia metaphorice intelligi debere.

Quæres 3tio: Quomodo antiquitus Baptisma conferebatur?

Resp: A primis Ecclesiæ ſæculis, usque ad Sæculum 13tium Baptismus communiter per trinam immersionem conferebatur, verum & tunc sive per infusionem, sive per aspersionem dabatur. Utrumque multis argumentis comprobare facile est.

Et quidem *1mo*: usque ad Sæculum 13tium Baptismus per trinam immersionem conferebatur. Id constat

ex

ex SS. Patribus Justino, Tertuliano, Cyrillo Hierosolymitano, Joanne Chrysostomo, Ambrosio, cæterisque, unde S. Basilius libro de Spiritu Sancto Cap: 27. testatur ter immergi hominem ex Traditione, & S. Gregorius Magnus in suo Sacramentario expresse trinam immersionem præscribit. Istiusmodi autem mos per trinam immersionem baptisandi, usque ad Sæculum 13tium perduravit, cujus rei testes sunt, Scriptores Ecclesiastici percelebres, Strabo, Robanus, Paschasius, Tulbertus Carnotensis, Petrus Damiani SS. Bernardus, & Thomas Doctor Angelicus, atque hunc morem Ecclesia Græca, ceteræque Orientales, hucusque retinent. Sed in Ecclesia Latina licetsi nullo publico decreto trina immersio abrogata fuerit, imo pro locorum consvetudine, etiam nunc ea uti licitum sit, sensim tamen mos inductus fuit, sub trina infusione Baptismum conferendi, quod non absque gravibus, prudentibusque rationibus factum fuit. Nam nonnulli pueri à Ministrorum manibus, dum immergebantur, elabentes, perierunt, Infantes in frigidioribus maxime regionibus, grave suæ valetudinis patiebantur detrimentum, tum & etiam sublato in Ecclesia Diaconissarum usu, verecundiæ mulierum, quæ adultæ Baptisandæ erant, magis fuit consultum.

2do: Interim tamen, dum Baptismus per trinam immersionem conferri consveverat, per infusionem etiam, & aspersionem nonnunquam administrabatur. Et certe ipso Apostolorum tempore Baptisma absque immersione collatum fuisse, facile ostendi potest. Namque Actor: Cap: 2. una die tria millia Judæorum, qui in Christum crediderunt, Baptisati sunt, & Actor: Cap. 4. quinque millia. Porro tam brevi temporis spatio tantam multitudinem trina immersione fuisse baptisatam, non videtur esse credibile, maxime cum ad nullum flumen credentes illos adductos esse legamus, cumque in credentium numero fæminas fuisse ex Actorum Cap: 8vo compertum sit, & Baptisma per immersionem omnibus detractis vestibus peragеretur, nondumque ea constituta erant, quæ ad consulendum fæminarum pudori; Ecclesia prudenter instituit, verisimile non est, Apostolos promiscue viros, ac mulieres immersione trina baptisasse. Præterea Actor: Cap: 16. Paulus, & Silas in carcere degentes custodem cum tota ejus familia baptisarunt, non videtur autem tantam ibi fuisse aquæ Copiam, ut ad immersionem sufficeret. Tandem in sinceris Martyrum actis legimus, plu-

plures Sanctos Martyres; ob Christi fidem in carceribus detentos, vel custodibus, vel aliis Baptismum contulisse, quod certe trina immersione non est factum. Sed etiam ex actis S. Laurentij evincitur, eum militem quemdam aqua ex urceo effusa Baptisasse. Acta S. Bacchi junioris ostendunt, illum aqua super caput effusa Baptismum recepisse. Ex actis S. Luidgeri constat ipsum exhortasse Matronas, *ut morituros infantulos, intinctos aqua, vel superinfusos* baptisarent cum invocatione Ssmæ Trinitatis. Eo igitur etiam tempore, quo Baptismus per immersionem conferri consveverat, per infusionem frequenter collatus fuit.

Quæres 4to: Ergo valet Baptismus etiam per infusionem, sive aspersionem collatus?

Resp: Ita sane, omnino valet. Enimvero cum adhuc Apostolorum tempore, & deinceps, Baptismus per infusionem, aut aspersionem collatus fuerit, & validus omnino fuerit, nunc etiam eo modo collatus valere debet. Hinc Gennadius qui sæculo 5to floruit, in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, Baptisma per trinam infusionem collatum commendat, & doctissimus Mobillonius multis evincit á sæculo 6to. Romæ id non raro fuisse observatum. Strabo etiam libro de rebus Ecclesiasticis Cap: 26, validum non solum mergendo, sed etiam desuper aquam fundendo, agnoscit Baptisma.

Verum Ecclesia in Conciliis, & SS. Patres validum esse agnoverunt Baptisma per infusionem collatum. Sic Concilium Neo-Cæsariense anno 315. celebratum, Can: 12. Baptisma illorum, qui in infirmitate baptisati sunt, ac proinde non per immersionem, sed per infusionem aquæ baptisati fuerunt, validum esse agnovit, sic enim baptisatos propter subsequens studium, illorum fidem, atque hominum raritatem ad honorem Præsbyterij promoveri permittit. Idem constituerunt Concilia sæculo 6to celebrata Antissiodorense, Matisconense, & Parisiense anno 829. habitum. Sed & S. Cyprianus interrogatus, an Clinici, seu illi, qui in infirmitate baptisati sunt, legitimi Christiani essent habendi, ex eo, quia *aqua salutari loti non sint, sed perfusi*, respondet. *Nos quantum concipit mediocritas nostra, æstimamus in nullo mutilari, & debilitari posse beneficium divinum*, & aliquibus interjectis, addit. *Nec quemquam movere debet, quod aspergi, vel perfundi videntur ægri, cum gratiam divinam consequuntur, quando Scriptura Sacra per Ezechielem Prophetam loquatur.*

tur & dicat, & aspergam super vos aquam mundam. Unde apparet aspersionem quoque aquæ, instar salutaris lavacri obtinere. Quam Cypriani doctrinam, refert, ac veluti inconcufsam, approbat S. Augustinus.

Et vero: voces *baptisare*, *baptismus*, non solam significant immersionem, lotionem, ablutionem, quæ aspersione & infusione non minus, quam immersione fieri potest, quare baptismus lavacrum aquæ, lavacrum regenerationis à Paulo Apostolo appellatur. Porro Christus baptismum præscribens, ablutionem præscripsit, sed modum ipsius non determinavit, proindeque validum baptisma censendum est, quocunque modo ablutio fiat, immersione, aspersione, sive perfusione.

Objicies: Christus immersione voluit à Joanne baptisari. Apostolorum quoque tempore immersione baptisare consvetum erat. Tandem Christus baptismum instituit, baptismus autem immersionem significat.

Resp: Quod Christus per immersionem à Joanne baptisari voluit, non probat immersionis necefsitatem, nam nocte, & tempore Cœnæ Sacramentum Eucharistiæ ipse instituit, nemo tamen inde inferet, nocte & inter epulas Eucharistiam conficiendam efse. Scilicet Christus Sacramentum baptismi instituens, ablutionem, quæ aqua fiat, præcepit, modum ablutionis non determinavit, quare illum utpote ad Sacramenti integritatem minime pertinentem, Ecclesiæ suæ determinandum reliquit. Quare jam Apostolorum tempore Baptismus modo immersione, modo aspersione, aut infusione conferrebatur. Baptismi quoque, ac baptisari nomen, nonsolam immersionem significat, sed quamcumque ablutionem, quæ aspersione etiam, ac infusione fieri potest. Sic Lucæ Cap: 11. Pharisæus, qui Christum ad mensam invitaverat, cæpit intra se cogitarre, quare Christus non efset baptisatus, id est manus ante prandium non lavifset, simili modo Marci Cap: 7. per baptismum, manuum ablutio intelligitur. Non itaque sola immersio per baptismum intelligenda est.

Quæres 5to: Quæ sit forma Sacramenti Baptismi?

Resp: Forma, qua Baptismi Sacramentum conficitur, apud Latinos hæc est, semperque in usu fuit. *Ego te baptiso in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* & hæc forma descripta reperitur in Sacramentario Gregorii Magni & in altero Gelasiano, quod mille annorum ætatem superat, in Mifsali quoque Gallicano 8vi Sæculi; quamobrem affirmandum est, formam hanc ab Apostolorum

lorum Traditione promanafse. Simili forma utuntur Coptæ, dicentes: *Te baptiso in nomine Patris, amen, te baptiso in nomine Filii, amen, te baptiso in nomine Spiritus Sancti, amen.* Apud Græcos vero, hæc est: *Baptisatur servus Dei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nunc & semper, & in sæcula sæculorum amen.* Hæ duæ Baptismi formæ Græca videlicet & Latina, quamvis in verborum sono, nonnihil discrepent, in re tamen secum omnino conveniunt, ut pote ex verbis Christi desumptæ quibus baptisàri credentes jufsit, dicens Apostolis fuis, *docete omnes gentes baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: unde Baptismi forma, quam Ecclesia Latina, Græcaque in baptisando usurpat, Christi est institutionis, illam attamen multi ex antiquis Hæreticis, aut ex toto repudiârunt, aut pravis additionibus corruperant, ac vitiârunt. Tales erant Paulianistæ, Montanistæ nonnulli, atque Ariani, licetsi non omnes. Sed & ex modernis Hæreticis, licetsi legitimam in baptisando servent formam, illam tamen non omnino necefsariam efse arbitrantur, sic Zwinglius, & Lutherus.

Quæres 6to: Utrum ad Sacramenti Baptismi validitatem omnino necefsaria sit explicita SSmæ Trinitatis invocatio?

Resp: Ad validitatem Sacramenti Baptismi omnino necefsaria est explicita SSmæ Trinitatis invocatio. Enimvero Christus Dominus absque ullo verborum involucro explicitam mandavit in baptismate SSmæ Trinitatis invocationem. Math. Cap: 24. *Docete omnes gentes baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: & hæc perpetua fuit totius Ecclesiæ Traditio. Latini enim & Græci, ac Orientales universi, ut ex eorum ritualibus, atque euchologicis constat libris, semper sub exprefsa SSmæ Trinitatis invocatione Baptisma conferebant, ac sic conferri præscriptum hucusque retinuerunt, cumque de Baptismi validitate aliquando disputatum fuit, hæc fuit regula, juxta quam Patres, & Concilia perpetuo de veritate baptismi judicarunt. Nimirum si Sacrosanctis his nominibus baptisma fuit consecratum, quin validum efset, nullum dubium habuerunt, ubi vero in baptismate invocatio SSmæ Trinitatis, aut prætermifsa, aut corrupta, immutata fubstantialiter fuit, baptisma irritum declarârunt.

Et pro hac comprobanda veritate, non minoris ponderis argumentum est, quod Athanasius, Hilarius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, aliique Patres, ex baptismi

forma

forma, divinitatem Filii, & Spiritus Sancti, adversus Arianos, Macedonianosque comprobârunt, quamobrem exploratum est, una cum Patre, Filii, & Spiritus Sancti nomen in baptismate semper pronuntiatum fuiſse. Unde Tertullianus libro de Baptismo Cap: 13. ait: *Lex tingendi imposita est, & forma præscripta. Ite, inquit, docete omnes nationes, tingentes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* Augustinus vero in suis adversus Donatistas operibus, paſsim affirmat, Baptismum consecrari Evangelicis verbis, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* idem habet Canon 49. inter Apostolicos, & Canon 8vus Concilii 1mi Arelatensis, atque alia quam plurima Ecclesiastica monumenta.

Obijcies: SS. Patres docent, per invocationem unius personæ, Patris exg. aut Filii, totam exprimi Trinitatem. Non ergo requiritur explicita trium SSmæ Trinitatis personarum in baptismate invocatio. Sic S. Ambrosius libro de Spiritu Sancto Cap: 3. ait: *Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum:* & S. Basilius libro de Spiritu Sancto Cap: 12. hæc inquit: *Christi appellatio, totius Trinitatis est profeſsio, quippe quæ simul declarat, & Deum qui unxit, & Filium qui unctus est, & Spiritum Sanctum, qui est unctio.*

Resp: SS. Ambrosius & Basilius, quemadmodum alii Patres, ad validitatem Baptismi, expreſsam ac distinctam omnium SSmæ Trinitatis personarum invocationem omnino prærequirunt, & sine hac nullum ac irritum eſse baptisma docent. Sic Ambrosius libro de Mysteriis Cap: 4. de Catechumeno sic ait: *Nisi baptisatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remiſsionem non potest accipere peccatorum:* & Basilius eodem in libro de Spiritu Sancto, sic inquit: *In baptismo separari Spiritum á Patre, & Filio, ut periculosum est baptisanti, ita inutile est baptismum accipienti.* Quare S. Ambrosius in objecto textu, non agit de forma baptismi, sed de profeſsione fidei, quam Catechumeni ante baptismum emittere consveverant, unde docet, si Catechumenus sermone, sive profeſsione unum tantummodo comprehendat, scilicet aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum, dummodo interna fide, nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum abneget, plenum eſse Sacramentum, quodsi vero ait ibidem S. Pater: *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*

ctum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. Non de baptisante itaque, & forma baptismi, ibi agit S. Ambrosius, sed de baptisando, ejusque fidei profeſsione baptismo præmittenda, atque docet, affirmatque, plenum eſse Sacramentum, si corde credat Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, licetsi ore solum tantummodo aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum profiteatur, vacuum vero eſse Sacramentum, etsi Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum confiteatur, corde autem discredat.

Quod vero attinet S. Basilium in objectione laudatum, is clare docet explicitam in baptismo Ssmæ Trinitatis invocationem eſse neceſsariam, & licetsi in quibusdam Scripturæ locis, ubi de Baptismo sermo est, solius Spiritus Sancti mentio fiat, quemadmodum Lucæ Cap: 3. affirmat, attamen aliarum divinarum personarum invocationem non excludi, unde infert dicens, *non ideo quis dixerit, perfectum eſse baptisma, in quo solum Spiritus Sancti nomen invocatum est. Sicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ita & baptisamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Explicat deinceps S. Basilius, cur baptismus in nomine Trinitatis collatus, dictus sit baptismus in nomine Christi datus, quia videlicet: *Christi appellatio, totius Trinitatis est profeſsio.*

Quæres 7mo: Utrum Apostoli in nomine solius Christi baptisaverint?

Resp: Sancti Apostoli nunquam in nomine solius Christi baptisârunt. Enimvero Christus expræſsiſsimis verbis præcepit Apostolis suis, ut sub explicita, atque distincta trium Personarum Ssmæ Trinitatis omnes gentes baptisarent: *Docete omnes gentes baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* hinc S. Cyprianus Epist: 73. ad Jubajanum sic inquit: *Ubi post resurrectionem Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, baptisare gentes jubentur.* Incredibile autem est, Sanctos Apostolos illico, expreſsum, recentiſsimumque Christi mandatum transgressos fuiſse, atque neglecta, ab ipso præscripta baptisandi forma, in solo illius baptisaſse nomine, neque etiam ullibi vel minimum extat vestigium, id eos ex ipsius Christi permiſsione feciſse, in materia vero tam gravi, qualis est ista, nihil sine solido fundamento affirmandum est.

Constat præterea satis aperte Apostolos baptisaſse cum

præscri-

præscripta à Christo forma. *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quemadmodum enim legimus Actorum. Cap: 19. cum venifset Paulus Ephesum, interrogavit eos si Spiritum Sanctum receperunt credentes, at illi responderunt, *sed neque, si Spiritus Sanctus est, audivimus*, tum ad illos Apostolus, *in quo ergo baptisati estis*, ex quo consequens omnino est, tunc in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptisari consvevifse, omnes enim Christi baptismate abluti, juxta Pauli mentem de Spiritu Sancto audire, illumque nofse debuerant, hinc cum Ephesiani illi respondifsent, se neque audivifse, utrum Spiritus Sanctus sit, mirabundus dixit: *in quo ergo baptisati estis?* nulla vero hujus admirationis, interrogationisque causa efse potuit, si tunc in nomine solius Christi, baptisma ipsius conferebatur.

Dices: Mandatum Christi datum Apostolis ut baptisarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, solos respicit Gentiles, hinc dictum est illis: *Docete omnes gentes, baptisantes eos*. quare in Actis Apostolorum Cap: 2. 8. & 19. legimus Judæos in nomine Domini Jesu Christi baptisatos fuifse.

Resp: Quamvis Gentium nomine veniant aliquando Pagani, ac Idolis servientes, eo tamen vocabulo apud Math: Cap: 28. significantur nationes, hominumque genera; quare prius dixit Christus: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, ac proinde in omnes terram incolentes nationes, Judæos atque Gentiles, ex consequenti mandavit Apostolis suis dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos:* quare & Marcus, Mathæi abbreviator, allata ipsius verba, Cap: 16. sic reddidit: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit.*

Verum equidem est, quemadmodum in Actis Apostolorum legimus, multos Judæorum baptisatos fuifse, in nomine Domini Jesu Christi, sed non in solo nomine Jesu Christi, sed adjunctis, & adjectis nominibus Patris, & Spiritus Sancti Ita docent, affirmantque Ss. Patres. Cyprianus Epist: 75. ad Jubajanum de verbis S. Petri Actor: Cap: 2. *Baptisetur unusquisque vestrum, in nomine Domini Jesu Christi*, sic inquit: *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur.* Et S. Athanasius libro de Trinitate, de Apostolis baptisantibus in nomine Domini Jesu Christi, ait, illos non prævaricafse mandatum Salvatoris, *quia licet*

solius

solius Filii nomen in Apostolorum historia scriptum sit, habet tamen & Patrem, & Spiritum secum pronunciatum. Sanctus Augustinus, hæreticum Arianum nomine Maximinum refellens, qui ideo Spiritum Sanctum negabat eſse Creatorem, quia de solo Filio dictum est: *Omnia per ipsum facta sunt*, absque Spiritus Sancti facta mentione, sic libro 2. Cap: 17 inquit: *Si autem, quia non est nominatus, quod etiam per illum facta sunt, ideo putas Dei Spiritum non eſse Creatorem, procul dubio nec ejus nomine poteris baptisatos dicere, quibus ait Petrus, agite pœnitentiam, & baptisetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi, quia non ait, & Spiritus Sancti, nec in Patris nomine, quia nec ibi est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre, & Spiritu Sancto, in nomine Jesu Christi juſsi sunt baptisari, & tamen intelliguntur non baptisati nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cur non sic audio de Filio Dei. Omnia per ipsum facta sunt, ut & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum Sanctum.* Igitur juxta S. Augustinum, illi, qui juſsi sunt à Petro in nomine Domini Jesu Christi baptisari, licetsi nec Pater, nec Spiritus sanctus ibi sit nominatus, attamen reipsa baptisati sunt etiam in nomine Patris, & Spiritus Sancti, ac proinde non in solo nomine Domini Jesu Christi baptisati sunt; sed simul & in nomine Patris ac Spiritus Sancti. Hinc antiquiſsimus Pater S. Justinus Martyr in Apologia sua ad Antoni: Pium Imperatorem testatur Christi fideles baptisatos fuiſse *in nomine Dei Patris, universorum Domini, Salvatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus Sancti.*

CAPUT SECUNDUM

De Baptismi neceſsitate, unitate, ipsius Ministro, subjecto, atque illius effectibus.

ARTICULUS Imus

De baptismi unitate, ac neceſsitate.

Quæres Imo: Neceſsitatem baptismi qui negarunt?
Resp: Inter antiquos Hæreticos neceſsitatem bapti-

smi

smi negârunt præcipue Pelagiani. Hi peccatum originale inficiando, & vitam æternam à Cælorum regno distingvendo, parvulis absque baptismo decedentibus, vitam quidem æternam appromittebant, non autem regnum Cælorum, quæ distinctio cum futilis ac prorsus vana sit, reipsa Baptismi necessitatem negabant. At horum audaciam vicerunt, non pauci recentiores Hæretici, qui Christianorum filiis, filiabusque, sine Baptismi Sacramento ex hac vita decedentibus, regnum cælorum patere affirmant, Wicleffus imprimis, Zwinglius, Bucerus prædestinatis Infantibus Baptisma haud necessarium esse docet. Calvinus, ejusque asseclæ, ac præcipue Sociniani, nullam Baptismi necessitatem agnoscunt. Hos errores damnavit Concilium Tridentinum Sess: 7. de Baptismo Can. 5. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est: non necessarium ad salutem, anathema sit.* Porro duplici modo ad salutem aliquid necessarium esse potest, videlicet necessitate medii, & necessitate præcepti. Illud est ad salutem necesarium necessitate medii, sine quo, etiam inculpate omisso, salus obtineri nequit, & hoc potest ita esse necessarium, ut nihil sit quod vices ejus supplere potest, vel ita necessarium, ut aliquid sit, quod vicem illius supplere valet. Necessarium autem ad salutem necessitate præcepti, illud vocatur, quod divino præcepto ad salutem consequendam est præscriptum, attamen, si inculpate omittatur, sine eo salus obtineri potest.

Quæres 2do: Utrum Baptismus omnibus necessarius sit?

Resp: Baptismus omnibus, etiam Fidelium liberis, ad salutem necessitate medii, adultis vero etiam necessarius est necessitate præcepti. Et quidem *1mo:* Baptisma omnibus etiam Fidelium liberis ad salutem necessarium esse necessitate medii, constat ex verbis Christi. Joannis Cap: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hoc Christi oraculum, plenam, omnimodamque indigitat Baptismi necessitatem, atque omnibus sine ulla exceptione imposita est, unde S. Ambrosius libro 2. de Abraham Cap: 12. inquit: *Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate*, atque prædictis Christi verbis ad demonstrandam Baptismi necessitatem SS. Patres utuntur, Justinus, Tertullianus, Joannes Chrysostomus, Augustinus, Fulgentius, & cæteri omnes, qui unanimi consensu docent, affirmantque Infantes Fidelium indigere gratia regenerante, quæ per baptisma datur, ut salutem consequantur.

Et

Et certe, qui nascuntur filii iræ, ac perditionis, illi nisi per medium à Christo constitutum, justitiam & gratiam consequantur, salvari nequeunt. Porro infantes omnes, etiam ex Parentibus fidelibus progeniti propter originale peccatum, nascuntur filii iræ, ac perditionis, atque à Christo Baptismus tamquam medium ad justitiam gratiamque consequendam omnibus est præstitutus. Sine illo ergo infantes etiam fidelium liberi nec justitiam consequi, neque salvari posſunt. Hinc Augustinus libro de Peccat: Merit: Cap: 16. sic inquit: *Quisquis & concupiscentia carnis, & lege peccati, ac mortis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet, ut non solum ad regnum Dei perducatur, sed etiam à damnatione peccati liberetur, sicut enim per primum hominem in peccato, & morte nascuntur, sic etiam per Christum in justitia, & vita æterna in baptismo renascuntur.*

Eadem catholica veritas Ecclesiasticis definitionibus comprobatur. Concilium Carthaginense 4. in Epist: Synodica ad Innocentium Papam sic statuit: *Quicunque negat parvulos per baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit.* & Milevitanum Can: 2. *Quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptisandos negat, aut dicit eos nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, anathema sit:* quare Merito Concilium Tridentinum Sefs: 5. Can: 4. sancivit: *Si quis parvulos recentes ab uteris Matrum baptisandos negat, etiamsi fuerint à baptisatis parentibus orti, anathema sit.*

2do: Non minus certum, atque indubitatum est, Baptismum adultis necefsarium efse, etiam necefsitate præcepti. Enimvero quilibet adultus ea afsumere ex Divino præcepto omnino tenetur, quæ ad consequendam salutem ex Divina ordinatione ſunt absolute necefsaria. Porro baptismus ex Christi ordinatione est omnibus ac proinde etiam adultis ad salutem consequendam absolute necefsarius, quare dictum est: *Qui crediderit & baptisatus fuerit salvus erit*: Baptismus itaque omnibus necefsarius est necefsitate medii, adultis vero etiam necefsitate præcepti.

Obij: 1mo: Quemadmodum dictum est: *Nisi quis renatus fuerit*, ita quoque dictum est, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis.* Hæc posteriora non probant sacram Communionem etiam Infantibus ad salutem omnino efse necefsariam. Ergo nec priora probant ipsis baptismum

ptismum absolute esse necessarium. *2do:* Paulus Apostolus I. ad Corinth. Cap: 7. filios parentum fidelium sanctos vocat & mundos, non ergo illis ad sanctificandum Baptismus omnino est necessarius.

Resp: ad 1mum: Ipsa verba Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei;* manifeste ostendunt, ipsa infantes etiam recens natos respicere & baptismi absolutam adstruere necessitatem. Enim vero hæc verba illos omnes spectant, qui ex carne geniti, ut in regnum Dei introire possint, necesse habent, ut ex aqua & Spiritu Sancto renascantur. Omnes autem Infantes ex carne nascuntur, & per Baptismum tantummodo ex aqua & Spiritu Sancto renascuntur. Ergo illis omnibus, ut possint in regnum Dei introire, Baptismus necessarius est. Verba autem Christi: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis...* præceptum quidem divinum continent, sed solos Adultos spectant, quia illi soli capaces sunt manducationis carnis Christi religiosé, qualis à Salvatore præcepta est, & ad quam Apostolus prærequirit ut seipsum homo probet, & sic de pane Christi manducet, & de calice ipsius bibat, cujus probationis non Infantes, sed soli Adulti capaces sunt, solos ergo Adultos respicit præceptum Christi, de ipsius carne manducanda, & sangvine bibendo.

Ad 2dum: S. Paulus in objecto textu loquitur de munditia ac sanctitate, sive honestate civili, ac politica, qua exterius opprobrium, ac infamia hominum excluditur, filios itaque à Parentibus simul cohabitantibus progenitos, quoniam apud omnes tamquam legitimi habentur, vocat sanctos, mundos, bona gaudere fama, quia nulla ipsis macula civilis, aut inhonestatis nota inuri possit. Non igitur Paulus filios à Parentibus fidelibus progenitos censet esse vere, ac intrinsece sanctos, et mundos, antequam baptisentur, alioquin putasset idem Apostolus virum infidelem, & idolis addictum, per solam cum muliere fideli cohabitationem interius vere sanctificari, scribit enim: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Jam vero arbitrari, putasse Apostolum infidelem sive virum, sive mulierem, idolisque servientem, per solam cum fideli comparte habitationem, veré ac interius sanctificari, delirantis est. Unde Augustinus libro 5. de peccat. merit: & remiss: Cap: 12. sic inquit: *Nec conjuges infideles, quamlibet sanctis*

ctis, & justis conjugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à regno Dei separatos in damnationem venire compellit, nec parvuli de quibuslibet sanctis, justisque procreati originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptisati. Potest etiam dici, Apostolum Paulum ideo affirmaſse sanctificari virum infidelem per mulierem fidelem, quia multæ viros infideles Christo lucratæ ſunt, & parvuli illorum eo dicuntur sancti, quod unius fidelis conjugis voluntas eos per baptismum reddit sanctos.

Quæres 3tio: Utrum baptismum aquæ, aliquid supplere poſsit?

Resp: Vices baptismi aquæ, supplet sive votum ipsius, sive Martyrium pro Christo toleratum. Votum baptismi est ardens illud suscipiendi desiderium. Martyrium vero est toleratio, seu perpeſsio mortis, letalisve cruciatus propter fidem, Christique confeſsionem. Hæc duo ſupplere vices baptismi aquæ, Sacris Scripturis, ac testimoniis SS. Patrum, comprobatur.

Et quidem *1mo:* Scripturæ Sacræ iis, qui in Deum credunt, eum invocant, ardenter diligunt, nec non pro peccatis ſuis veram, sinceramque agunt pænitentiam, vitam æternam promittunt. Sic ad Rom: Cap: 10. scriptum est: *Omnis qui credit in illum, non confundetur. Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit:* Joan: Cap: 14. inquit Christus: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum,* Ezech: Cap: 18. dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita vivet, & non morietur.* Quamobrem si quis urgente neceſsitate habere nequeat baptismum aquæ, Deum tamen ex toto corde diligat, illum invocet, ac suorum delictorum, ad Deum conversus, cordis pænitudinem gerat, cum voto Baptismi salvari potest. Certe Deus magis respicit ad bonam hominis voluntatem, quam ad ipsum externum opus, ut manifestum est in vidua paupere, quæ duo æris minuta in Gazophilacium miserat, de qua Christus ipse testificatus est, quod plus quam ceteri omnes dederit, & hoc unice propter bonum cordis affectum, & si Deus in operibus malis, voluntatem hominis pro facto reputat, unde dicitur 1. Joan: Cap: 3. *Qui odit fratrem suum, homicida est:* magis summe misericors Deus, sinceram voluntatem ſuscipiendi baptismum, ardenti charitati ac sinceræ pænitentiæ conjunctum, pro ipso aquæ baptismo reputabit. Quare Cornelius, & qui cum ipso erant, prout habemus Actorum Cap: 10. ob ardens baptismi deside-

desiderium, ante adeptum Baptismi Sacramentum, Spiritum Sanctum acceperunt, proindeque etiam poterunt, qui ardens habent baptismi desiderium, cum vera cordis pænitudine conjunctum, cum non datur ejusdem suscipiendi facultas, gratiam Spiritus Sancti sanctificantem obtinere, unde Concilium Trident: Sess: 6. de justificatione Cap. 4. declaravit, translationem à peccato ad statum gratiæ non posse fieri *post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto.*

Pari modo legimus Math: Cap: 10. dictum à Christo: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo* & Cap: 16. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Unde S. Augustinus libr: 13. de Civit: Dei Cap: 7. sic inquit: *Quicunque non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittendum peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit, si quis renatus non fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, alia sententia istos fecit exceptos*, & statim adducit mox laudata ex S. Mathæo Christi oracula. Et hoc existimandum est etiam de Infantibus in Christianæ religionis odium occisis. Generalia siquidem sunt, quæ produximus Christi verba, & illi siquidem licet non ore, sed opere Christum confitentur. Quapropter Ecclesia universa infantes in odium Christi ab Herode enecatos veluti Martyres veneratur, quod & S. Augustinus lib: 3. de libero arbitrio Cap: 23. attestatur scribens. *Etiam infantes illos, qui cum Dominus Jesus Christus necandus quæreretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia:* Præter hos autem & alios puerulos pro Christo necatos, Ecclesia tamquam Martyres colit, ac veneratur, Modestum, Ammonium, ceterosque in Martyrologio Romano expressos.

2do: Sed & auctoritate SS. Patrum eadem veritas comprobatur. S. Cyprianus Epist: 73. ad Jubaianum de Catechumenis ante baptismum Martyrio coronatis, sic inquit: *Sciant Catechumenos nec privari baptismi Sacramento, utpote qui baptisentur gloriosissimo, & maximo sanguinis baptismo, de quo & Dominus dicebat habere se aliud baptisma baptisari. Sanguine autem suo baptisatos, & passione sanctificatos consummari, & divinæ pollicitationis gratiam consequi.* S. Cyrillus Hierosol: Catech. 8va hæc habet: *Redimens terram Salvator per crucem, & in latere vulneratus sangvinem, & aquam emisit, ut alii quidem pacis tempore in aqua baptisarentur, alii vero tempore*

pore persecutionis, in propriis sangvinibus. Similia habent Ss. Basilius, Ambrosius, Fulgentius, aliique quam plurimi, constansque omnium fuit doctrina, tantum Martyrium valere ad justificandum, ac sanctificandum hominem, quantum valet sacrum fontis baptisma, imo nonnulli Martyrium appellant baptismum lavacro aquæ præstantius, quia scilicet in baptismo aquæ figura tantum homines Christo commoriuntur, secundum id quod scripserat Paulus ad Rom: Cap: 6. *Quicunque baptisati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptisati sumus*: in baptismo autem sangvinis, re ac veritate. Quemadmodum vero SS. Patres affirmarunt, Martyres proprio sangvine baptisatos, justificari, ita pariter afserueruut, illos, qui desiderio baptismi flagrantes obierunt sanctificari. Sic Ambrosius, qui Orat. de obitu Valentiniani Imperatoris hæc præclare habet: *Si Martyres suo abluuntur sangvine, hunc sua pietas abluit, & voluntas.* Augustinus quoque libro 4. de Baptis. Cap: 22. inquit: *Invenio non tantum pafsionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat, pofse supplere, fed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succuri non potest.*

Objicies: SS. Ambrosius libro de mysteriis cap: 4. Augustinus Tract: 13. in Joannem, & alibi, docent Catechumenum nisi baptisatus fuerit, non pofse accipere remifsionem peccatorum, quare Concilium Bracarense 1. Can: 35. & non pauci SS. Patres, pro Catechumenis sine Baptismo defunctis, Sacrificia offerri, præcesque fieri prohibuerant.

Resp: Nonnulli SS. Patres affirmant Catechumenum non pofse obtinere remifsionem peccatorum, nisi baptisatus fuerit vel actu, vel in voto, seu ardenti baptismum suscipiendi desiderio, non autem nisi omnino actu, & reipsa aquæ baptismo abluatur. Scilicet SS. Patrum mens ac sensus fuit, Catechumenorum, qui ob futiles aliquando rationes, nonnunquam etiam ut vitiis facilius indulgerent, Baptismum suscipere differebant, torporem concutere, quamobrem illos vehementifsime adhortabantur ut Baptismum reciperent, atque non raro ita locuti sunt, ut nullam salutis spem illis relinquere viderentur, nisi actu fuifsent Sacro fonte regenerati. Præterea ut sine aquæ baptismo adultus remifsionem peccatorum, ac salutem consequatur, opus est, ut ardens habeat baptismi desiderium, veram cordis pænitudinem. Porro prudentifsime judicarunt

runt SS. Patres, catechumenos illos, qui per diuturnum temporis spatium Baptisma suscipere detrectabant, nec sincerum habere Baptisma suscipiendi desiderium, nec veram cordis ad Deum conversionem, hos ergo sine actuali aquæ baptismate, salutem non posse consequi, arbitrati sunt. Atque eo modo locuti sunt SS. Ambrosius & Augustinus. Et quidem S. Ambrosius libro de Mysteriis, de iis sermonem habet, quia cum facile possent baptisari, Sacramentum tamen vel negligunt vel contemnunt. Attamen sincerum Baptismi desiderium, æternam posse homini elargiri felicitatem, in Orat: de obitu Valentiniani disertissime docet. S. Augustinus etiam tract: 13. in Joannem, eos arguit Catechumenos, qui de suis bonis operibus superbientes, Baptismi Sacramentum percipere contemnebant, sine hoc autem contemptu, sincerum atque ardens Baptismi desiderium ad salutem prodesse semper existimavit, quare libro 4to: de Baptismo cap: 22. sic inquit. *Sine visibili Sacramento, impleri invisibiliter, quod ad Romanos inquit Apostolus, corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, quando Mysterium baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.*

Quia igitur nonnulli Catechumeni ob futiles rationes, aut etiam ut vitiis liberius indulgerent. Baptismum suscipere differebant, SS. Patres pro Catechumenis absque Baptismo defunctis Sacrificia offerri, præcesque fieri, aliquando prohibuerunt, quod in nonnullis Ecclesiis observabatur, sed communior usus fuit, ut pro catechumenis, qui sine aquæ baptismo e vita decesserunt, & Sacrificia offererentur, & præces fierent, quia illos cum ardenti Baptismi desiderio, veraque ac sincera cordis pænitudine decessisse existimatum fuit. Et hujus rei insigne habemus exemplum in Valentiniano Imperatore, qui ex singulari pietatis affectu, ab Ambrosio, quem veluti Patrem venerabatur, baptisari voluit, atque illum ad hoc munus advocaverat, cumque S. Episcopus iam in itinere esset constitutus, Valentinianus dolo, & perfidia Comitis Argobastis occisus fuit, quare pro illo ex mandato Ambrosii oblata sunt Sacrificia, precesque publicæ in Ecclesia factæ sunt, qua de re sic ipse loquitur in Orat: de obitu illius. *Si quia solemniter non sunt celebrata Mysteria, hoc movet, ergo nec Martyres, si Catechumeni fuerint, coronentur, non enim coronantur, si non initiantur. Quod si suo abluan-*

abluantur sangvine, & hunc, Valentinianum scilicet, *sua pietas abluit, & voluntas.*

Quæres 4to: Qua ratione Martyrium, aut baptismi desiderium, deleant peccata, justificent, ac sanctificent?

Resp: Martyrium in Infantibus peccatum delet, eos justificat, ac sanctificat per se & ex opere operato. Infantes siquidem qui usu rationis necdum præditi sunt, nullius operis meritorii capaces sunt, attamen per Martyrium justificantur, & sanctificantur. Ergo id in eis Martyrium præstat, non ex opere operantis, sed per se, & ex opere operato.

In adultis quoque Martyrium omnem culpam & pænam remittit, quam ob causam pro Martyribus nunquam præces fundebantur, ünde Augustinus Serm: 17. de verbis Apostoli dixit: *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*: id autem Martyrium præstat sive ex opere operantis, quia est opus ardentissimæ charitatis, quoniam ut inquit Christus Joan cap: 15. *maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, sive ex opere operato, quia Aŭgustinus libro 12. de Civitate Dei cap: 7. diserte docet: Martyrium tantum valere ad delenda peccata, quantum valet si quis abluatur Sacro fonte baptismatis. Alii etiam Patres Martyrium, baptismum lavacro aquæ præstantiorem, baptismum gloriosissimum, atque maximum appellant.

Porro baptismus aquæ omnem culpam, & pænam delet ex opere operato. Ergo id ipsum, atque eodem modo præstat Martyrium.

Jam vero Baptismi suscipiendi sincerum desiderium, delet peccata, iustificat, Sanctificat, sed nonnisi ex opere operantis, quare iuxta doctrinam SS. Patrum conjunctum esse debet & charitati perfectæ, & veræ cordis ad Deum conversioni. Igitur Catechumenus eo modo potest justificari per votum Baptismi adiuncta charitate ac contritione perfecta, quo baptisatus iustificatur per contritionem perfectam cum voto pænitentiæ. Licetsi autem baptismi desiderium peccata deleat, peccatis tamen debitam pænam temporalem non remittit, unde pro Catechumenis sine baptismo defunctis, & Sacrificia Ecclesia offerebat, & præces persolvebat.

Quæres 5to: Qua ratione Baptisma unum dicitur à S. Paulo Apostolo?

Resp. S. Paulus Apostolus ad Ephes: cap: 4. unum

affirmat

affirmat esse Baptisma, dum ait. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma,* ea scilicet ratione, quia Baptismus semel rite collatus, iterari nequit. Unde Cyrillus Hierosol: in Præfat:: Cathec: inquit. *Non licet bis, aut ter hoc lavacro uti, unus enim Dominus, una fides, unum Baptisma.* Et vero Epist: ad Hebr: cap: 6. inquit idem Apostolus: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, & participes facti sunt Spiritus Sancti, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pænitentiam.* Hæc autem ad pænitentiam, quæ iterari non potest, est ipsa renovatio Baptismi, ut docent SS. Patres, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus quoque in caput 6. Epist: ad Hebræos scribens: docet quod apud Judæos multa, & frequenter adhibebantur baptismata, Christi autem baptismus unus est. Unde Patres Concilii Constantinopolitani 1mi inquiunt. *Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum,* quod & nos frequenter publice in Ecclesia profitemur. Merito itaque a SS. Patribus pro maximo crimine semper reputatum est, semel rite collatum, iterare baptisma, quare Synodus Romana Anno 313. sub Melchiade habita, damnavit Donatum à Casis nigris, *quod confesus sit, rebaptisasse:* ut refert Optatus Milevitanus libro 1. contra Parmenianum, & libro 5. in quo de unitate baptismi pertractat, sic ait: *Semel factum servat salutem, si iterum fiat potest afferre perniciem. Baptisma Christianorum, Trinitate confectum, confert gratiam, si repetatur, facit vitæ jacturam.*

Quæres 6to. Fueruntne qui iam baptisatos, iterum baptisarent?

Resp: Prioribus Ecclesiæ sæculis multi erant Hæretici, qui undecunque ad se venientes, sive á Catholicis, sive ab aliis Sectis· licetsi iam baptisatos, iterum baptisabant, quare Rebaptisantes dicti sunt. Tales fuerant imprimis Marcionitæ, à Marcione Hæresiarcha, qui teste S. Epiphanio Hæresi 42. non semel, sed etiam tertio baptismum ad peccatorum condonationem repetendum esse putabat. Marcionistis adjungendi sunt Valentiniani, qui juxta S. Hieronymum in cap: 4tum Epistolæ ad Ephæsios scribentem: duo baptismata asserebant. Novationi etiam quotquot ex Ecclesia Catholica ad ipsos transibant, novo recipiebant baptismate, prout testantur SS. Cyprianus, & Ambrosius, idem Arianos factitasse testatur S. Augustinus de Hæresibus cap: 49. Wandalos Arianos id in usu habuisse affirmat Victor Vitensis libro de persecutione Ecclesiæ Africanæ. Eunominiani Arianorum pestilentissimi,

non tantum eos rebaptisabant, qui à Catholicis, aut ab aliis hæresibus veniebant, sed etiam qui ab ipsis Arianis deficiebant. Luciferianorum quoque secta, ab Arianis baptisatos, novo baptismate recipiendos esse autumnabat. Tandem Anabaptistæ anno 1521. exorti, qui huc usque perdurant, omnes extra suam Sectam baptisatos, rebaptisant. Verum hoc omnes Ecclesia damnavit, erroresque illorum confixit.

Sed etiam ex partibus Catholicorum nonnulli erant, qui tertio elabente Ecclesiæ sæculo ab Hæreticis collatum baptisma nullum, atque irritum eſse censentes, redeuntes ad Catholicam Ecclesiam, rebaptisandos eſse putarunt. Inter hos eminebant Cyprianus Carthaginensis, & Firmilianus Cæsariensis in Cappadocia Episcopus, ceterique non pauci. His fortiter restitit S. Stephanus Romanus Pontifex, cui præluserat Cornelius Papa Epist: ad Cyprianum, in qua eundem â Rebaptisantium errore revocare conatur. Stephano autem, ut scribit S. Augustinus, innumerabiles toto in orbe consenserunt Episcopi, ac tandem Concilium Arelatense 1mum Anno 314. celebratum Can: 8vo prædictum errorem correxit, Hæreticosque forma legitima baptisatos, ad gremium Ecclesiæ Catholicæ revertentes, iterum baptisare prohibuit, manusque tantum ipsis imponere mandavit. *De Afris autem quod propria lege sua utantur ut rebaptisent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis hæreticus venerit, intorregent eum symbolum, & si perviderint eum in Patre, Filio, & Spiritu Sancto eſse baptisatum, manus ei tantum imponatur.* Concilium quoque Nicænum 1mum Anno 325. coactum, Novatianos sola manuum impositione ad Ecclesiam recipiendos eſse deſinivit, & Siricius Papa in Synodo Romana anno 386 celebrata constituit, *ut venientes à Novatianis, & Montensibus*, id est Donatistis, *per manus impositionem recipiantur, quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine baptisati sunt.* Tandem Concilium Tridentinum Seſs: 7ma Can: 4. hæc constituit: *Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non eſse verum baptisma, anathema sit.* Error itaque Rebaptisantium, totius Ecclesiæ judicio proscriptus est.

Dices: Multa Concilia Hæreticos rebaptisare sanxerunt, quod & SS. Patres docuerunt.

Resp: Qui cum Cypriano, & Firmiliano omnes indiscri-

discriminatim Hæreticos contra antiquifsimam Ecclesiæ praxim, rebaptisandos efse censebant, errârunt, atquê hunc illorum errorem in Conciliis generalibus correxit, atque emendavit. Alii vero SS. Patres, dum docent, & non nulla Concîlia statuunt Hæreticos efse rebaptisandos, de illis Hæreticis loquuntur, qui baptismi formam corrumpebant, atque istiusmodi Hæretici multi erant, quemadmodum SS. Epiphanius, & Augustinus, aliique testantur, eorum itaque Baptisma, cum propter formæ corruptionem, atque immutationem, nullum efset, ab ipsis baptisati, merito jubentur iterum baptisari.

Quæres 7mo: Quis est Baptismi Minister?

Resp: Sacramenti Baptismatis Minister alius est ordinarius, alius extraordinarius, alius necefsitatis. Ordinarius ille est, qui vi muneris, & officii sui baptisat. Extraordinarius, qui quidem ex ordine suo id habet, ut pofsit baptisare, sed illud facere nequit, nisi ad hoc deputetur, & ipsi istud committatur. Et hi dicuntur Ministri sollemnitatis, quia scilicet in baptisando, illa omnia adhibere ac perficere pofsunt, quæ ab Ecclesia præscribuntur. Necefsitatis, qui nonnisi in defectu Ordinarii, aut Extraordinarii Ministri, cogente necefsitate baptisare potest.

Marcion Hæresiarcha, Pepusiani, Collyridiani Hæretici; Mulieribus etiam in Ecclesia baptisandi attribuebant potestatem. Calviniani è contra ac signanter Beza, baptisma á quocunque Laico collatum irritum efse contendunt.

Quæres 8vo: Qui sunt ergo Baptismi Ministri Ordinarii?

Resp: Ordinarii baptismatis Ministri sunt Episcopus, & Præsbyter. Enimvero Christus Apostolis, eorumque Succefsoribus Episcopis dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quam potestatem etiam ad Præsbyteros extendi ex Traditione Ecclesiæ fit manifestum. Nam Canon 50. inter Apostolicos, Episcopis, & Præsbyteris baptisandi munus incumbere, aperte declarat, ac etiam libro 3. constit: Apost: facultatem baptisandi inefse dicitur, *Episcopis, & Præsbyteris, ministrantibus Diaconis*. S. Epiphanius contra Asianos scribens, in hoc discrepare affirmat Præsbyteros ab Episcopis, *quod isti Patres Ecclesiæ, hoc est Sacerdotes per manuum impositionem, illi vero filios Ecclesiæ lotionis regeneratione producant*. Eandem veritatem tradunt alii SS. Patres, Tertullianus, Hieronymus,

Augustinus. Quare Eugenius IV in instructione pro Armenis, de Baptismo loquens, inquit: *Minister huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptisare.* Verum tamen non est par Præsbyterorum cum Episcopis baptisandi potestas, neque æqualis facultas, habent quidem & Præsbyteri ordinariam baptisandi potestatem, sed cum subordinatione & dependentia ab Episcopo, quod diserte docet Tertullianus libro de Baptismo cap: 17. ubi sic loquitur: Baptismi *dandi ius habet summus Sacerdos, qui est Episcopus, deinde Præsbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi authoritate,* quare S. Jgnatius Martyr Epist: ad Smyrnæos absolute pronuntiat, *non esse licitum sine Episcopo Baptisare,* & S. Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos ait: *Sine Episcopi jussione, neque Præsbyter, neque Diaconus ius habet baptisandi.*

Maxime vero Episcoporum prærogativa erat, Baptisma sollemniter conferre in die Paschatis, quod ex multis Ecclesiæ antiquissimis monumentis luculentissime commonstratur, unde tunc illorum præsentia in Urbibus, quæ Episcoporum sedes erant, exigebatur. Præsbyteri vero baptismum iis communius conferebant, qui ab istiusmodi Episcopalibus Urbibus longe dissiti erant.

Quæres 9no: Qui sunt Extraordinarii Baptismi Ministri?

Resp: Baptismi sollemnis Ministri Extraordinarii sunt Diaconi; quare ex delegatione sollemniter etiam baptisare possunt. Et id constat ex eo, quod Philippus Diaconus, quemadmodum legimus Actorum cap: 8vo. Samaritanos, & Eunuchum Reginæ Candacis sacro fonte regeneravit, quod tamen illum ex Apostolorum delegatione fecisse supponendum est, Ecclesia siquidem Apostolorum magisterio edocta, Diaconis ex delegatione tantummodo contulit facultatem solemni ritu Baptismi Sacramentum administrandi, quare in Pontificali Romano, Episcopus ordinandos Diaconos alloquens, ait: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptisare, & prædicare:* quibus verbis certe plus Diaconis conceditur, quam ut privatim in casu extremæ necessitatis baptisent, cum id ex Christi institutione omnibus competat hominibus, quare hic ab Ecclesia conceditur Diaconis facultas, ut ex delegatione solemniter possint baptisare. Hinc Gelasius Papa Epistola ad Episcopos per Lucaniam constitutos data, de Diaconis sic statuit: *Absque Episcopo, & Præsbytero baptisare non audeant, nisi prædictis ordinibus longius con-*

stitutis, necessitas extrema compellat. Verum etiam præsentibus Episcopis, facultas baptisandi Diaconis fuit commissa, unde in Ordinibus Romanis, septimo, decimo, & duodecimo à Mabillonio publicatis, legitur, summum Pontificem nonnullos baptisasse, reliquam vero multitudinem, Præsbyteris, & Diaconis baptisandam reliquisse.

Dices 1mo: Tertullianus, & Hieronymus, Diaconos cum Præsbyteris comparat in administratione Baptismi. Quamobrem si Præsbyteri ordinariam habent baptisandi potestatem, eamdem habent & Diaconi. *2do*: Pontificale Romanum, quemadmodum Diaconum exhibet tamquam ordinarium Altaris ministrum, ita & Baptismi. Non ergo extraordinarius, sed ordinarius illius est Minister.

Resp. ad 1mum: Tertullianus & Hieronymus, Præsbyteros, & Diaconos dignitate Episcopis inferiores esse, exinde ostendunt, quod absque ejusdem jussu baptisare nequeant, atque in eo Diaconos Præsbyteris comparant, quod neutri independenter ab Episcopi concessione baptisare possint, sed nonnisi ex illius delegatione, atque deputatione & quemadmodum illi parem non statuunt inter Præsbyteros, & Diaconos auctoritatem, neque æquale illis attribuunt munus, ita etiam haud eandem illis concedunt baptisandi facultatem, quoniam re ipsa diversa ac distincta est, Præsbyter scilicet cum jussu Episcopi baptisat, ordinaria facultate Baptismum administrat, Diaconus vero nonnisi extraordinaria.

Ad 2dum: Quæ in Pontificali Romano Diaconis præscribuntur, & ad quæ illi deputantur, intelligenda, atque accipienda sunt secundum communem usum, ac consvetudinem Ecclesiæ. Porro semper in Ecclesia cautum fuit, ne Diaconi solemniter baptisarent, nisi in defectu Sacerdotis, aut ex data sibi ad id facultate. Quare licet Diaconi vi ordinis sui sint ordinarii Altaris Ministri, ad servitium istud directe deputati, non tamen sunt ordinarij Baptismi Ministri, sed extraordinarii, quia nonnisi certis in casibus ad id deputari possunt.

Quæres 10mo. In casu necessitatis quis potest baptisare?

Resp: Valet Baptisma à Laico, fæmina, Judæo, vel Gentili, rite secundum Christi institutionem administratum, quare in casu necessitatis omnis homo potest baptisare. *Probatur* auctoritate SS. Patrum, & Ecclesiasticis definitionibus. Tertullianus libro de Baptismo cap: 17. sic inquit: *Dandi baptismi jus habet summus Sacerdos,*

qui est Episcopus, dehinc Præsbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi authoritate, alioquin etiam Laicis jus est, & exinde infert, quod Laicus *reus erit perditi hominis, si supersederit præstare, quod libere potuit*: ex quo consequitur, non tantum inesse Laicis baptisandi facultatem, sed etiam urgente periculo, necessitatem illis incumbere, ut baptisent. S. Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos, ait: *Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis baptisare, ut enim accipit quis, & dare potest.* S. Augustinus libro 2do adversus Epist: Parmeniani Cap: 13. rem totam complexus est: disserens namque de Baptismo à Laicis rite administrato, sic inquit: *Nescio, an pie quisquam dixerit esse repetendum, nulla enim necessitate cogente si fiat, alieni muneris usurpatio est, si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est*, prout scilicet in adinveniendo ad baptisma præstandum Sacerdote diligentia adhibita, aut prætermissa fuerit, si enim Laici non adhibuerint omnem diligentiam in inveniendo Sacerdote, qui baptiset, ipsi baptisando peccant venialiter, si vero adhibuerint omnem diligentiam, & non invento Sacerdote, ipsi baptisant, nullum committunt peccatum. Ulterius autem Augustinus rem prosequens, ait: *Sed etsi nulla necessitate usurpetur, & à quolibet, cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit, illicite datum.* Valet itaque baptismus, juxta mentem Augustini, aliorumque Patrum doctrinam, *à quolibet, & cuilibet datum*, seu ut libro 7. de Baptismo cap: 35. idem S. Episcopus docet, *ubicunque, & à quibuscunque*, datum fuerit.

Et hæc Catholica veritas Ecclesiasticis corroboratur definitionibus. Concilium Eliberitanum Can: 32. hæc habet. *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptisare in necessitate infirmitatis positum catechumenum*, cuicunque itaque fideli, ac proinde etiam Laico, in casu necessitatis, a Concilio Elliberitano permissum est baptisare, hac tamen adjecta ordinatione, ut pluribus præsentibus laicis, ab illo administretur baptisma, qui post baptisma gravi culpa non est inquinatus, nec sit bigamus. In Concilio etiam Lateranensi 4to: definitum est. *Sacramentum Baptismi à quocunque rite collatum, proficere ad salutem.* Quare quicunque Laicus, sive vir, sive mulier, fidelis, vel infidelis, Judæus, Paganus, aut Hæreticus, valide possunt baptisare, dummodo

rite

rite, iuxta Christi institutionem baptisent. Unde Eugenius IV in instructione pro Armenis data, sic docet: *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos. vel Diaconus, sed etiam Laicus. vel mulier, immo etiam Paganus, & Hæreticus baptisare potest.* Et id tenet praxis totius Ecclesiæ.

Obiicies: 1mo: Iis solis competit potestas baptisandi, quibus datum est â Christo jus Evangelium prædicandi, hæc enim dúo nexu indivulso conjunguntur, patet ex verbis Christi. *Euntes docete, prædicate Evangelium omni creaturæ, baptisantes eos...* & Christus solis Apostolis, eorumqe Successoribus jus docendi, atque Evangelium prædicandi concessit. Ipsis etiam solis, eorumque Sucessoribus dedit potestatem baptisandi. *2do:* Veteres, veluti: Tertullianus, Epiphanius, Mulieres arcent à Sacro Ministerio, baptisare illas prohibent, atque in hoc Hæreticos Marcionitas; & Collyridianos redarguunt, quod Mulieribus baptisare permittant. *3tio:* In Constitutionibus Apostolicis, & in Concilio Carthaginensi 4to: expresse prohibitum est mulieribus baptisare, & si hoc sibi usurpaverint, impium & â doctrina Christi alienum esse declaratur, *4to:* incredibile est, quomodo Judæus, aut Paganus, cum ipse baptismum non habeat, possit alteri dare, unde Tertullianus libro de Baptismo cap: 17. scribit. *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest.* Cum igitur Judæus, aut Paganus baptismum non habeant, dare illum non possunt.

Resp: ad 1mum: Quemadmodum Christus Apostolis, illorumque Successoribus potestatem ordinariam docendi, ac jus, publice Evangelium prædicandi, concessit, ita etiam illis potestatem ordinariam, publice, ac ritu sollemni baptismum administrandi contulit, unde diximus Episcopos esse ordinarios, & sine ulla à quocunque dependentia, aut aliqua subordinatione sollemnis baptismi Ministros. Verum quemadmodum etiam laici, & fæminæ, si opus sit, privatim docere possunt. Nam Priscilla, & Aquila, laici, ut habemus Actor: cap: 18. virum cui nomen erat Apollo edocuerunt, *& diligentius exposuerunt ei viam Domini*, ita etiam privatim & urgente necessitate possunt baptismum conferre. Certe Philippus Diaconus, Apostolus non erat, attamen & Samaritanis verbum Dei prædicavit, & multos, ac præcipue Eunuchum Candacis Reginæ baptisavit, non ergo solis Apostolis in omni casu, & circumstantia hæc munera commissa sunt.

Ad 2dum: Prioribus Ecclesiæ sæculis grassabantur Hæ-

Hæreses, quæ Mulieribus ſacra munia, docere, offerre, baptisare, publice in Ecclesia exercere permittebant, tales erant, præter Marcionitas, Collyridianosque, Pepusiani; hos, Epiphanius, atque Tertulianus redarguunt, quare Epiphanius probat Ecclesiasticum Ordinem nec Præsbyteras, nec Sacrificulas admittere, & Tertullianus, cum ex Apostolo attuliſset fæminæ non licere in Ecclesia loqui, inde infert neque tingere seu baptisare illam poſse. De publico igitur in Ecclesia Ministerio loquuntur, à quo Mulieres amovent. Sed privatim, & in casu neceſsitatis Mulieres baptisare poſse, non negant.

Ad 3tium: Pari modo Auctor Constitutionum Apostolicarum, publice & sollemniter in Ecclesia Mulieribus prohibet baptisare, contra graſsantes tunc Hæreses, quæ etiam Sacerdotalem dignitatem Fæminis conferebant, prout testantur SS. Epiphanius hæresi 49. & Augustinus libro de Hæresibus cap. 27. de quibus sic inquit: *tantum dabant Mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorarentur,* quod certe impium est, & à Christi doctrina prorsus alienum. Eo etiam collimat prohibitio Concilii Carthaginensis, sic enim Canon: 100. habet. *Mulier quamvis docta, & sancta, viros in conventu docere, & aliquos baptisare non præsumat.* Quamobrem sicut de publico verbi Ministerio, quod in Conventu perficitur, ita etiam de publica Baptismi administratione sermo ibi est, quæ ſemper prohibita fuit.

Ad 4tum: Quisquis baptisat, non suum dat, sed Christi, licetsi ergo Judæus aut Paganus baptisma non habeat, potest tamen illum alteri dare, unde Optatus Milevitanus libro 5. de Schismate Donatistarum sic eos exagitat: *Redeo nunc ad illud vestrum, quod dicitis. Qui non habet quod det, quomodo dat? Unde hæc vox est? de qua lectione recitari potest? Vox est de vico collecta, non de libro lecta. Qui non habet quod det, quomodo dat? Hæc verba in lege scripta non sunt, nam si ut vultis homo dat, Deus vocat, & si Deus vocat, & apud vos est, quod dandum est, ad vos fit conversio, quos baptisatis, in nomine vestro tingantur.* Certe Judæus, aut Paganus dum baptisat, aquam admovere, illa abluere, verba baptismatis proferre potest, gratiam vero Christus confert, nihil ergo hic est, quod fidem ſuperet. Quare & Tertullianus libro in obiectione citato inquit: *Baptismus æque Dei census, ab omnibus exerceri potest,* unde dum dicit: *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest,* hunc pu-

temus

tamus eſse ſensum: quod ab omnibus æque, & sine ullo discrimine, accipi potest, ab omnibus quoque dari potest. Cum itaque baptismus ab omnibus accipi poſsit, quia pro omnibus constitutus est, ab omnibus etiam administrari potest.

Quæres xxmo: Quibus Sacramentum Baptismi est conferendum?

Resp: Certum, & indubitatum est, omnes, qui ex Adam nascuntur, Baptisandos eſse ut ſalutem consequantur, nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Cælorum, unde Christus Apostolos mittens in universum mundum præcepit eis dicens: *Euntes, docete omnes gentes Baptisantes eos...* Verum quæstio restat, utrum etiam Infantes, ante adeptum rationis usum Baptisari poſsint & debeant.

Pædo-baptismum, seu Infantium baptisma, negarunt olim Valdenses, Petrobruſsiani, Cathari Hæretici, sed præsertim anno 1521, authore Nicolao Stork exorti Anabaptistæ, Infantium baptisma totis viribus impugnarunt, atque ante adeptum usum rationis baptisatos, iterum in adulta ætate Baptisabant, ac propterea Anabaptistæ nuncupati sunt. Jllorum Sectam in multis reformavit Menno Simonis, à quo Mennonitæ nunc vocitantur. Sed & Sociniani Baptismum Infantibus non eſse necc ſsarium aſserunt, nihilominus ad evitandum scandalum, & offensionem infirmorum, Infantium Baptisma poſse tolerari docent.

Recentiorum Hæreticorum complures contendunt, olim neminem Baptisatum fuiſse, nisi ætate jam adulta. Sed etiam ex Catholicis, Ludovicus Vives, & Walfridus Strabo docuerunt; neminem olim Sacro Baptisterio admotum, nisi adulta ætate. Hi tamen, licet in historia temporum erraverint, & quorundam consvetudinem differendi Baptisma, putaverint fuiſse universalem, minime tamen negarunt, licite & valide parvulos Baptisari. Tandem Erasmus docuit, parvulos, qui ante adeptum rationis usum Baptisati sunt, cum adoleverint, interrogandos eſse, an ratas habeant promiſsiones per eorum Sponsores factas, neque ad Christianam vitam cogendos, si illas noluerint confirmare.

Hos errores Concilium Tridentinum Seſs: 7ma de Baptismo sequentibus Canonibus damnavit. 12. *Si quis dixerit, neminem eſse Baptisandum, nisi ea ætate, qua Christus Baptisatus est, vel in ipso mortis articulo, anathe-*

thema sit. 13. *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non eſse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, eſse rebaptisandos, aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes Baptisari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.* 14. *Si quis dixerit, huiusmodi parvulos Baptisatos, cum adoleverint, interrogandos eſse, an votum habere velint, quod Patrini eorum nomine, dum Baptisarentur, polliciti sunt, & ubi se nolle responderint, suo eſse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.*

Quæres 2zmo: Estne igitur licitum, & congruum, ut Infantes ante adeptum usum rationis baptisentur?

Resp: Id licitum, atque congruum eſse, valide proinde Parvuli baptisantur. Et id probatur *1mo*: ex Sacris Scripturis. Quemadmodum enim olim Deus omnibus, etiam parvulis octo dierum, Genesis Cap. 17 circumcisionem mandavit, ne incircumcisi anima deleretur de populo, ita quoque Christus Joannis Cap: 3. universim omnibus, ac proinde etiam parvulis baptismum constituit, ne à regno cælorum excluderentur, dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Certe parvulis etiam Christus appromiserat regnum Cælorum, dum dixerat ad Apostolos ſuos Math: Cap: 19. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum cælorum.* Porro hic sermonem eſse de teneris infantibus, luce meridiana clarius est, siquidem loquitur Christus de illis, qui ipsi oblati erant, atque offerebantur, & quos ulnis ſuis complexus est, ut Marci Cap: 10. narratur. Ac tandem Lucæ Cap: 17. vocantur Infantes, ſeu ut in græco legitur, recentes ab utero, & qui ad Christum afferebantur. Cum autem nemo poſsit introire in regnum cælorum, nisi renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, manifeste consequitur, etiam parvulos per Baptismum regenerari oportere, ut ipsi regnum cælorum conſequantur. Et vero, ut Infantes poſsint intrare in regnum cælorum, neceſse est, ut quod generatione carnali contraxerunt, regeneratione spirituali in ipsis expietur. Porro quoniam omnes in iniquitatibus concipimur, & in peccatis nascimur, quia omnes in Adam peccavimus, ut docet Apostolus, carnali generatione Infantes labem peccati origina-

ginalis contrahunt, ad quam expiandam, aliud ipsis non suppetit remedium, nisi baptismus, quem Paulus lavacrum regenerationis ac renovationis vocat. Hac igitur necesse est ut mundentur, renoventur, ac regenerentur, atque sic salvi fiant. Valide itaque ac licite Infantes Baptisari possunt, alias omni salutis consequendæ medio destituti forent, nullumque illis Deus providisset, hoc vero de divina bonitate cogitari nequit. Vult siquidem Deus omnium hominum salutem, ac proinde unicuique hominum ætati, necessaria providit, ac præparavit media salutis, nullumque hominum ab iis exclusit. Cum itaque Baptismus, Infantibus unicum sit salutis remedium, illum ipsis præordinavit, ac præparavit, nec ab illo ipsos exclusit, imo cum Infantium ætas longe sit debilior, quam Adultorum, & multo plures Infantes, quam Adulti moriantur, divinæ Bonitati congruentissimum fuit, illis præceteris Baptismum, quo solo salvari possunt, præordinare. Præsupposita itaque immutabili Christi institutione, quod nemo, nisi ex aqua & Spiritu Sancto renatus, possit introire in Regnum cælorum, divina bonitas, ac salus Infantium postulant omnino, quod ipsi valide, ac licite possint baptisari, ac omnino debeant, ne in æternum pereant.

Totam hanc probationem comprehenderat Concilium Tridentinum, Sess: 5. de Peccato Originali sic statuens: *Si quis parvulos recentes ab uteris Matrum baptisandos negat, aut dicit eos nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendam est id, quod dixit Apostolus. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa, semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, ex Traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptisantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

2do. Idem evincitur Traditione, & Authoritate SS. Patrum. S. Dyonisius, seu quisquis alius author antiqvus de Eccles: Hierarch: Cap: 7. sic inquit: *Divini nostri duces probaverunt, infantes, qui nondum divina mysteria intelligere possunt, recipi ad Baptismum.* S. Irenæus libro 2. ad-

2. adversus Hæreses cap: 22. ait: *Omnem ætatem Dominus sanctificat, omnes inquam qui per eum*, id est per baptismum, *renascuntur in Deum, infantes, & parvulos, & pueros.* Origenes in caput 6. Epist: ad Romanos scribens, inquit: *Ecclesia Traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvulis dare Baptismum.* S. Cyprianus in Epistola 59. ad Fidum Episcopum, diserte docet, Infantibus necdum dies octo natis, dandum esse Baptisma, quod & Concilium Carthaginense ex 66. Episcopis anno 253. congregatum, cui ipse præfuit Cyprianus confirmavit, dum Fido Episcopo interroganti an infantes non ante octavum â nativitate diem, juxta legem circumcisionis antiquæ, baptisandi forent, sic respondit: *Universi judicavimus, nulli hominum nato, misericordiam esse denegandam.* Unde & Hieronymus libro 2. contra Pelagianos, adducto Cypriani ex præcitata Epistola 59. textu, sic concludit: *Etiam infantes in remissionem peccatorum baptisandos credatis.* Eadem docent alii SS. Patres. Augustinus libro 10. de Genesi ad Litt: Cap: 23. inquit: *Consvetudo Matris Ecclesiæ in baptisandis parvulis, Apostolica est Traditio.* S. Leo I. Epist: 86. ait: *A parvulo recens nato, usque ad decrepitum senem; nullus prohibendus est à Baptismate.*

His accedit definitio Conciliorum Milevitani, Bracarensis 3tii. Senonensis, Rhemensis. Concilium Carthaginense anno 418. coactum, anathema in eos vibrat, qui negant parvulos ab utero recentes, baptisandos esse. Has porro particularium Synodorum definitiones, confirmarunt duo Concilia generalia, nempe Vienense, quod sic habet: *Credimus Baptisma esse tam adultis, quam parvulis communiter perfectum remedium ad salutem.* Et Tridentinum supra allegatum. Sess: 7. Can: 13.

Tandem hæc eadem veritas continua Ecclesiæ corroboratur praxi, quæ ab Apostolis cæpit, semperque in Latina, Græca, ceterisque omnibus Orientalibus Ecclesiis semper perduravit. Certe Actorum Cap: 16. legimus Lydiam cum tota ejus familia, & Custodem carceris cum tota domo, baptisatos fuisse, & Paulus 2. Corinth: Cap: 16. testatur se Stephanæ domum baptisasse. Inverisimile autem est, in tota domo, ac familia, nullos fuisse parvulos, quare ex his non obscure deducitur, Apostolos etiam parvulos baptisasse, & Auctor Const: Apost: libro 6. Cap: 15. Sic inquit: *Sed & baptisate vestros pueros, atque eos educate in disciplina, ac monitis Dei.*

Objcies 1mo: Scripturarum testimonia ostendunt potius

tius Infantes non esse baptisandos. Nam Math: Cap: 28. præcipitur iis fore conferendum baptisma, qui edoceri possunt, unde & Marci Cap: ult: dixit Christus: *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit*: Cum itaque infantes nec fidei, nec doctrinæ capaces sint, baptisari non debent. *2do:* S. Gregorius Nanzians. Orat: 40. in sacrum lavacrum, ad spatium trium annorum Baptisma differendum esse contendit. S. Hieronymus Comment: in Mathæum hæc habet: *Non potest fieri, ut corpus Baptismi accipiat Sacramentum, nisi ante anima Baptismi receperit veritatem*: alii vero SS. Patres veluti Basilius, Ambrosius ceterique non pauci, nonnisi in adulta ætate Baptismum susceperunt. *3tio*: Si Infantes baptisandi sunt, saltem dum ad rationis usum perveniunt, interrogandi sunt, an vellint in Christi religione persistere, plenaque illis optio hac in re relinquenda est, neminem siquidem invitum ad suam religionem cogi vult Christus.

Resp: ad 1mum: Christus Dominus cum Apostolos suos ad prædicandum Evangelium misit, quoniam Adultis annunciandum erat, instruens illos quomodo hoc in munere procedere deberent, jussit ut primo docerent, ac eos qui crediderint, baptisarent, quare Marci de iisdem Adultis dicitur, *qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit*. Sed quemadmodum Infantes, quorum longe plures ante adeptum rationis usum moriuntur, salute non excluduntur, ita etiam, licetsi ipsi edoceri, & credere nequeant, á baptismate, sine quo salvari nequeunt, minime arcentur. Imo videntur omnino in Christi mandato Apostolis dato, infantes secundum id, quod illarum ætas patitur, inclusi esse. Docere siquidem omnes gentes, omnique creaturæ Evangelium annuntiare jussi sunt Apostoli, illasque sine omni ætatis, conditionis, sæxus distinctione, baptisare, ergo cujuscunque sexus, conditionis, atque ætatis etiam, ac proinde Infantes quoque, licet instrui, ac doceri, quia ante adeptum rationis usum, istius capaces non sunt, nequeant, baptisari possunt, quia ad id habiles, atque idonei sunt. Certe circumcisionis mandatum á Deo Abrahæ ac filiis Israel datum, Adultis impositum fuit; attamen Parvulos etiam respiciebat, qui nec nosse poterant, quid istiusmodi significaret circumcisio, quo fine instituta, ad quid ordinaretur. Pari modo licetsi præceptum Baptismi á Christo omnibus Gentibus impositum, tunc ad Adultos ordinabatur, Parvulos etiam comprehendit, qui licet baptismi mysterium intelligere non valent, baptisari possunt.

Ad

Ad 2dum: S. Gregorius Nanzianzenus, licetsi putaverit Baptisma ad spatium trium annorum differendum esse, quæ particularis fuit illius opinio, attamen casum necessitatis excipiendo, infantes baptisari posse censuit, in eadem siquidem oratione, cum sibi proposuisset quæstionem, an cujuscunque ætatis Infantes baptisare liceat, sic inquit: *Ita sane, si quod periculum urgeat, præstat enim absque sensu sanctificari, quam absque sigillo, & obsignatione abscedere.* At vero S. Hieronymus de Gentilibus adultis loquitur, iis autem nisi prius doctrina, & fide Christi imbuantur, Baptismatis Sacramentum administrari non debet. Verum alibi maxime libro 3. contra Pelagianos docet, Infantes esse baptisandos. Quod vero nonnulli ex Patribus Baptismum recipere distulerint, id tantummodo ostendit, diversam hac in re fuisse Sanctorum praxim, nec mirum, cum quotidie id, quod uni videtur esse factu optimum, alteri displiceat. Ceterum praxim eorum, qui diu Baptisma differebant, adeo Ecclesia improbavit, ut eos à ministerio altaris excluderet, & Ambrosius, ut scribit Baronius ad annum 377. factus Episcopus, se Baptismum distulisse doluit, & ab aliis ne in posterum fieret, vehementer admonuit.

Ad 3tium: Qui in infantia baptisantur, dum ad virilem ætatem perveniunt, non sunt interrogandi an vellint in Christi religione persistere, quia illorum suprema felicitas postulat, ut in illa permaneant, nec danda est illis libera optio ad ipsorum animarum æternam perniciem, Christus quidem Dominus neminem adultum non baptisatum ad suam amplectendam religionem cogere voluit, sed infantes cum baptisati sint, ac per baptismum Christo subjecti facti sunt, Ecclesiæ ipsius aggregati atque adunati, ac propterea non sunt jam sui juris, proprio itaque arbitrio relinqui non possunt.

Quæres 23tio: Qui sunt effectus baptismi?

Resp: A priscis Ecclesiæ sæculis fuerunt Hæretici, qui contendebant, per baptisma peccata non remitti, talis erat Proclus teste Epiphanio, & Messaliani, qui ut inquit Theodoretus libro 4. hæret. fabul. hæresi 11. *Baptisma dicunt, suscipientibus nihil prodesse.* Pelagiani, quoniam peccatum originale negabant, illud etiam per baptisma deleri, affirmare non poterant. Lutherus, & Calvinus docent, per Baptismum peccata reipsa non tolli, sed tantum tegi, ne à Deo nobis imputentur. Sed fidei Catholicæ dogma est, per baptisma vere deleri tum ori-

gina le

ginale, tum actuale quodvis peccatum, ac proinde per ipsum conferri gratiam, qua homo interius justificatur. Et id Probatur 1mo: ex Sacris Scripturis. Paulus Apostolus ad Ephes. cap: 2. docet, nos omnes efse natura filios iræ, & ad Galat. cap. 3. affirmat, omnes, quotquot baptisati sunt, Christum induifse, ex quo consequitur, per baptisma peccatum originale, quod nos filios iræ constituit, deleri, quare Epist: ad Rom: Cap: 6. docet idem Apostolus, quod per baptisma vetus homo crucifigatur, ut destruatur corpus peccati. Certe quemadmodum habemus in Symbolo Constantinopolitano, credimus *unum baptisma in remifsionem peccatorum*. Et quidem generatim, ac universim, quod proinde de adultis, ac parvulis intelligi debet. Cum vero parvuli nullum actuale peccatum habeant, quod per baptisma deleri, ac remitti pofsit, peccatum originale per illud in ipsis deletur, ac remittitur. Et hanc veritatem constans, ac perpetua Ecclesiæ Traditio confirmat, quare merito Concil: Trid: Sefs: 5 definiverat: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam afserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud tantum dicit radi, aut non imputari, anathema sit.*

Sed non tantum originale peccatum per Baptisma tollitur, verum & actualia omnia. Enim vero Petrus Apostolus Actorum Cap: 2. in prima sua conditione, ad compunctos corde Iudæos dixit: *Pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisque vestrum, in remifsionem peccatorum vestrorum.* Paulus etiam I. ad Corinth. cap: 6. postquam graviora enumeravit peccata, sic fideles alloquitur: *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Unde luculentifsime apparet, per baptisma peccata non tegi tantummodo, aut radi, sed prorsus destrui, et aboleri. Et id unanimi consensu docent Ss. Patres, hic fufficit unum adduxifse S. Hieronymum; qui Epist: 83 ad Oceanum sic scribit: *Omnia scorta, & publicæ colluvionis sordes, impietas in Deum, parricidium, et incestus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriusque sexus mutata natura, Christi fonte purgantur.* Utrumque autem paucis verbis comprehensus est Eugenius IV. in suo Decreto ubi de Baptismo sic inquit: *Hujus Sacramenti effectus est, remifsio culpæ originalis, & actualis.*

Quæres

Quæres 24to: Utrum etiam omnem pænam peccatis debitam, tollat baptismus?

Resp: Baptismus etiam omnem pænam peccatis debitam tollit. Ut enim inquit Concilium Tridentinum Sefs: 5. *Nihil est damnationis in iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptismum, ita ut nihil prorsus eos ab ingrefsu cœli remoretur.* Quod & testimonio Ss. Patrum comprobatur. S. Augustinus libro 2. de peccat. merit. & remifs: Cap: 28. sic inquit: *Si continuo post Baptismum sequatur ex hac vita emigratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quæ tenebant.* Et S. Hieronymus Epist: 82. ait: *Post indulgentiam Baptismi, judicis non est metuenda severitas.* Id quoque manifeste evincitur ex continua Ecclesiæ praxi. Quandoquidem licet Ecclesia ante Baptismum Catechumenis varia pænitentiæ opera indixerit, sive ut magis probarentur, sive ut melius dispositi, uberiorem in Sacramento gratiam perciperent, nulla tamen illis, recepto baptismate, pro peccatis ante baptismum commifsis, satisfactoria imposuit opera, & si Catechumenus ob mortis periculum, ante constitutum tempus, baptismo initiaretur, valetudine recuperata, ad catechumeni statum non amplius redibat, jam vero post baptismum lapsi, antequam Sacramentalem recepifsent reconciliationem, diuturno tempore in pænitentia debebant permanere, & si aliquando pænitentes gravi decumbentes morbo, ante elapsum pænitentiæ tempus, reconciliati fuerint, si convaluifsent, ad eum pænitentiæ gradum revertebantur, in quo eos excepit infirmitas. Porro hujusmodi agendi, ratio alia nulla reddi potest, nisi quod semper in Ecclesia Dei persvasum fuerit, per Baptismum omnem tolli pænam peccatis debitam.

Quæres 25to: An in sola remifsione peccatorum pænæque illis debitæ, consistat effectus Baptismi?

Resp: Effectus Baptismi non in sola positus est remifsione peccatorum pænæque illis debitæ condonatione, sed gratiæ etiam sanctificantis atque theologicarum virtutum infusionem annexam habet. Enimvero Paulus Apostolus 1. Corinth: Cap: 6. baptisatos vocat ablutos, sanctificatos, justificatos: *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis.* Per baptisma igitur abluimur à peccatis, justificamur, ac præterea sanctificamur, adeo ut quemadmodum idem docet Apostolus ad Titum scribens Cap: 3. per lavacrum regenerationis renovamur Spiritu

sancto

sancto, & novum hominem induimus qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis. Et hæc baptismatis gratia non pertransiens, sed permanens, atque habitualis est, qua templum Dei efficimur, & Spiritus Dei habitat in nobis, ut inquit Paulus 1. ad Corinth: Cap: 3. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Sed præterea per baptismum virtutum theologicarum, fidei videlicet, spei, ac charitatis habitus nobis infunduntur. Denique filii Dei, & cohæredes Christi constituimur. Unde Concilium Tridentinum Sess: 6. Can: 11. sic definivit: *Si quis dixerit, homines justificari, sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, anathema sit.* Egregie autem omnes Baptismi effectus complexus est S. Chrysostomus Serm: ad Neophytos sic inquiens: *Non tantum sunt liberi, sed & sancti, sed & justi, sed & filii, sed & hœredes, non solum hæredes, sed & fratres Christi, non tantum fratres Christi, sed & cohœredes & membra, non tantum membra, sed & templum, sed & organum Spiritus Sancti. Vide quot sint baptismi largitates.*

CAPUT TERTIUM

De notione, institutione, ac necessitate Sacramenti Confirmationis, ejusque effectibus.

ARTICULUS 1mus

De notione & institutione Sacramenti Confirmationis.

Quæres 1mo: Quibus nominibus antiquitus designabatur Sacramentum Confirmationis?

Resp: Confirmationis Sacramentum antiquitus, Sacramentum Chrismatis, Sanctum, ac supercæleste Chrisma, Chrisma salutis, à Latinis vocari solebat; à Græcis vero unctio dicebatur, atque iis nominibus donabatur, quæ, ex græco ungventum liquidum significant. Impositio etiam manuum vocitari solebat, phrasi derivata, ex Actibus Apostolorum Cap: 8. ubi Apostoli leguntur baptisatis manus imposuisse, ut acciperent Spiritum Sanctum,

etum. Verum communiter Confirmatio dicebatur, quia scilicet, ut inquit Catechismus Roman: part: 2. Cap: 3. *Chrismatis Sacramento adversus omnes carnis, mundi, & diaboli impetus, robustiores baptisati fiunt, & eorum animus, in fide omnino confirmatur.*

Quæres 2do: Quid ergo est istiusmodi Confirmatio?

Resp: Confirmatio est novæ legis Sacramentum, quo baptisatis confertur robur Spiritus Sancti, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam intrepide profitendam. Cum enim Confirmatio â Christo instituta sit, propria materia, ac forma ab ipso donata, est proinde verum novæ legis Sacramentum. Baptisatis autem datur, unde non baptisati hujus Sacramenti capaces non sunt. Proprium vero Confirmationis est, ut plenitudinem Spiritus Sancti conferat, quare licetsi per baptismum homo sanctificetur, Confirmatione perficitur, & in sanctitate roboratur. Præcipuus vero Confirmationis effectus est, quod fidem in nobis corroboret, atque ad illam coram hostibus religionis nostræ, si opus fuerit, intrepide profitendam, constantes efficiat.

Quæres 3tio: Utrum Confirmatio reipsa sit verum Sacramentum â Christo Domino institutum?

Resp: Confirmationem verum esse Sacramentum â Christo Domino institutum, negarunt, Lutherus, ac Calvinus, illorumque asseclæ. Melanchton, Confirmationem dicit esse otiosam cæremoniam, Buddeus ritum ab hominibus introductum. Turrentinus affirmat illam veterem esse Ecclesiæ morem, ut baptisati, cum ad rationis usum pervenerint, in doctrina Catechetica instituantur, deinde Episcopo, vel Pastori offerantur, atque tunc rationem reddendo sui in doctrina profectus, ratas habebant promissiones ipsorum nomine in baptismate factas. Verum hos errores Concilium Tridentinum Sess. 7. de Confirmatione Can: 1. anathemate confixit, atque definivit: *Si quis dixerit, Confirmationem baptisatorum, otiosam esse ceremoniam, & non potius verum, et proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.* Ex quo consequitur, Confirmationis Sacramentum â Christo Domino fuisse institutum. Cum enim omnia Sacramenta Christus ipse instituerit, quemadmodum Concilium Tridentinum Sess: 7. de Sacramentis Can: 1. definierat, nulla suppetit ratio dubitandi, Confirmationis quoque Sacramentum fuisse ab ipso institu-

institutum, materiam, ac formam illius determinaſse. Quo vero tempore id à Christo factum fuerit, incertum est. Probabile videtur, id Christum feciſse, quando post suam Resurrectionem, per quadraginta dies apparens discipulis suis, loquebatur de Regno Dei.

Quæres 4to: Quibus argumentis evincitur Confirmationem eſse verum novæ legis Sacramentum à Christo Domino institutum?

Resp: Dogma istud duplici præcipue evincitur argumento, nimirum, Sacrarum Scripturarum authoritate, & Traditione. Et quidem *1mo:* Actorum Cap: 8vo hæc legimus: *Cum audiſsent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepiſset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum veniſsent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptisati tantum erant in nomine Domini Jesu, tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Similia leguntur Actor: Cap: 19. ubi multi *baptisati sunt in nomine Domini Jesu, & cum imposuiſset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* Ex quibus manifestiſsime apparet, manuum impositionem cum adjuncta oratione baptisatis factam, eſse Sacramentum, per eam siquidem tamquam efficacissimum instrumentum datur Spiritus Sanctus: *Oraverunt ut acciperent Spiritum Sanctum, imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum Sanctum:* Porro Confirmatio, quam Sacramentum eſse dicimus, aliud non est, quam impositio manuum cum præscripta oratione baptisatis facta, qua robur Spiritus Sancti illis confertur. Est ergo vere Sacramentum, a Christo institutum. Certe orationi, ac manuum impositioni, virtutem elargiendi gratiam Spiritus Sancti, solus Deus poterat conferre, atque ipsi annectere. Cum itaque manuum impositio ac oratio, tantæ fuerit virtutis, ut illa adhibita, protinus daretur Spiritus Sanctus, id non aliunde nisi ex Divina habuit institutione. Et id quidem ipse Simon Magus bene intellexit, atque persvasum habuit, per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum Sanctum. Sic enim in eodem Actor: Cap: 8. legimus: *Cum vidiſset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum, daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Vidit ergo Simon & credidit, per impositio-

sitionem manus Apostolorum, dari Spiritum Sanctum, persvasum ei fuit, per illam semper conferri Spiritum Sanctum, hancque pro se potestatem ab Apostolis efflagitabat. Cum itaque ex Sacris Scripturis evidentissimum sit, per manuum impositionem ab Apostolis collatum fuisse baptisatis Spiritum Sanctum, inde consequens est, manuum impositionem ad conferendum Spiritum Sanctum à Christo institutam fuisse, ac proinde verum esse novæ legis Sacramentum.

Certe istiusmodi manuum impositio, cum oratione & Chrismatis inunctione, tamquam Sacramentalis ad robur Spiritus Sancti baptisatis conferendum, semper in Ecclesia à temporibus Apostolorum, in usu atque continua praxi fuit, quod constat ex omnibus libris Ritualibus Ecclesiæ Orientalis, Occidentalis, atque Græcorum Euchologiis, qui etiam illam inter septem à Christo instituta annumerarunt Sacramenta. Unde S. Cyprianus Epist: 73. sic inquit de Samaritanis à Philippo baptisatis: *Quod deerat, id à Petro, & Joanne factum est, ut oratione habita, & manu imposita, invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptisantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram Orationem, & manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo divino consumentur.* Quare nihil deest Confirmationi quominus verum novæ legis Sacramentum dici possit, ac reipsa sit. Enimvero ad rationem Sacramenti necesse est, ut sit signum sensibile, permanenter à Christo institutum, habens annexam sibi gratiam. Porro ex mox adductis patet, in Confirmatione hæc omnia reperiri. Est nempe signum sensibile, materia videlicet, sive manuum impositio, sive Chrismatis inunctio & forma, seu oratio, seu verba in unctione adhiberi solita. Habet etiam annexam gratiam, quia per illam Spiritus Sanctus datur. Est quoque institutionis divinæ permanentis, quia & semper practicata fuit in Ecclesia, atque hucusque practicatur, nullusque hominum gratiam Spiritus Sancti signo sensibili annectere potest, nisi solus Deus. Est itaque Confirmatio veri nominis Sacramentum.

2do: Sed & Traditione eadem Catholica veritas comprobatur, cujus testes locupletissimi sunt SS. Patres. Unanimi siquidem consensu docent, per manuum impositionem, & Chrismatis inunctionem, conferri gratiam Spiritus Sancti. S. Irenæus libro 4. contra Hæreses Cap: 38. ait

ait: *Quibuscumque imponebant Apostoli manus, accipiebant Spiritum Sanctum.* Auctor Anonimus, qui Cypriano, & Stephano coævus fuit, sic inquit: *Per manus impositionem Episcopi, datur unicuique credenti Spiritus Sanctus, sicut Apostoli circa Samaritanos post Philippi baptisma manum eis imponendo fecerant, & hac ratione Spiritum Sanctum in eos contulerunt.* Similia habent, Hieronymus, Chrysostomus, Innocentius I. Augustinus, & alii. Sed & Christis inunctioni, quæ manuum impositioni semper conjungebatur, eandem Spiritus Sancti gratiam Patres perpetuo attribuunt. S. Cyprianus Epist: 70. hæc scribit: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptisatus sit, ut accepto Chrismate idest unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Quia scilicet post baptisma, statim sequebatur Chrismatis inunctio, quemadmodum scribit Auctor Constit: Apostol. lib. 7. Cap: 22. *Unges prius oleo Sancto, deinde baptisabis aqua, & tandem signabis unguento:* & Concilium Laodicenum Can. 48. hæc habet: *Oportet eos, qui illuminantur, post baptisma inungi supercœlesti Chrismate:* Non tamen sterilis, & otiosa erat, istiusmodi Chrismatis inunctio, sed gratiæ productiva. Quare S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech: 3. sic inquit: *Dum ungvento visibili inungitur corpus, sancto. & vivifico Spiritu anima sanctificatur:* & S. Pacianus Serm: de Baptismo ait: *Hæc compleri nequeunt, nisi lavacri & Chrismatis, & Antistis Sacramento, lavacro enim peccata purgantur, Chrismate Spiritus Sanctus super infunditur.* Plura SS. Patrum testimonia congerere superfluum est, cum nullus fere inveniatur, qui non meminerit aut manuum impositionis, aut Chrismatis inunctionis, quibus Spiritum Sanctum conferri aperte omnes docent, sufficit hic Tertullianum adduxisse, qui & manuum impositioni & unctioni, Spiritus Sancti attribuit gratiam; sic enim libro 8. de carnis Resurrect. scribit: *Caro abluitur, ut anima imaculetur, caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.* Quia ergo unanimi consensu SS. Patres docent, per manuum impositionem, atque Chrismatis inunctionem dari Spiritum Sanctum, gratiam Christi percipi, animam sanctificari, consecrari, per orationem quæ manuum impositioni, chrismatisque unctioni adjungitur, Spiritum Sanctum invocari, conferri, & hæc omnia materiam, formamque Con-

H2 firma-

firmationis constituunt, evidentissimum est, ipsam verum esse novæ legis Sacramentum.

Sed & non pauci SS. Patres, manuum impositionem, Chrismatisque unctionem expresse, ac rotundis verbis Sacramentum vocant. Sic August: Tract: 3. in Epist: 1. S. Joan: *Unctio Spiritualis, ipse Spiritus Sanctus est, cujus Sacramentum est in unctione visibili*, & iterum: *Unctionis Sacramentum est virtus ipsa invisibilis, unctio invisibilis Spiritus Sanctus, unctio invisibilis caritas est.* Ac libro 2. contra litteras Petiliani Cap: 104. unguentum in genere visibilium signorum dicit esse *Sacramentum, sicut ipse baptismus.* Auctor quoque antiquus librorum de Ecclesiastica Hierarchia cap: 4. postquam de Baptismo locutus fuisset, hæc subjungit: *Est autem finitimum ei alterum Sacramentum, quod præceptores nostri unguenti mysterium nominant.* Certe ante exortas Lutheri, & Calvini hæreses, omnes Latini, Græci, Orientales universi Confirmationis Sacramentum confitebantur, neque ostendi potest tempus, quando hæc opinio in Ecclesia cæperit, est igitur Traditionis Apostolicæ, unde licetsi deessent testimonia Scripturarum, quibus evincitur Confirmationem esse veri nominis novæ legis Sacramentum, ad id comprobandum sola sufficere deberet traditio, ex Conciliis Patribus, ac Scriptoribus Ecclesiasticis deprompta.

Obijcies 1mo. Spiritus Sanctus per manuum impositionem ab Apostolis Samaritanis collatus, solas gratias gratis datas designat, siquidem Samaritani jam per Baptismum Spiritum Sanctum acceperunt, & iste, qui per manuum impositionem illis collatus erat Spiritus, ejusdem ordinis fuit, ac ille, qui in die Pentecosten datus fuit Apostolis, ij autem dona tantum miraculorum, prophetiæ, at lingvarum acceperant, unde Petrus Actor: Cap: 2. post illapsum Spiritus Sancti in Apostolos, affirmat tunc impletum fuisse Joelis Cap: 2. expressum vaticinium: *effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ.* Cum itaque gratiæ gratis datæ, jam pridem in Ecclesia cessaverint, neo amplius per manuum impositionem conferantur, Sacramentum vero gratiam sanctificantem aut ipsius augmentum conferre, ac stabile, atque permanens esse debeat, igitur impositio manuum de qua Actor: Cap: 8. legimus, non erat Sacramentum, 2do: Ad morbos curandos Apostoli ægrotis manus imponebant, ut in Scripturis legimus. Hæc tamen Sacramentalis non erat: Ergo nec illa per quam dona Spiri-

Spiritus Sancti gratis data conferebantur. *3tio:* Quæ Confirmationi tribuuntur, derogant virtuti & efficaciæ Baptismi, dicitur namque per Confirmationem dari Spiritus Sanctus, quasi per Baptismum non daretur. Melius ergo & rectius est dicere, Confirmationem esse cæremoniam Baptismo adjunctam, unde etiam Græci semper illam Baptismo adjungunt.

Resp: ad 1mum: Per manuum impositionem, quæ ab Apostolis facta est Samaritanis, non solas gratias gratis datas ipsis collatas fuisse, evincit ipsa sollicitudo Apostolorum, curaque quam plurima. Cum audissent siquidem Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod Samaria recepisset verbum Dei, continuo miserunt Petrum & Joannem, qui statim ac pervenerunt ad eos, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum, arbitratique sunt quidpiam ad salutem maxime conducens, ac perutile omnibus, ipsis defuisse, quare statim subjungitur, *nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptisati tantum erant in nomine Domini Jesu.* Porro gratias gratis datas, nec inter præcipua Charismata Apostoli recensebant, & sine charitate parvi esse docebant, neque putabant illas omnibus ad salutem perutiles esse, quod manifestum efficitur ex Epist: I. ad Corinth: Cap: 12. 13. & 14. Non ergo cum tanta sollicitudine ad Samaritanos currebant Petrus & Joannes ut illis per manuum impositionem dona miraculorum, ac lingvarum impertirentur, sed ut illis plenitudinem Spiritus Sancti elargirentur. Præterea, non omnes, quibus Apostoli manus imponebant, gratias gratis datas recipiebant, unde in eadem Epist: I. ad Corinth: Cap: 12. dicebat Paulus: *Numquid omnes gratiam curationum habent? numquid omnes lingvis loqvuntur?* His accedit, quod cessantibus illis extraordinariis donis, adhuc per manuum impositionem conferebatur Spiritus Sanctus, quemadmodum testantur omnes Ss. Patres Græci pariter & Latini. Hinc evidentissimum est, per Apostolicam manuum impositionem, non solas gratias gratis datas collatas fuisse.

Verum quidem est, Samaritanos per Baptismum jam recepisse Spiritum Sanctum quantum ad remissionem peccatorum, gratiam regenerantem, & renovantem, nondum autem acceperunt Spiritum corroborantem, gratiam scilicet ipsius ad robur animæ, ut scilicet fidem Christi intrepide profiterentur, atque in ea stabiles permanerent. Certe idem quidem fuit Spiritus Sanctus collatus Samaritanis

ritanis, ac ille, qui in die Pentecostes datus fuit Apostolis, sed non iidem effectus & dona, quia ut docet Paulus 1. ad Corinth: cap: 12. *omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*, & quemadmodum Apostoli licetsi sanctificati, justificati, ac mundi omnes, præter dona miraculorum, lingvarum, receperunt Spiritum Sanctum ad animæ robur, ut Christi testes ubique essent, prout Christus illis appromiserat Actorum cap: 1. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes usque ad ultimum terræ*, ita quoque Samaritani in Baptismo gratia Spiritus sanctificati per impositionem manuum Apostolorum, robur ipsius consecuti sunt. Duplex itaque effusi in Apostolos Spiritus Sancti erat effectus. Unus nobilior, & principalior in eo positus, quod à Spiriru Sanoto omnem edocti veritatem, testes Christi intrepidi ubique facti sunt, qua de causa præcepit illis Salvator, Lucæ cap: 24. *Sedete in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*, atque hunc effectum Spiritus Apostolis dati, confitetur Petrus Actorum cap: 5. post redditam siquidem in Concilio Judæorum suæ prædicationis rationem, sic concludit sermonem: *Nos sumus Testes horum verborum, & Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.* Alter inferior, atque secundarius, qui in donis miraculorum, prophetiæ, ac lingvarum consistebat, atque hunc Joelis Prophetia respiciebat. In utroque autem effectu impletæ sunt prædictiones ac prophetiæ. In primo quidem cum toties Christus prædixerit Apostolis suis, quia baptisari debebant Spiritu Sancto, quo certe baptismo aliud intelligi nequit, nisi infusio internarum Spiritus Sancti gratiarum. In secundo vero, Joelis Prophetia, in lingvis, signis, ac prophetiis. Cum itaque illapsus Spiritus Sancti in Apostolis, qui die Pentecostes contingerat, omnesque Christi promissiones de hoc suis Discipulis factæ, gratiam confirmationis, & præfigurabant, & prænunciabant, iidem effectus Confirmationis erant, qui & illapsus Spiritus Sancti in Apostolos effusi, scilicet nobilior ac primarius, collatio gratiæ interioris, ad robur in fide, ad resistendum Diabolo, mundi ac carnis tentationibus, alter posterior & ignobilior, concessio gratiarum, quæ gratis datæ dicuntur, unde fideles etiam per manus Apostolorum impositionem, accepto Spiritu Sancto, prophetabant, & variis loquebantur lingvis, quemadmodum de Ephesiis scriptum est Actorum cap: 19. *Cum im-*

po

posuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur lingvis, & prophetabant. Et hic quidem effectus, visibilis, ac palpabilis, quamdiu opus erat, ad dilatandam, atque corroborandam Christi doctrinam, tamdiu perduravit, unde ex Patribus, atque Ecclesiasticis Scriptoribus discimus, dona lingvarum, Prophetiæ, atque miraculorum, post Apostolos perdurasse, primo præsertim, ac secundo sæculo. His vero donis cessantibus primarius, ac nobilior Confirmationis effectus semper permansit, atque hucusque permanet, quare omnium sæculorum Patres, Concilia, Scriptoresque Ecclesiastici docent, per manuum impositionem, atque Chrismatis unctionem Spiritum Sanctum dari, infundi, gratiam Spiritus Sancti conferri, qua baptisati illuminantur, sanctificantur, consummantur. Unde S. Augustinus libro 3. de Baptismo cap: 16. sic inquit. *Neque temporalibus, & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus Sanctus, sicut ante dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repente incipiant lingvis loqui? sed invisibiliter, & latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari.*

Ad 2dum: Equidem Apostoli ægrotis manus imposuerunt, & hæc manuum impositio Sacramentalis non erat, quia unice ad corporis sanitatem restituendam ordinabatur, atque istiusmodi donum, ut per manus impositionem ægroti sanarentur, omnibus in se credentibus appromisit Christus. Marci cap: 16. *super ægros manus imponent, & bene habebunt* Jam vero illa manuum impositio, quæ à Petro & Joanne Apostolis, facta est Samaritanis. Sacramentalis erat, quoniam per illam non ipsa tantum, miraculorum, lingvarumque collata sunt dona, sed & Spiritus Sanctus datus est, ipsiusque gratiæ interiores elargitæ.

Ad 3tium: Jlla, quæ Confirmationi attribuuntur, virtuti, ac efficaciæ Baptismi minime derogant. Namque & & per Baptismum accipimus Spiritus Sancti gratiam regenerantem, renovantem, per Confirmationem vero gratiam Spiritus Sancti corroborantem in fide, contra nequitias Diaboli communientem, atque per Baptismum efficimur sicut modo geniti infantes, quemadmodum docet S. Petrus Epist: 1. cap: 2. per Confirmationem autem.

tem, ad spiritualem adultam pervenimus ætatem, perficimur, consummamur, ut docent SS. Patres.

Verum est, apud Græcos, & Orientales post Baptismum statim Confirmationem dari, inde tamen minime sequitur, illos Confirmationem veluti Baptismi cæremoniam reputare, quia, peracto Baptismate, & extra Baptisterium, cum seorsivis ritibus, ac præcibus confertur. Sed Eucharistiam Græci, ac Orientales post Baptismum conferre solent, attamen Eucharistiam, distinctum à Baptismate credunt esse Sacramentum. Et quamquam in Ecclesia quoque Latina, olim adultis Confirmatio post Baptismum illico conferebatur, semper tamen ut diversum à Baptismate Sacramentum reputabatur, nunquam vero Baptismo adiacens ritus esse censebatur, puræ namque Baptismi cæremoniæ ij effectus inesse nequeunt, qui Confirmationi attribuuntur, & Patres Baptismum, & Confirmationem non unum, sed duo distincta docent esse Sacramenta. Sic Sanctus Cyprianus Epist: 72. ad Stephanum de Baptismo, & manuum impositione loquens, inquit: *Tunc demum plane sanctificari, & esse filii Dei possumus, si utroque Sacramento nascantur*, quia scilicet per Baptismum nostra regeneratio, ac renovatio incipit, per Confirmationem completur. Isidorus etiam libro 1. de officiis, ait: *Sunt autem Sacramenta, Baptismus, & Chrisma, Corpus & Sangvis Christi*, atque utrique suam tribuit virtutem, ac efficaciam. *Sicut in Baptismo remissio peccatorum datur, ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur.* Non ergo Confirmatio, cæremonia Baptismi est, sed omnino distinctum ab ipso Sacramentum.

ARTICULUS 2dus

De necessitate, & effectibus Sacramenti Confirmationis.

Quæres 1mo: Sacramentum Confirmationis estne ad salutem omnino necessarium?

Resp: Sacramentum Confirmationis non est ad salutem necessarium necessitate medii. Cuilibet namque persvasum est, tolli per Baptismum totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, quemadmodum definierunt Patres Concilii Trident: Sess: 5. nihilque in iis remanet damnationis. Quo fit ut parvuli, non accepto Confirmationis Sacramento, post mortem ad patriam cæle-

lestem evolent. Quod etiam Patres Concilii Eliberitani affirmarunt, Can: 77. *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Præsbytero aliquos baptisavit, eos Episcopus per benedictionem perficere debet. Quodsi autem de sæculo recesserit sub fide qua quis crediderit, poterit esse justus.* Unde etiam Adulti si hoc nequiverint obtinere Sacramentum, salutem consequi possunt.

Quæres 2do: Utrum extet aliquod præceptum, quatenus Sacramentum Confirmationis recipiatur?

Resp: De recipiendo Confirmationis Sacramento, extat Divinum, & Ecclesiasticum præceptum. Et quidem *1mo*: Divinum. Extat namque divinum in Sacris litteris expressum mandatum, ut Dæmonis resistamus insidiis, fortesque in fide permaneamus. Siquidem 1. Petri Cap: 5. dicitur: *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Præcipitur etiam nobis, ut media in hunc finem instituta, assumamus, iisque utamur, quando quidem ad Ephes: cap: 6, scriptum legimus: *Induite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Certum autem est, nos per Confirmationis Sacramentum armari, roborari, proindeque adest Divinum præceptum de hoc recipiendo Sacramento. Et vero Actorum cap: 1. legimus, quod Christus Salvator Apostolis suis *præcipit ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis inquit per os meum.* Quæ autem sit hæc promissio statim exponitur. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos.* Quamobrem si Apostoli viri Sanctissimi, ex Christi præcepto, Spiritus Sancti donis debebant exornari, quanto magis id est de reliquis Christianis affirmandum, in quibus tantus fervor non est, tantaque virtus, quanta in illis fuit. Præterea si nullum de hoc Sacramento percipiendo præceptum constituisset Christus, opus non fuisset, ut Petrus, & Joannes ad Samaritanos iam baptisatos consensu communi mitterentur, quatenus eis traderent Spiritum Sanctum, non erat, cur tam anxie inquireret ab Ephesiis Paulus utrum accepissent Spiritum Sanctum, quam ipsis rite baptisatis, manus imponendo, contulit. Nemo itaque ambigere potest, extare divinum Christi præceptum de recipiendo sacro Confirmationis Sacramento. 2do: Quantum vero attinet præceptum Ecclesiæ, & hoc fideles ad ræcipiendum Confirmationis Sacramentum, obstringi indubitatum est, quod ex multis Conciliis manifestum efficitur. Concilium

Elli-

Elliberitanum Can: 38. instituens sermonem de eo, qui urgente periculo â laico baptisatus est, sic statuit: *Si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici pofsit.* Concilium Laodicenum Can: 48. hœc habet. *Oportet eos, qui illuminantur, post baptismum inungi supercœlesti chrismate.* Quam plurima etiam Concilia graves pœnas in illos Parentes constituunt, qui, cum pofsunt, non curant suos liberos confirmare.

Quœres 3tio: Qui sunt effectus Confirmationis?

Resp: Primarius Sacramenti Confirmationis effectus est, interior gratia, quæ illud suscipientibus confertur. Et hæc gratia est ad robur & munimen animæ adversus visibiles, & invisibiles fidei, pietatisque hostes, ut contemptis mundi terroribus, ac illecebris, Christi fidem non ore tantum, sed etiam operibus bonis profiteri valeamus. Non solum itaque in fide nos ipsa corroborat, sed & adjuvat nos adversus spirituales nequitias, frangit rebelllis concupiscentiæ impetus, facitque ut pie in Christo Jesu vivamus. Certe gratiam, quæ nobis per Confirmationis Sacramentum confertur, efse gratiam roboris, ac virtutis, ex Sacris litteris manifestifsime apparet. Enimvero Lucæ cap: 24. mandavit Christus Apostolis suis: *Sedete in Civitate quoadusque induamini virtute ex alto*: & Actor: cap: 1. factam illis promifsionem repetit, ac confirmat dicens: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos.* Porro idem Spiritus Sanctus, qui in signis visibilibus datus est Apostolis, datur etiam nunc invisibiliter per Sacramentum Confirmationis, proinde gratia hujus Sacramenti, est gratia roboris, ac virtutis spiritualis, nostram infirmitatem, imbecillitatemque communientis. Quod & constanti SS. Patrum Traditione comprobatur. Tertullianus ait, hoc Sacramento animam nostram muniri, Cyprianus gratiam huius Sacramenti vocat consummantem; Concilium Elliberitanum grâtiam perficientem, Eucherius Lugdunensis Episcopus Homil: in Pentecost: sic inquit: *In baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo abluimur, post baptismum roboramur.* & S. August: Tract: 33. in Joan: ait: *Ideo Christus nos unxit, quia luctatores contra diabolum fecit, quod similiter ad fortitudinem pertinet.* Unde Eugenius in suo decreto, de Confirmatione hæc habet: *Effectus huius Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecosten, ut videlicet Christianus audacter Christi nomen confiteatur*

fiteatur, ideoque in fronte, ubi vereeundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat.

Quæres 4to: Qualis est istiusmodi gratia, quam nobis confert Sacramentum Confirmationis?

Resp: Est quidem illa, gratia baptismatis uberior, sed non est ipsa nobilior. Est uberior, sicuti enim per accretionem corporalem plus homo acquirit substantiæ corporis, quam per generationem, ita etiam per Sacramentum Confirmationis, quo in gratia augemur, crescimus, ac roboramur, plus Spiritus percipimus, atque uberiorem virtutem consequimur, quam per gratiam Baptismatis, qua regeneramur. Scilicet Baptismus efficit nos modo genitos infantes. Confirmatio vero constituit nos fortes Christi Milites. Uberior igitur est gratia Confirmationis, quam gratia baptismatis. Sed non est illa nobilior, absolute siquidem loquendo, gratia baptismatis nobilior est, gratia Confirmationis, siquidem longe præstantior est effectus hominem regenerare, & renovare, illum Dei filium constituere, hæredem regni cælestis efficere, quam illi Spirituali vita iam exornato, maiorem addere Spiritus vigorem, perfectionem, majusque robur.

Quæres 5to: Confirmationis Sacramentum, imprimitne etiam characterem?

Resp: Per Confirmationis Sacramentum, etiam characterem indelebilem imprimi, unde iterari illud non potest, indubitatum est. Enimvero Paulus Apostolus Epist: ad Hæbr: cap: 6. sic inquit. *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum.* Quo in loco manuum impositionem, qua Confirmationis dedesignatur Sacramentum, sicut & ipsum Baptisma iterari non posse, docet Apostolus. Quamobrem S. Joannes Chrisost: in hunc locum scribens Homil: 9. sic ait: *Non licet enim dicere, si dissolute, & negligenter vixerimus, rursus baptisabimur, catechesi rursus instituemur, accipiemus rursus Spiritum, & si à fide nunc exciderimus, rursus poterimus baptisati peccata abluere, & eadem assequi, quæ prius. Erratis, hoc existimantes.* Quibus diserte S. Doctor affirmat, Baptisma repeti non posse, nec manus impositionem, qua traditur Spiritus Sanctus. Cyrillus etiam Hierosolymitanus de Confirmatione loquens, in fine protocatechesis, inquit: *Det nobis Deus Spiritus Sancti signaculum indelebile in sempiternum.* Cyprianus Epist:

70.

70. Cofirmationem vocat *signaculum*, & Leo magnus Sermone 4. de nativit: *signaculum vitæ æternæ*, nuncupat, ac tandem Theodoretus in Cantica scribens, dicit esse *sigillum*, *notamque regiam*. Quare Patres quam plurimi docent, Confirmationem non esse iterandam, & multa Concilia statuerunt non posse illam repeti.

Quæres 6to: Utrum Confirmatio in hæresi collata, pro valida reputata fuerit, characteremque impresserit?

Resp: Etsi unanimi consensu doceant Theologi, Sacramentum Confirmationis characterem imprimere, nihilominus num Confirmatio in hæresi collata valida fuerit, characteremque impresserit, non una est eruditorum opinio. Joannes Maldonatus, Sirmondus, Marinus, aliique arbitrantur nullum reputatum fuisse ab Ecclesia, collatum ab hæreticis Confirmationis Sacramentum, atque in iis ad Catholicam veritatem revertentibus fuisse iteratum. At Theologorum pars maior censet, validum fuisse reputatum hoc Sacramentum ab Hæreticis administratum, neque in iis fuisse iteratum, atque hæc opinio unice vera est. Namque Romana Ecclesia omnium Mater & Magistra, iam à tertio sæculo, Hæreticos per solam manuum impositionem in pænitentiam recipiebat. Sic scribit Stephanus in celebri suo decreto: *Si quis à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pænitentiam.* Manus autem impositionem in pænitentiam, Confirmationis non esse Sacramentum, ex ipso Cypriano evincitur, qui Epist: 71. de his Hæreticis, qui in Ecclesia baptisati erant, ac proinde iuxta vetustem morem confirmati fuerunt, cum ad Ecclesiam revertebantur, Sacramentum non esse iterandum fatebatur, quare inquit: *Satis est in pænitentiam manum imponere.* Quod clarius ostendit S. Augustinus libro 3. de Baptismo cap: 11. dicens: *Hoc etiam ipse Cyprianus cum cæteris statuit, ut si ab hæresibus redirent ad Ecclesiam, quicunque fuerant in ea baptisati, non jam per Baptisma, sed per pænitentiam reciperentur.* Innocentius 1. Epist: 24. de Arianis, aliisque Hæreticis inquit: *Eorum laicos conversos ad Dominum, sub imagine pænitentiæ suscipi.* Sed Optatus Milevitanus libro 7. adversus Parmenianum scribit, in Hæreticis dum ad Ecclesiam revertebantur, ab ipsis collatam Confirmationem, non fuisse iteratam. *Numquid nos exterminamus vestrum oleum? & si à vobis aliquis ad nos transitum fecerit, sic à nobis servatur, quomodo à vobis dimittitur. Quomodo dicitis, quia*

nos summus musæ morientes, svavitatem olei corrumpentes. Augustinus quoque libro 2. contra litteras Petiliani cap: 104. Confirmationis non minus, quam Baptismi Sacramentum ab Hæreticis collatum, validum esse afirmat.

Et vero eadem argumenta, quæ probant valere collatum ab Hæreticis Baptisma, militant etiam pro Confirmationis Sacramento, quamobrem si unum validum est existimandum, id etiam de altero censere debemus. Præterea, ut scribit S. Gregorius Magnus libro 11. Epist: 67. in Hæreticis recipiendis varia fuit Ecclesiæ disciplina, alibi namque Chrismatis unctione, veluti in Origiente, aut etiam sola veræ fidei professione, alibi vero quemadmodum in Occidente, ad sinum Matris Ecclesiæ manuum impositione recipiebantur, sola vero Chrismatis unctio, aut ipsa manuum impositio, multo minus veræ fidei professio, non erat Confirmationis Sacramentum.

Objicies. Concilium Arelatense 1mum Canone 8vo decernit, *ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, manus ei imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum.* Similia habet Syricius Papa Epist: 1. & S. Leo Magnus Epist: 37. Ergo in Hæreticis ad Ecclesiam revertentibus, iterabatur Confirmationis Sacramentum.

Resp: Patres Concilii Arelatensis de impositione manuum reconciliatoria loquuntur, quia & Ecclesiæ aggregabantur, & per pænitentiam justificati, Spiritus Sancti participes fiebant; non vero de confirmatoria, quæ non nisi in justis & sanctificatis suos producit effectus, plenitudinem Spiritus Sancti elargiendo. Pari modo intelligendi sunt SS. Syricius Papa, & Leo Magnus. Scilicet Sacramentum Confirmationis ab Hæreticis, & Hæreticis collatum, quamvis validum, & ratum sit, sterile attamen ac infructuosum manet, propter malas suscipientium dispositiones, at ubi sic in hæresi Confirmationis Sacramento insigniti, ad unitatem Ecclesiæ redierint, per manuum impositionem reconciliati, atque per pænitentiam justificati, fructum suscepti Sacramenti percipiunt, atque in iis illud reviviscens incipit operari, Spiritum Sanctum ipsis elargiendo. Et id apertissime docet S. Augustinus libro 1. de Baptismo. Cap: 12. affirmans, neque Baptismum in hæresi acceptum, peccatorum remissionem, ac gratiam sanctificantem posse conferre, neque Confirmationem elargiri Spiritum Sanctum, sed sublato divisionis, seu hæresis obice, Sacramenta iam recepta tum primo in Ecclesiæ pace suum effectum operari, unde inquit: *Cum se correxerit, & ad Ecclesiæ societatem, unita-*

unitatemque venerit, non iterum baptisandus est, quia ipsa reconciliatione, ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus, in unitate iam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in Schismate prodesse non poterat.

Quæres 7mo: Quibus, quando Sacramentum Confirmationis conferri debeat?

Resp: Sacramentum Confirmationis, iis non nisi conferri potest, qui sacro Baptismatis fonte regenerati sunt. Unde ad Samaritanos tunc nonnisi missi sunt Petrus & Joannes, ut per manuum impositionem acciperent Spiritum S, cum jam audissent, illos verbum Dei recipisse, & a Philippo baptissatos fuisse, & Paulus primo jussit Ephesios baptisari, & deinde ipsis manus imposuit, ut Spiritum Sanctum reciperent.

Antiqua Ecclesiæ consvetudine, illico post Baptismum Sacramentum Confirmationis administrabatur, quod non tantum ex antiquis Patrum testimoniis coligitur, verum etiam ex veteri Romano Ordine, & ex Sacramentario Gregoriano. Huncque morem Græci, & Orientales adhuc retinent. Verum in Ecclesia Latina, a multo iam tempore praxis viget, hoc Sacramentum ante rationis usum non conferendi. Cum enim medii necessitate hoc Sacramentum non sit necessarium, & ante rationis usum, ad Spiritualem pugnam infans nondum idoneus sit, hinc nec armari eo tempore spiritualibus armis indiget.

CAPUT QUARTUM

De materia, forma, atque Ministro Sacramenti Confirmationis.

ARTICULUS 1mus

Quæres 1mo: Quæ sunt Theologorum opiniones circa materiam Sacramenti Confirmationis?

Resp: Heterodoxi, quoniam Sacramentum Confirmationis aspernantur, ideo ea, quæ Catholici Theologi pro materia hujus Sacramenti statuunt, irrident, ac nihili faciunt. Calvinus manuum impositionem, vacuum, ac frigidum

gidum signum appellat, magisque adhuc in sacrum Chrisma debachatur, quod & Lutheri afseclæ faciunt.

Catholici Theologi, etsi omnes aliquam à Christo Domino pro Sacramento Confirmationis institutam fuifse materiam, fateantur, in illa attamen determinanda multum discrepant. Alii siquidem materiam Confirmationis in sola manuum impositione reponunt, alii in sola Chrismatis inunctione illam constituunt, alii denique in utroque, manuum scilicet impositione, & Chrismatis inunctione ipsam collocant.

Quæres 2do: In quo ergo constituenda est Sacramenti Confirmationis materia?

Resp: Materia Sacramenti Confirmationis consistit in manuum impositione, & Chrismatis inunctione. Enim vero, in eo collocanda est Sacramenti Confirmationis materia, quod vi institutionis Divinæ, Spiritum Sanctum nobis elargitur. Porro per manuum impositionem, ac Chrismatis inunctionem Spiritum Sanctum nobis conferri, atque gratiam, quæ animam perficiat, muniat, corroboret, elargiri, SS. Patrum consensus, & omnium Ecclesiarum fides docet. In his ergo constituenda est hujus Sacramenti materia. Quamvis enim SS. Patres, prout instituti ratio postulabat, modo de manus impositione, modo de Chrismatis inunctione verba facerent, attamen & manuum impositioni, & Chrismatis unctioni eandem efficaciam afserebant, eundem effectum, largitionem scilicet Spiritus Sancti, attribuebant, ex quo necefsario consequitur, utrumque in Confirmationis Sacramento efse conjungendum, & reipsa Tertullianus, S. Cyprianus, & Augustinus de utroque loquuntur, pariter Optatus Milevitanus, Gregorius Magnus, Innocentius I. aliique quam plurimi, tam per manuum impositionem, quam per Chrismatis inunctionem Spiritum Sanctum dari, ipsius gratiam conferri, ipso Spiritu Sancto animam fanctificari, docent, utrumque igitur materiam Sacramenti Confirmationis constituit.

Objicies 1mo: Græci in Confirmationis Sacramento conferendo, nullam adhibent manuum impositionem, quare de illa nihil habent Cyrillus Hierosolymitanus, Auctor librorum de Hierarchia Ecclesiastica, pariter de illa in libris eorum Euchologicis nulla mentio. Attamen verum ipsi habent Confirmationis Sacramentum. Sed & in Pontificali Romano, extensio folum manuum versus confirmandos præscribitur, non impositio. *2do:* Apostoli Actorum

rum cap: 8. ubi Samaritanis Sacramentum Confirmationis contulisse leguntur, sola manuum impositione usi sunt. Ergo aut sola manuum impositio, aut sola Chrismatis unctio, est materia hujus Sacramenti, non vero utrumque simul.

Resp: ad 1mum: Ex Patribus Græcis, alii docent per manuum impositionem, quæ fit recens baptisatis, dari Spiritum, quemadmodum Firmilianus Epistola ad S. Cyprianum. S. Joannes Chrisostomus Homilia 28. in Acta Apostolorum, ubi narrat, suo tempore solos Episcopos Spiritum Sanctum elargiri, qui per manuum impositionem ab Apostolis dabatur. Alii vero per Chrismatis inunctionem id fieri affirmant. Quemadmodum vero illi, qui solam commemorant manuum impositionem, non excludunt Chrismatis inunctionem, ita pariter affirmandum est, Patres, qui de solo Chrismate loquantur, manuum impositionem, haud exclusisse. Libri quoque Græcorum Euchologici non pauci, manuum impositionem in Confirmatione præscriptam habent, atque ad invocandum Spiritum Sanctum, ut super recens baptisatos descendat, oratio in ipsis adinvenitur, quam cum manuum impositione conjungi consvetum erat. Tandem præclarissimi Græcorum Scriptores omnium sæculorum, ad 12. usque, & 13. sæculum, impositionis manuum in Confirmatione meminerunt. Ex quo consequitur semper illam apud Græcos usurpatam fuisse. Manuum etiam extensio versus confirmandos, jure dici potest impositio, quare quod in Sacramentario Gregorii M. præscribitur, *elevare manum*, in antiquo Ordine Romano habeatur, *elevare, & imponere manum*, unde ut manus imponi censeatur, physico non est opus contactu, sed tantum morali.

Ad 2dum: Non omnia, quæ ab Apostolis gesta sunt, in actis Apostolicis enarrantur, quare si ibi unctio non recensetur, haud tamen excluditur. Sane Apostolos Chrismate usos fuisse, inde evincitur, quod antiqui Patres quam plurimi doceant, Chrismatis inunctione Spiritus Sancti gratiam conferri, quod nunquam affirmassent, si ab Apostolorum traditione id non fuissent edocti. Unde Basilius libro de Spiritu Sancto cap: 27. inquit: *Benedicimus autem & aquam Baptismatis, & oleum unctionis, ex quibus scriptis? Nonne à tacita, secretaque traditione. Ipsam vero olei inunctionem, quis sermo proditus scripto docuit! Nonne ex doctrina quam Patres nostri silentio quieto, minime curioso servaverunt.* Ex quibus S. Doctoris verbis

bis apparet, quod etsi in Sacris litteris non appareat præcepta Chrismatis unctio, hæc tamen ex Apostolica traditione descendit.

Quœres 3tio: Quœnam manuum impositio in Confirmatione usurpari solita, erit huius Sacramenti materia?

Resp: Theologi Catholici duplicem in administrando Confirmationis Sacramento occurrere arbitrantur manuum impositionem, unam, quæ Chrismatis unctionem antecedit, & adjunctam habet orationem, qua Spiritus Sanctus invocatur, altera quæ Chrismatis unctioni conjuncta est, cum scilicet Episcopus pollice frontem consignat, atque hoc pacto manum capiti imponere censetur. Primam manuum impositionem oculis subiectam eſse, indubitatum est. Et de hac communiter loquuntur Concilia, ac SS. Patres, Scriptoresque Ecclesiastici, illam à Chrismatis unctione secernentes, per ipsam Spiritum Sanctum dari affirmant, atque hanc semper in utraque Ecclesia tam Latina, quam Græca usque ad hæc tempora usurpatam, & præscriptam fuiſse, planum & apertum est. Certe etiamnum extant tria Euchologia, quorum duo 900. sunt annorum, tertium 600. annis antiquius, in quibus, ubi sermo est, de administranda Hæreticis ad Ecclesiam revertentibus Confirmatione, diserte præcipitur impositio manuum ante Chrismatis unctionem, & licet in recentioribus Euchologiis hæc manuum impositio præscripta non inveniatur, attamen Græci, nunc etiam ex antiquiſsima consvetudine, in oratione, quæ Chrismatis unctionem præcedit, manuum impositionem adhibent. Manifestius autem apparet hanc manuum impositionem in Ecclesia Latina præscriptam, atque semper usurpatam fuiſse. Siquidem Sacramentarium Gregorii Magni, ordo Romanus sæculi 8vi, & libri de divinis officiis sæculi 9ni, manuum impositionem, a Chrismatis unctione separatim præcipiunt. Ac tandem in libris Pontificalibus hodiernis, hæc separata manuum impositio cum oratione invocationis Spiritus Sancti expreſsa habetur. Concilium quoque Hispalense anno 619. celebratum hæc habet: *Nec licet Præsbyteris per impositionem manus, fidelibus baptisatis paracletum Spiritum tradere, nec Chrismate frontem baptisati signare.* Concilium etiam Vormatiense anno 868. coactum, manuum impositionem à Chrismatis unctione discernit.

Sed & illam digitorum manus extensionem, quæ Chrismatis unctioni semper annexa est, Scriptores tum Latini, tum Græci manuum impositionem vocant, atque in illa con-

Confirmationis Sacramentum reponere videntur. Sic Michael Paleologus Græcorum Imperator, in Epist: ad Gregorium X. scribit. *Sacramentum Confirmationis per manus impositionem Episcopi conferunt, Chrismando renatos.* Symeon Thessal: in libro de 7. Sacramentis inquit. *Manus impositio unguentum præbebat.* Auctor Constit: Apostol: longe antiquior lib: 3. cap: 15. hæc habet. *Verum dumtaxat in manus impositione caput ipsius unget Episcopus.* Sæculi quoque 8vi, & noni plures Latini Scriptores, in ipsa unctione manus impositionem constituere videntur. Venerabilis Beda in Psal: 36. ait: *Illa unctio, quæ per manus impositionem ab Episcopis fit, & vulgo confirmatio dicitur.* Similia habet Rabanus Maurus, Amalarius, Ratbramus, Jvo Carnotensis, & alii.

Ex his manifestissime apparet, in Confirmationis Sacramento, semper quidem cum invocatione Spiritus Sancti manuum impositionem usurpatam fuisse, sed modo separatam á Chrismatis inunctione, modo illam quæ in ipsa est unctione. Quia scilicet Christus, quemadmodum pro materia Baptismi ablutionem præsignavit, non determinando modum quo ipsa fieret, sive immersione, sive aspersione, sive aquæ infusione, ita pariter pro materia Sacramenti Confirmationis manuum impositionem constituit, quomodo autem ipsa fieret, sive separatim, sive conjunctim cum Chrismatis unctione, non determinavit, ac proinde sive hæc, sive illa, est hujus Sacramenti materia necessaria. Qua in re cum nihil ab Ecclesia definitum sit, in conferendo Confirmationis Sacramento, utramque manuum impositionem omnino necesse est adhibere.

Quæres 4to: Chrisma, quod est Confirmationis materia, ex quo confici debeat?

Resp: Chrisma, quod est Sacramenti Confirmationis materia, ex oleo olivarum esse omnino debet, Oleum siquidem olivarum, unum est, quod proprie & simpliciter olei nomine donari potest, hacque semper Ecclesia usa est in Confirmationis Sacramento conferendo.

Prædicto autem oleo olivarum balsamum addi debet, quod patet ex universali Ecclesiæ praxi perantiqua. Namque labente sæculo 6to sic scripsit Gregorius Magnus in caput 1. Canticorum. *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quo dona Spiritus Sancti exprimuntur.* Ordo quoque Romanus oleum cum balsamo misceri præcipit. Unde & Eugeni-

genius 4. in suo Decreto pro Armenis edito, de Sacramento Confirmationis verba faciens, inquit: *Materia est Chrisma, confectum ex oleo & balsamo.*

Sed an prædicta balsami admixtio, sit de necessitate Sacramenti, incertum omnino est, quia & nulla hac de re facta est ab Ecclesia definitio, & diversæ sunt de hoc Theologorum opiniones, verum satis probabilis est illorum sententia, qui putant ex Christi institutione hanc admixtionem balsami fieri, & ad valorem Sacramenti Confirmationis esse necessariam. Enimvero Scriptores Græci & Latini, pro materia Sacramenti Confirmationis Chrisma statuunt, hoc autem semper ex oleo olivarum, & balsamo conficiebatur, quare, qui de Confirmatione tractârunt, maxime ex Græcis, oleum à Chrismate secernunt; & in illorum Euchologiis aliud oleum est, aliud myron, quo in Confirmationis utuntur Sacramento. Antiqui etiam non minus quam recentiores Latinorum libri rituales, ad Confirmationis Sacramentum Chrisma ex oleo & balsamo confectum præscribunt, ac tandem Patres Concilii Tridentini Sess: 7ma de Confirmatione Can: 2do sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam attribuunt.

Quæres 5to: Chrismatis consecratio estne antiqua?

Resp: Chrismatis consecratio est antiquissima, & ex Apostolica Traditione descendit. Namque S. Cyprianus Epist: 70. de olei Sanctificatione sermonem instituit. S. Basilius in libro de Spiritu Sancto, hujus institutionis originem ab Apostolis repetit. De Chrismatis consecratione verba facit S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech: 3tia, eamque panis Eucharistici consecrationi comparat. De oleo consecrato loquitur S. Augustinus libro 5. contra Donatistas cap: 20. Ex omnibus tandem Græcorum Euchologiis, & Latinorum ritualibus, ac Pontificalibus libris manifestum efficitur, Chrisma consecrari.

Porro hanc Chrismatis consecrationem ad solos Episcopos pertinere, Græca & Latina Ecclesia consensu communi tenet, atque id expresse docet Innocentius I. Epist: ad Decentium, & S. Leo Epist: ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ. Num vero hæc Chrismatis consecratio ad constituendum Confirmationis Sacramentum necessaria sit, dissentiunt inter se catholici Theologi, & res omnino incerta est.

Quæres 6to: Hæc Chrismatis inunctio, debetne fieri in fronte, & in modum crucis?

Resp. Unctio Chrismatis debet fieri in fronte, idque in modum crucis. Id vero constat ex SS. Patribus, qui aperte docent unctionem in fronte fieri debere. Sic S. Cyrillus Catech: 3. *Fronti illinitur Chrisma.* Innocentius I. Epist ad Decentium ait: *Præsbyteris Chrismate baptisatos ungere licet, non tamen frontem ex eodem oleo signare.* Idem tradunt Concilia. Hispalense secundum, anno 619. habitum hæc habet: *Præsbyteris nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptisatorum frontem signare licet.* Hanc vero frontis inunctionem in modum crucis fieri debere, pariter constat ex Patribus, apud quos, ex perantiqua Ecclesiæ praxi, signare idem est, ac ungere in modum crucis. His suffragantur omnia Græcorum Euchologia, & Latinorum Ritualia, Pontificalia, quæ frontem in modum Crucis inungere præscribunt.

Quæres 7mo: Quæ sit forma Sacramenti Confirmationis?

Resp: Forma adæquata Sacramenti Confirmationis est oratio, quæ manuum impositioni respondet, & verba, quæ Chrismatis adjunguntur inunctioni. Enimvero Actorum Cap: 8. Apostoli manus Samaritanis imponentes, orabant ut acciperent Spiritum Sanctum. Tertullianus libro de Baptismo Cap: 8. inquit: *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum.* S. Cyprianus Epist: 73. morem Ecclesiæ esse scribit, *ut qui in Ecclesia baptisantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, Spiritum Sanctum consequantur.* Et S. Ambrosius de Sacramentis libro 3. Cap: 2. ait: *Post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis, Spiritus Sanctus infunditur.* Unde S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos approbat, *hanc esse Ecclesiarum consvetudinem, ut Episcopus ad invocationem Spiritus Sancti manus impositurus excurrat.* Ex quibus Scripturæ & Patrum testimoniis, manifeste evincitur, manuum impositionem suam habuisse constitutam, & annexam orationem, & hæc oratio partialis Sacramenti Confirmationis est forma. Certe oratio, ac invocatio Spiritus Sancti, manuum impositioni addita, reperitur in antiquissimis libris ritualibus, qui sensum, mentemque Ecclesiæ exprimunt. Reperitur namque in Sacramentario Gregorii Magni, & in antiquo Ordine Romano, in duobus Gelasii Sacramentariis, qui nongentorum annorum superant ætatem, ac tandem in hodiernis Græcis & Latinis Ritualibus, Euchologiis, Pontificalibus, ipsam extare videmus.

Ex

Ex quo omnino consequens est, ipsam Sacramenti Confirmationis formam constituere.

Jam vero quod attinet verba, quæ Chrismatis inunctioni adjunguntur: Græci quidem frontem baptisati inungentes dicunt: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, in quibus verbis juxta hujus lingvæ genium subauditur: *Tibi datur.* Et hæc mox allata verba ad Sacramenti Confirmationis formam pertinere, Græcorum antiqua, & recentia Euchologia tradunt. Verba autem Latinorum hæc sunt: *Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quæ quidem licet quoad sonum, in antiquis Ritualibus, variis modis exprimuntur, sensum eundem semper retinent. Sic in pervetusto Sacramentario Tolosano legitur: *Signat te Deus sigillo fidei suæ, in consignatione fidei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, in aliis vero sic habetur: *Confirmo te, & signo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In Sacramentario Gelasii, & in quibusdam aliis: *Signum Christi in vitam æternam*, vel etiam: *Signum crucis in vitam æternam*, ac tandem in Pontificali 8vi sæculi: *Accipe signum Sanctæ Crucis, Chrismate salutis in Christo Jesu, in vitam æternam.* Quæ quidem formulæ, & aliæ plures, etsi quantum ad verborum sonum inter se discrepantes sint, in re tamen & sensu secum conveniunt, constituuntque Confirmationis Sacramenti formam partialem. Et hoc etiam exinde vel maxime confirmatur, quia Concilium Tridentinum Sefs: 7. de Confirmatione Can: 2. statuerat: *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam attribuunt, anathema sit.* Si ergo inest aliqua virtus unctioni Chrismatis, illam habet præcipue ratione verborum quæ ipsi adjunguntur, quemadmodum igitur Chrismatis inunctio est partialis Sacramenti Confirmationis materia, ita pariter & verba illi annexa, partialem ejusdem Sacramenti constituunt formam.

Objicies amo: SS. Patres licetsi de impositione manuum in Confirmatione facienda loquantur, orationem nullam offerunt, & Ritualia nonnulla antiqua illam non habent. Pariter priscis temporibus altum est silentium de forma illa: *Signo te signo Crucis*: vel alia simili, ante sæculum 8vum non fuit in usu, atque in ipso Sacramentario Gregorii Magni; post impositionem manuum, & orationem, præscribitur inunctio frontis in modum crucis, nulla

nulla assignata forma. *2do*: Manuum impositio, cum sua oratione multum distat ab inunctione frontis cum verbis ipsi annexis. Nec itaque manuum impositio cum Chrismatis inunctione totalem Confirmationis materiam, nec oratio impositioni manuum annexa, cum verbis inunctionis, totalem hujus Sacramenti formam constituere possunt.

Resp: ad 1mum. Ss. Patres cum de manuum impositione, quæ fit in Confirmatione, loqvuntur, simul docent per ipsam Spiritum Sanctum dari invocando, invitando, quæ orationem designant, alii expresse orationem commemorant. Quod vero orationem illam, quæ communiter usurpari solebat, integram non descripserint, aut etiam quod nonnulla antiqua Ritualia ipsam prætermiserint, inde minime sequitur illam non fuisse adhibitam, cum tot extent antiquissima Græcorum Euchologia, Latinorum Ritualia, quæ ipsam descriptam habent, & quæ hucusque per tot sæcula in Ecclesia usurpatur.

Quod vero attinet formam unctioni annexam. Certum est, ante 8vum Ecclesiæ sæculum, verba quædam, dum frons baptisati inungebatur, adhibita fuisse, quæ formam constituebant, & id aperte constat ex Innocentio I. qui anno 401. Summus Pontifex creatus fuit, ille siquidem Epistola ad Decentium Episcopum, commemorata unctione in Confirmationis Sacramento facienda, sic inquit: *Verba autem dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Igitur jam tunc sub certa verborum forma, unctio perficiebatur, ac proinde etiam superioribus sæculis usurpata fuerunt, licetsi sancti Patres, qui de unctione confirmatoria locuti, istiusmodi verba, propter eandem rationem, quæ Innocentium I. ad illa silentio præmenda adduxerunt, ne scilicet magis prodere, quam ad consultationem respondere videretur, ipsa non descripserint, sed antiquissima Græcorum Euchologia, Latinorum Ritualia, quorum nonnulla 800. 900. & amplius annorum ætatem superant, expressa habent. Certe Ordo Romanus sæculi 8vi, tamquam in Ecclesia usitatam, ac proinde non recenter compositam in unctione adhibendam hanc præscribit formam: *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In Sacramentario etiam Gregorii Magni, qui exeunte sæculo sexto scripsit, in oratione unctionem præcedente hæc habentur. *Consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam*, quæ insinuant Episcopo confirmanti, verba quibus

bus inungere confirmandos debuerat. Sed & ibidem jubentur Diaconi, Confirmandorum nomina sigillatim exquirere, non alia certe de causa, nisi quod nomen hoc pronuntiaturus erat Episcopus cum verbis in unctione adhibendis. Tandem indubitatum est, tam in Ecclesia Græca, quam in Latina, Confirmationis Sacramentum per manuum impositionem, & Chrismatis unctionem collatum fuiſse, cumque manuum impositio in utraque Ecclesia formam semper adjunctam habuerit, etiam illam & Chrismatis unctio. Græcam unctionis formam jam Concilium Constantinopolitanum I. anno 380. celebratum commemoravit, omnia autem Sacramentaria, Pontificalia, Ritualia, Ordinesque Romani, Latinam unctionis formam describunt, de illis ergo, quod ex Apostolica descendant Traditione, dubitari nequit.

Ad 2dum: Confirmationis Sacramentum, una continua, nec interrupta actione perficitur, ac proinde omnia, quæ in Confirmatione peraguntur, moraliter secum uniuntur, manuum ergo impositio cum sua oratione, atque Chrismatis inunctio, cum sua forma, unum quidpiam moraliter constituunt, & hæc moralis unitas ſufficit ad unum constituendum Sacramentum, Neque etiam Physice inunctio Chrismatis cum sua forma, à manuum impositione cum ipsius oratione, multum distat, cumque nulla alia extranea sejungantur actione, merito unam moraliter constituunt actionem.

Quæres 8vo: Quid de Confirmationis Ministro sentiendum sit?

Resp: Photius, qui Ecclesiam Græcam à Latina separavit, Præsbyteros non minus quam Episcopos Sacramenti Confirmationis Ministros eſse affirmavit. Waldenses etiam, Wicleffus, Joannes Hus, summopere hoc improbabant, quod soli Episcopi Confirmationis Sacramentum conferrent, unde Concilium Constantiense hanc Wicleffi proscripsit propositionem. *Confirmatio juvenum, reservatur Papæ, & Episcopis, propter cupiditatem lucri temporalis.* Lutherus, Calvinus, eorumque sectatores, præterquam quod Confirmationis Sacramentum contemnant, id etiam in Ecclesia Romana reprobant, quod ritum hunc, Episcoporum proprium eſse velit. Catholici Theologi Ministrum Confirmationis alium ordinarium, alium extraordinarium statuentes, communi consensu Sacramenti Confirmationis Ministrum ordinarium, solos Episcopos eſse docent, atque istud à Concilio Tridentino Seſs: 7ma de Con firma-

firmatione Can: 3. definitum est, his verbis: *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum, non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Verum utrum simplex Sacerdos ex delegatione, ac proinde extraordinarius posſit eſse Confirmationis Minister, disputant inter se, alii affirmant, alii negant.

Quæres 9no: Quibus argumentis evincitur, solos Episcopos eſse ordinarios Confirmationis Ministros?

Resp: Id probatur ex Scripturis sacris, & ex Traditione. *1mo:* Quidem sacræ Scripturæ testantur Actor: Cap: 8vo: Samaritanis à Philippo baptisatis, fuerunt ad illos miſsi Petrus & Joannes Apostoli, qui impositione manuum, ipsis Spiritum Sanctum contulerunt. Hinc S. Cyprianus Epist: 73. ad Jubajanum, hoc adducto Petri, & Joannis exemplo, ſubdit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptisantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manuum impositionem Spiritum Sanctum consequantur:* quibus in verbis Cyprianus per Præpositos Ecclesiæ, Episcopos intelligit, quia ipsi vere Præpositi sunt Ecclesiæ, positi à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, & continuo seipsum ipsis adjungit, *& per nostram orationem, ac manus impositionem,* quæ ab ipso tamquam Episcopo, & nonnisi ab Episcopis fieri consveverat. Pariter ex Actor: Cap: 19. discimus, Ephesi illis, qui baptisati erant, Paulus, licetsi tunc multi erant Presbyteri, ut patet Actorum Cap: 15. & qui ipsos ex illius juſsu in nomine Domini Jesu baptisarunt, per semetipsum manus imposuit, & accipiebant Spiritum Sanctum. Facti vero hujus vix alia reddi potest ratio, nisi quia munus, imponendi manus ad largiendum Spiritum Sanctum, Apostolorum erat, quod ad Episcopos, qui proprie illorum ſucceſsores ſunt, devolutum est. Quare Chrysostomus Homil: 18. in Acta Apostolor: de manuum impositione, qua dabatur Spiritus Sanctus, scribens, hæc habet: *Hæc Apostolorum erat prærogativa, ideoque & Coriphæos, non alios videmus hoc facere.*

2do: Idem evincitur ex Traditione. Innocentius I. Epist: ad Decentium ait: *Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant.* Idem statuit S. August: libr: 15. de Trinit: Cap: 26. Gregorius Magnus in Sacramentario, Isidorus Hispalensis, Vener: Beda & alii. Unde Concilium Jlliberitanum constituit Can: 77. *Si*

quis

quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel Præsbytero aliquem baptisaverit, Episcopus per benedictionem, seu ut ibidem Can: 38. habetur, *per manus impositionem, perficere debebit*. Concilium Arelatense 3. anno 455: celebratum, in causa Fausti Abbatis Lirinensis, mandat Néophytos à Tarojaliensi Episcopo confirmari. Sed & Hispalense 2. Constantiense, Eugenius 4. in sua instructione pro Armenis, atque generatim omnes Latinorum libri rituales, Episcopum Confirmationis ordinarium Ministrum eſse indigitant, unde S. Pacianus qui sæculo 4to floruit, Confirmationem vocat: *Sacramentum Antistitis*.

Obijcies 1mo: Episcopi non sunt Apostoli, hinc ex facto Apostolorum non licet inferre ad solos Episcopos Confirmationis munus pertinere. Certe Ananias non erat Episcopus, attamen Saulo imposuit manus ut impleretur Spiritu Sancto. *2do:* Confirmatio est perfectio & complementum Baptismi. Si ergo Præsbyteri poſsunt baptisare poſsunt & confirmare. Et vero Presbyteri antiquitus Neophytos semper sacro oleo inungebant, quæ innunctio est partialis Confirmationis materia.

Resp: ad 1mum. Episcopi non sunt Apostoli; sed sunt veri Apostolorum Succeſsores, quemadmodum tota antiquitas tenuit. Præsbyteri vero nonnisi in locum septuaginta duorum discipulorum succedunt. Sicuti ergo Apostoli in multis præcellebant ſeptuaginta discipulos, ita etiam Episcopi Præsbyteros, & inter alia in ipsis administrandis Sacramentis illis præeminent, quare nec Sacerdotes creare, nec jure ſuo confirmare poſsunt, unde venerabilis Beda in Acta Apost: scribens dicit, Philippum Samaritanis Spiritum Sanctum tradere non potuiſse, quia Apostolus non erat, unde subjungit: *Hoc solis Pontificibus debetur, non autem Præsbyteris*.

Annanias, de cujus conditione, an fuerit Episcopus, an Præsbyter, an simplex Laicus, nulla est certitudo, Saulo imponens manus, dixit: *Saule frater Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Sancto.* Duplici ergo de causa Ananias venerat ad Saulum, semel ut visum reciperet, & id factum est per impositionem manuum, ut ibidem dicitur: *Vidit virum Ananium nomine introeuntem, & imponentem sibi manus, ut visum recipiat.* Et quidem statim, atque Ananias Saulo imposuit manus: *ceciderunt ab occulis ejus tamquam squamæ, & visum recepit.* Iterum ut impleretur

Spiritu

Spiritu Sancto, & hoc factum est dum baptisatus fuit, postquam enim *visum recepit*, *baptisatus est* & tunc non per manuum impositionem, sed per baptisma, & peccata Saulus abluerat, & Spiritu Sancto repletus est. Quæ omnia magis elucescunt ex Cap: 22. Actor: ubi rem totam prout gesta est ipse enarrat Paulus. Sanitatis itaque gratia, non Confirmationis fine, Ananias Saulo manus imposuit. Certe tunc cum Ananias Saulo manus imposuit, nec dum ipse baptisatus fuit, non ergo per Confirmationis manuum impositionem poterat Spiritum Sanctum recipere, qui hoc modo nonnisi baptisatis datur.

Ad 2dum. Eo ipso, quia Confirmatio est complementum baptismi, & per ipsam baptisatus in accepta per baptismum gratia augetur, perficitur, congruum, ac conveniens erat, ut illa superiori, atque eminentiori, quam sit Præsbyteratus, Ordini reservaretur. Quod vero Præsbyteri baptisare posſunt, inde minime consequitur, ipsos etiam confirmare poſse, alias & Diaconi, & Laici confirmare, saltem in casu neceſsitatis poſsent, ipsi enim dum urget neceſsitas baptisare valent. Diaconos autem vel Laicos confirmare etiam in neceſsitate poſse, nemo dixerit. Igitur quod hæc Sacramenta administrent hi, alia alii Ministri, id totum repetendum est ex voluntate, & institutione Christi, quæ nobis ex Scriptura & Traditione elucescit. Quod autem soli Episcopi constituti sint Ordinarii Confirmationis Ministri, id nobis manifeste Scripturæ insinuant, apertius docet Traditio. Ergo hoc firmiter tenendum, atque credendum est.

Præsbyteri quidem non antiquitus solum sed & nunc Neophytos sacro Chrismate inungunt, sed in vertice capitis, & hæc non est Confirmatoria, sed baptismi cæremonia, ac proinde sicuti solemniter baptisare semper potuerunt Præsbyteri, ita etiam & verticem capitis baptisati linire. At inunctio sacro Chrismate frontis, hæc est Confirmatoria, & hæc semper Præsbyteris prohibebatur, solis reservata Episcopis.

Quæres 2omo: Utrum saltem ex delegatione Præsbyteri poſsint Confirmare?

Resp: Præsbyteri ex delegatione poſsunt Confirmare, ac proinde ipsi ſunt extraordinarii Sacramenti Confirmationis Ministri. Et id constat ex eo vel maxime, quod in Ecclesia Græca & Orientali ex antiquiſsima consvetudine Præsbyteri ex commiſsione sibi facta, hucusque

soleant

soleant confirmare, nec unquam Ecclesia Latina â Præsbyteris Græcis sic datam confirmationem improbaverit. His accedit quod Romana sedes approbaverit Provincialem Ruthenorum Synodum Zamoysciæ anno 1720. habitam, in qua præcipitur, repetendum non eſse Confirmationis Sacramentum à Parochis administratum, potestate scilicet delegata.

Neque etiam pro Latina Ecclesia exempla desunt, ex quibus ostendi potest, Præsbyteros eſse extraordinarios Sacramenti Confirmationis Ministros. Gregorius siquidem Magnus libro 4. Epist: 9. ad Januarium Episcopum Calaritanum, cum nonnullis Præsbyteris jus, quod sibi arrogabant, administrandi hoc Sacramentum, inhibuiſset, nihilominus audiens hanc ob causam obortum fuiſse scandalum, alteram dedit eidem Januario Epistolam quæ est ordine 26. in qua sic inquit: *Nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus, sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Præsbyteri etiam in fronte baptisandos tangere debeant, concedimus.* Ex quibus apparet Gregorium Magnum Præsbyteris in Sardinia degentibus, confirmandi conceſsiſse potestatem. Idem præstitit Franciscanis in Indiis degentibus Hadrianus 4. Joannes etiam 22. Nicolaus 5. Clemens II. & Benedictus 14. nonnullis simplicibus Sacerdotibus hanc contulerunt facultatem. Unde Eugenius 4. in Armenorum instructione, quamvis dixiſset Episcopum solum eſse Sacramenti Confirmationis Ministrum, attamen subdit, *aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc Sacramentum administraſse.*

Obijcies: Potestas Confirmandi quæ competit Episcopis, ratione characteris Episcopalis ipsis convenit, hic autem ipsis solis inest non Præsbyteris. Ergo illi nullatenus, neque ex delegatione confirmare poſsunt.

Resp: Episcopos ratione characteris Episcopalis id habere, quod sint ordinarii Sacramenti Confirmationis Ministri. Præsbyteri etiam ex Sacerdotali charactere habent quamdam aptitudinem inchoatam, atque incompletam ad idem administrandum Sacramentum facultatem, quæ ex delegatione Ecclesiæ, perficitur, completurque, atque sic simplicem Sacerdotem constituit, licet extraordinarium tantum hujus Sacramenti Ministrum. Et inde ſponte ſua

fluit

fluit, Sacerdotem simplicem sine legitima delegatione hoc Sacramentum administrantem, illud non conficere, & nulliter agere.

Quæres xxmo: Quis potest simplici Sacerdoti concedere facultatem confirmandi?

Resp: Non conveniunt catholici Theologi, num Episcopus posſit simplici Sacerdoti concedere potestatem administrandi Confirmationis Sacramentum, alii affirmantem, alii negantem tenent opinionem. Negans vera est, unde Benedictus 14. de Synodo Diæcesana libro 7. prolixe disſerens, utrum Præsbyteri ex delegatione confirmare posſint, hæc habet: *Cæterum, quidquid sit de hac perdifficili, & valde implexa controversia, omnibus inconfeſſo est, irritam nunc fore Confirmationem â simplici Præsbytero Latino ex sola Episcopi delegatione collatam, quia sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit.*

TRACTATUS

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO EUCHARISTIÆ, ET MISSÆ SACRIFICIO.

Eucharistia nihil præstantius, ac magis augustum est, eodem tempore quo Christus pridie mortis suæ ultimam Cænam cum discipulis suis manducando, panem & vinum accepit, gratias agens benedixit, atque in suum corpus, & sangvinem immutavit, non solum hoc præexcellens Sacramentum instituit, sed etiam Sacerdotio secundum ordinem Melchisedech perfungens, novum ordinavit, & perfecit Sacrificium, quare etsi Sacrificium multum discrepet à Sacramento, attamen in Sacratiſsima Eucharistia, & Sacramentum habemus, & verum novæ legis Sacrificium.

CAPUT PRIMUM

De Sacramento Eucharistiæ.

ARTICULUS 1mus

De nomine, re, & institutione Eucharistiæ?

Quæres 1mo: Quibus nominibus Eucharistia designatur?

Resp: Eucharistia ob summam suam dignitatem, virtutemque variis nominibus insignitur. Et quidem 1mo: *gratiarum actio* dicitur, ideo quod Christus gratias agens Patri, hoc Sacramentum instituerit, & fideles illud recipientes, maximam quam possunt, Deo rependunt gratiarum actionem. *2do*: *Sacramentum benedictionis* dicitur, quoniam Christus Eucharistiam instituendo

endo panem benedixit. *3tio*: dicitur *mensa Domini*, quoniam cæleste est convivium, in quo corpore, ac sangvine Christi nutrimur, & pascimur. Hanc autem mensam, Paulus ad Hebræos scribens cap: 13. altare vocat. *4to*: ab eodem Apostolo 1. Corinth: cap: 10. dicitur *fractio panis*, præterea *5to*: *panis supersubstantialis*, *panis vitæ*, *panis Angelorum*, vocitatur, imo etiam *communio*, & *participatio* dicitur, quia, ut explicat S. Damascenus de fide Orthodoxa lib: 4. cap: 13. *per ipsam Divinitatis Jesu Christi participes reddimur*, *communio item appellatur*, *& revera est*, *quia per eam Christo communicamus*, *ac copulamur*. Tandem *6to*: à S. Basilio Epist: ad Amphilochium vocatur, *ipsum bonum*, *ipsum perfectum*, *viaticum*, *sanctum Domini*, *pretium nostrum*, *Sacramentum Sacramentorum*, *gratia vitæ*, & frequenter etiam *corpus*, *& sangvis Domini*, ab antiquis appellatur.

Quæres 2do: *Quid re ipsa sit Eucharistia?*

Resp: Eucharistia re ipsa est Sacramentum, in quo sub panis, vinique speciebus, vere, realiter, ac substantialiter corpus, & sangvis Christi continetur, ad Spiritualem animarum nostrarum refectionem, à Christo institutum. Quia ut fide catholica indubitatum est, in Sacramento Eucharistiæ corpus & sangvis Christi *vere*, *realiter*, & *substantialiter* præsens est. Non est ergo Eucharistia purum signum, aut nonnisi figura corporis, & sangvinis Christi, neque in Eucharistia per solam fidem recipitur Christus, neque tandem per solam energiam, ac virtutem Corpus Christi in hoc Sacramento presens eſse putandum est, quia vere, realiter, ac substantialiter in eo reperitur. Manifestum itaque est, Eucharistiam eſse veri nominis Sacramentum, cum sit à Christo instituta, subiecta sensibus, gratiæ significandæ, & producendæ vim habens.

Quæres 3tio: *Qui negarunt realem præsentiam Corporis*, *& Sangvinis Christi in Sacramento Eucharistiæ?*

Resp: Realem præsentiam Corporis & ſangvinis Christi in Sacramento Eucharistiæ negarunt non pauci, at præceteris Joannes Scotus Erigena, & post ipsum Berengarius. Damnatus is fuit à multis Conciliis, sed & ipse errorem suum ejuravit. Post Berengarium realem in Eucharistia corporis Christi præsentiam negarunt Carlostadius, Zwinglius, ac tandem Calvinus, omnes autem qui realem in Sacramento Eucharistiæ, Corporis Christi præsentiam inficiantur, solamque figuram ipsius in eo reperiri putant, Sacramentarii dicuntur, eosque Concilium

Tri-

Tridentinum damnavit, & anathemate confixit. Sess: 13. de Sacramento Eucharistiæ Can: 1mo: his verbis concepto. *Si quis negaverit, in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter corpus, & sangvinem una cum anima, & Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.*

Quæres 4to. Unde & quomodo evincitur, ac probatur dogma realis præsentiæ corporis, ac sangvinis Christi in Sacramento Eucharistiæ?

Resp: Hoc dogma multìs argumentis evincitur, & veritas ipsius probatur, sed præcipue ex verbis institutionis, ac promissionis, quibus Christus primum se carnem suam ad manducandum, & sangvinem suum ad bibendum daturum promiserat, & deinde in ultima Cæna hoc Sacramentum instituendo, panem in carnem suam, & vinum in sangvinem transmutavit. Sed & idem dogma ex Traditione, nimirum Ss. Patrum authoritate corroboratur.

Quæres 5to: Quomodo ex verbis promissionis realis præsentia corporis, & sangvinis Christi in Sacramento Eucharistiæ probatur?

Resp: Usitatum erat Christo Domino, insigniora opera sua, antequam ea perficeret, prius prænuntiare, ac prædicere. Sic antequam pateretur, sæpe discipulos monuerat, tradendum se gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum. Resurrectionem suam post triduum, iisdem prænuntiavit. Ascensionem quoque suam in Cælum, & Spiritus sancti Missionem prænuntiavit. Antequam magnum Baptismi Sacramentum instituerat, præmonuit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Joan: cap: 3. Et hæc ideo, ut ipse Christus Apostolis suis dicebat, ut citius, & facilius, quæ facturus erat, crederent. *Et nunc dixi vobis prius quam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.* Joan: cap: 14. Pari modo cum instituturus erat augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, atque in eo daturus nobis erat Carnem suam ad manducandum, sangvinem ad bibendum, prius hoc prædixerat, & de eo præmonuerat, ad id credendum Discipulorum animos præparando. Ait itaque Joan: cap: 6to: *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea est*

pro

pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum. Dixit ergo eis Jesus. Amen, amen dico vobis. Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangvinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro mea vere est cibus, & sangvis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangvinem, in me manet & ego in eo. Ex his ergo promissionis â Christo factæ verbis, tale pro reali corporis & sangvinis ipsius in Sacramento Eucharistiæ præsentia, efformatur argumentum.

Promisit Christus se carnem suam & sangvinem daturum esse ad vere, realiter, manducandum, & bibendum, quia *1mo:* caro, & Sangvis à Christo ad manducandum, & bibendum appromissus, verus esse debebat cibus, verus potus. *Caro mea vere est cibus, & sangvis meus, vere est potus.* Jam vero neque caro Christi esset vere cibus, nisi vere, & realiter manducaretur, neque sangvis ipsius esset vere potus, nisi item vere & realiter biberetur. *2do:* manducationem carnis suæ quam hic promittit Christus, confert ipse, cum manducatione mannæ in deserto. *Patres vestri manducaverunt manna in diserto & mortui sunt. Hic est panis de Cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur:* & infra: *Non sicut manducaverunt Patres vestri Manna in deserto, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Porro Judæi in deserto vere & realiter manducarunt manna. Ergo & Christus veram ac realem corporis sui manducationem appromisit. *3tio:* manducatio quam Christus carnis suæ appromittebat, erat Judæis, quos ipse alloquebatur, incredibilis, unde dicebant. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Sermo ille Christi: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis,* ipsis etiam Discipulis visus est durus, & importabilis, quare dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Huius vero non alia fuit ratio, nisi quia perspectum habebant, Christum loqui de vera & reali carnis suæ manducatione, ac modum quo id fieret, non percipientes, ut inquit S. Augustinus. *Carnem intellexerunt quomodo in cadavere laniatur, aut in macello venditur,* multi retro abierunt, & ab eo recesserunt, non tamen suam sen-

sententiam Christus immutavit. Ex ipsa ergo Judæorum ac discipulorum opinione, Christus, de vera & reali carnis suæ manducatione loquebatur, & substantialiter carnem suam manducandam, ac sangvinem bibendum appromittebat. *4to:* taliter manducandam suam carnem & bibendum suum sangvinem hic Christus appromittit, qualiter manducandam suam carnem, & bibendum suum sangvinem reipsa in ultima Cæna Discipulis suis tradidit. Porro in ultima Cæna, Christus Discipulis suis, ad vere, & realiter manducandam, carnem suam, & ad vere ac realiter bibendum sangvinem suum tradidit. Dixit enim Math: cap: 26 *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.... Bibite ex hoc omnes. Hic est Sangvis meus.* Veram ergo ac realem manducationem Carnis suæ, ac sumptionem sangvinis sui præcitatis verbis appromisit Christus. Hanc autem suam promifsionem reipsa adimplevit, dum in ultima Cæna Sacramentum Eucharistiæ instituens nobis carnem suam, & sangvinem tradiderit, ut ea accipiendo, manducemus, & bibamus. Igitur corpus & sangvis Christi vere, realiter, ac substantialiter in Sacramento Eucharistiæ præsens est. Dogma itaque realis in Sacramento Eucharistiæ præsentiæ Corporis & Sangvinis Christi, recte ex verbis promifsionis ipsius probatur.

Certe Ss. Patres Græci & Latini magno agmine, Concilia quoque, & innumeri Scriptores Ecclesiastici, in supra adductis verbis agnoverunt Christum veram suam carnem, ac sangvinem in cibum & potum daturum se spopondifse, atque inde certo inferebant, nos in Sacramento Eucharistiæ vere, ac realiter Carnem Christi manducare, ac sangvinem bibere. Sit pro omnibus Hilarius libro 8. de Trinitate. *Ipse ait, Caro mea, vere est esca, & sangvis meus vere est potus, de veritate carnis, & Sangvinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini profefsione, & fide nostra vere caro est, & vere sangvis est. Et hæc accepta, atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit.*

Obijcies: Totus sermo Christi Joannis cap: 6to est de manducatione Carnis ipsius Spirituali, quæ fit per fidem, fide scilicet Carnem Christi sub figura panis apprehendendo, non autem de manducatione Carnis Christi vera, ac reali, qua ipsa substantia Carnis ipsius comedatur. Unde omnia dicta Christi ibi exprefsa metaphorice non literaliter sunt intelligenda. Enimvero *1mo:* de pane, & carne manducanda dicit Christus, quia dat vitam æternam. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet*

in æternum.... Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.... Qui manducat hunc panem, vivit in æternum. Porro multi pereunt, qui panem Cælestem, & carnem Christi realiter, & ore manducant, quia, ut dicit Apostolus, qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit. Non ergo de reali manducatione carnis suæ hic Christus loquebatur, sed de spirituali, quæ fit per fidem, Christum fide apprehendendo, & in ipsum credendo. Unde subjunxit Christus. *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus, & vita sunt.* 2do' sine illa manducatione panis ac carnis Christi, de qua ipse loquebatur, nemo potest vitam æternam poſsidere. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis.* Jam vero infantes ante usum rationis post baptismum decedentes, imo etiam adulti si casu quopiam deceſserint, non suscepta orali, ac reali manducatione Christi carne, salvantur. De alia ergo ibi Christus carnis suæ manducatione loquebatur, de ea scilicet quæ fit per fidem, & sine qua nemo neque Deo placere, neque salvari potest. 3tio: panis & caro quæ se daturum Christus appromittebat, tunc statim ab audientibus illum manducari poterant, ut indicant verba Christi in præsenti prolata. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangvinem, in me manet. Qui manducat me, & ipse vivet propter me. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Porro tunc audientes Christum, non nisi Christi carnem spiritualiter, & per fidem manducabant. Certe quoniam eo tempore necdum Christus Sacramentum Corporis & Sangvinis sui instituerat, non poterant audientes Christi sermonem, vere, & realiter carnem ejus manducare, sed spiritualiter tantum, & per fidem. Cum itaque totus Christi sermo Joannis cap: 6to: descriptus de sola spirituali ac per fidem manducatione Carnis Christi intelligendus sit, ex eo realis præsentia Corporis & Sangvinis Christi in Sacramento Eucharistiæ latentis, probari nequit.

Resp: Frequentiſsime fit, ut in uno eodemque Scripturæ Sacræ Capite plures, & variæ res occurrant, de iisque sermo instituatur, unde non semper alicuius sententiæ germanus sensus ex iis, quæ præcedunt aut subsequuntur, erui potest, quia tunc res illæ variæ ac diversæ in eodem sermone contentæ, non ita secum colligatæ ac connexæ sunt, ut una alteri lucem afferat, sed quemadmodum

modum seorsive quælibet ponitur, & ab una ad alteram gradatim procedit locutio, ita etiam quælibet seorsive accipienda, ac intelligenda sit, ita tamen ut una res sit occasio ac motivum disserendi de altera, ac proinde etiam intelligendi, atque percipiendi alteram. Atque ita plane se habet Caput 6tum S. Joannis, quod vere, ac congrue in duas partes distribui potest. Scilicet à principio capitis usque ad versum 47. insigni miraculo cum quinque panibus, & duobus piscibus saciasset quinque millia hominum, insinuat se esse Messiam, sibi credendum esse, quare dixit: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille*, statimque incredulitatem eorum exprobrat ipsis, quod videlicet tot visis signis in eum non crediderint, atque eum quæsierant, propterea tantummodo, quia panem manducarunt, unde ait: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis*, quare etiam admonuit eos: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.* Sed cum in sua incredulitate perseverantes Judæi, Christo obiecissent, quod Patres eorum in diserto panem de Cælo, idest Manna manducarint, dixissentque ei: *Quod tu facis signum ut credamus tibi. Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est. Panem de Cælo dedit eis manducare*, pressius iam & apertius incredulitatis ipsos coarguit, ostendens se esse verum panem, quem de Cælo non Moyses, sed Pater ipsius dat eis. *Non Moyses dedit vobis Panem de Cælo, sed Pater meus dat vobis panem de Cælo verum. Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis.* Et cum murmurassent Judæi ob id, quod dixerat: *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi*, à sua sententia non destitit Christus, sed ulterius urget Judæos dicens. *Amen, amen dico vobis. Qui credit in me habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ.* Hucusque ergo Christus, in se credendum esse probat, se esse verum panem è Cælo à Patre missum evincit, incredulitatem Judæorum coarguit, quod etsi signa viderint in ipsum tamen credere noluerunt, unde dicebant: *Nonne hic est Jesus Filius Joseph, cujus nos novimus Patrem, & Matrem. Quomodo ergo dicit hic, quia de Cælo descendi?*

Verum ex hoc priori sermone, ad alium Christus sermonem descendit, & occasione tum quinque panum,

quos ipse in quinque millia hominum distribuerat, tum mannæ, qua Judæi gloriabantur, & qua veluti pane è Cælo miſso in deserto per quadraginta annos vescebantur, à versu 48. usque ad finem ejusdem Capitis 6ti, constanter inculcat Judæis, se eſse panem vivum, è Cælo miſsum, longe præstantiorem quam fuerit manna, quia nimirum qui Manna manducarunt, mortui sunt, qui vero hunc manducaverit panem, non moriturum aſseverat, sed in æternum victurum. *Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto & mortui sunt. Hic est panis de Cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Atque mysterium jam revelans, atque ipsis licet incredulis manifestans, futuraque quæ ipse facturus erat, prænuntians, ulterius sic progreditur: *Panis quem ego dabo, caro mea est*: scilicet jam ab initio huius capitis promiserat Christus se daturum cibum qui permanet in vitam æternam, & cum multis aſseruiſset se eſse panem vitæ, modo aperte aſirmat, hunc panem, hunc cibum, quem daturum se promiserat, eſse carnem suam. *Panis quem ego dabo, caro mea est.* Neque hic Metaphorice Panem carnem suam dixit, & nonnisi per fidem apprehensam, sed vere, realiter, ac substantialiter. Atque sic verba Christi Judæi intellexerunt, hocque illos commovit, unde murmurabant dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*? Certe tantum murmur non fuiſset inter Judæos excitatum, si Christus de metaphorica solum carnis suæ manducatione, & per panem nonnisi tanquam per figuram repræsentanda carne sua, atque spiritualiter tantum, per fidem scilicet apprehendenda, ac manducanda, locutus fuiſset, id enim neque insolitum, nec mirum, neque arduum videri Judæis poterat. Sane sic hic Judæi murmurabant, atque inter se litigando quærebant: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*? quomodo cum dixiſset: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*: murmurabant, & dicebant: *Nonne hic est Jesus Filius Joseph, cujus nos novimus patrem & matrem. Quomodo ergo dicit hic: Quia de Cœlo descendi*? Quemadmodum igitur murmurabant Judœi, quia Christus dixit se vere, realiter de Cælo descendiſse, & sic locutum fuiſse Christum ipsis persvasum erat; ita quoque cum dixiſset: *Panis quem ego dabo vobis, caro mea est pro mundi vita*, ideo murmurabant,

bant, quia sic perspectum erat, Christum panem quem ipsis ad manducandum daturum se promiſerat, veram, realem ac substantialiter suam carnem intellexiſse, ac pronuntiaſſe. Et iterum, sicuti ibi non obstante murmure Judæorum, probavit Christus se vere de Cælo descendiſse, unde dixit: *Nolite murmurare invicem. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum, & ego resuscitabo eum in noviſsimo die:* ita & hic spreta Judæorum litigatione aſseruit, & adiectis minis atque pollicitationibus, iterum, atque iterum affirmavit, panem quem daturus erat, vere carnem suam eſse pro mundi vita, illosque omnino debere carnem suam manducare, atque sangvinem suum bibere. *Nisi manducaveritis canem filii hominis, & biberitis ejus Sangvinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangvinem, habet vitam æternam.* Et quamquam ipsi Christi discipuli, eo sermone scandalisati abierint retro, ipse tamen suam sententiam non immutavit, imo ad superstites dixit: *Numquid & vos vultis abire.* Sed Petrus omnium nomine respondit: *Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognovimus quia tu es Christus filius Dei.* Ex hac itaque brevi totius capitis 6ti Joannis explanatione liquet, non de eadem re totum caput conscriptum eſse, non de eadem re totum intelligi oportere, ac proinde cum in priori parte sermo sit de fide, de credendo in Christum, de confitendo, quod ipse sit panis vivus è Cælo à Patre miſsus, in altera vero parte, de pane qui sit caro Christi, de carnis ipsius manducatione, & sangvinis ejus sumptione, ab uno ad aliud non valet illatio, neque ex eo, quod in priori capitis 6ti parte, nonnulla spirituali, ac metaphorico sensu intelligenda sint; ideo & reliqua in altera Capitis ejusdem parte commemorata, eodem plane sensu sumenda sunt, atque eodem modo intelligenda, cum omnia pro subiecta materia accipi debeant.

Sed ad singula in obiectione laudata, singilatim respondendum est. Itaque *ad 1mum:* reipsa Caro Christi, dum digne manducatur, & sangvis ejus quando digne sumitur, dat vitam æternam, quia qui sic Carnem Christi manducat, & sangvinem ejus bibit, in Christo manet, & Christus in ipso, qui autem indigne manducant, & bibunt, ut docet Apostolus 1. Corinth: cap: 11. judicium sibi manducant & bibunt, & hoc ideo quia non dijudicant corpus Domini, neque se ipsos prius probant utrum digni

sint

sint, atque ideo quia multi indigne manducant, imbecilles sunt multi, dormiunt ac pereunt multi, vere tamen manducant corpus Christi, & sangvinem bibunt, unde ut inquit idem Apostolus, rei efficiuntur Corporis & sangvinis Domini. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit corporis & sangvinis Domini.* Quare etiam Christus dixit: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*, quia nisi Spiritu vivificatus homo, Carnem Christi sumpserit, nullum spiritualem fructum reportare poterit. Et nemo ambigere potest, verba quæ locutus est Christus, spiritu plena esse, & vitam æternam continere, quia ut Petrus responderat Christo, ipse verba vitæ æternæ continebat. Unde S. Augustinus Tract: 27. in Joann: sic inquit. *Caro non prodest quidquam, sed sola caro, accedat Spiritus ad carnem, & prodest multum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis.* Sed præterea an omnes Spiritualiter & fide Christi carnem manducantes, & sangvinem ejus in figura bibentes, vitam æternam consequuntur? Non certe. Nam & in antiqua lege Judæi, ut docet Paulus 1. Corinth: cap: 10. *eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Verum tamen ut ibidem superaddit Apostolus: *non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.* Jlli quoque qui secundum eundem Apostolum, ad manducandam Dominicam Cænam conveniebant, omnes credendo manducabant, ac bibebant, attamen plures eorum judicium sibi manducabant, & bibebant. Semper ergo ut manducando carnem Christi, & bibendo sangvinem ejus, vitam æternam habeamus, necesse est ut digne, & cum præviis fidei, ac pietatis dispositionibus, manducemus, atque bibamus.

Ad 2dum: Quocunque sensu laudata Christi verba: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis:* intelligantur, sive de reali Carnis Christi manducatione, quemadmodum ea universa Ecclesia Catholica semper intellexit, sive de manducatione spirituali nonnisi per fidem, ut pertinaciter contendunt Calvinistæ, Zwingliani, ac cæteri Hæretici, sumantur, semper exceptionem patiuntur, atque iis Infantes non compræhenduntur, qui certe per fidem, cujus capaces non sunt, carnem Christi manducare nequeunt. Certe licetsi dixerit Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*

aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei: nihilominus in multis casibus, adulti quamvis aqua non fuerint baptisati, sive per Martyrium, quod prioribus Ecclesiæ ſæculis frequenter contingebat, sive per ardens Baptismi desiderium, quod nunc etiam evenire potest, salvari poſsunt, ita pariter licetsi dixerit Christus: *Nisi manducaveritis...* certis in casibus adulti quoque vitam æternam consequi poſsunt, quamquam Carnem Christi ore non sumpserint, neque sangvinem ipsius biberint, quia nimirum verba Christi, non ita generalia, & absoluta sunt, ut nullam patiantur exceptionem, ac limitationem.

Ad 3tium: Jam versu 27. capitis 6ti promiserat Christus, se daturum cibum, qui permanet in vitam æternam. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis*, & versu 52. pariter promittit sed daturum panem, qui vere caro illius sit. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: de futura ergo manducatione cibi, qui permanet in vitam æternam, & panis futura sumptione, qui caro ipsius sit, locutus est Christus. His ergo respondent ſubsequentia: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſangvinem*, ac proinde non de præsenti, ſed de futuro accipienda ſunt, ſemperque illis addendum est illud, quod ſuperius à Christo positum est, *quem filius hominis dabit vobis, quem ego dabo*, nimirum: *Qui manducat meam carnem quam ego dabo. Qui manducat hunc panem, quem Filius hominis dabit vobis.* Sic porro si legantur, atque intelligantur, quemadmodum reipsa legi, ac intelligi debent, non pro præsenti, ſed pro futuro ſumenda ſunt.

Dices: Juxta Apostolum 1. Corinth: cap: 10. Patres veteris testamenti, *eandem escam spiritualem manducaverunt, & eundem potum Spiritualem biberunt.* Hæc autem esca, hic potus erat Christus, unde subjungit Paulus: *bibebant autem de spiritali, consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Porro illi nonnisi per fidem Christum comederant, & biberunt. Ergo etiam & nos nonnisi spiritualiter, & per fidem Christum manducamus, & bibimus. Præterea Math: cap: 25. inquit Christus: *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in seceſsum emittitur.* Si ergo corpus Christi ore comeditur, oportet ut etiam in seceſsum emittatur, quod cogitare, aut proferre, impium est.

Resp: Jlla esca, & cibus, quem in veteri lege Judæi

man

manducabant, ac bibebant, erat illis omnibus sive bonis, sive malis communis, quia omnes idem Manna comederunt, & eandem aquam é petra eductam biberant, unde ibidem statim superaddit Apostolus: *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, quia licet omnes eandem escam manducaverint, & eundem potum biberint, multi tamen in deserto prostrati sunt. Sed non dicit Apostolus, Judæos in veteri lege eandem ac nos modo manducaſse escam, aut eundem bibiſse potum, quia illi manducaverunt Manna, nos longe quid præstantius ac salubrius, Panem scilicet qui est Caro Christi, ut inquit Salvator Joan: cap: 6to: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de Cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*: illi biberunt aquam è rupe manantem, nos bibimus prætiosum sangvinem Christi. Certe ut ibidem de Judæis inquit Paulus. *Hæc in figura facta sunt nostri*, & iterum: *Hæc omnia in figura contingebant illis*, & ipsi namque baptisati sunt in mari, quia illud Baptismi nostri figura erat, an ideo Baptismus? Manducaverunt manna, biberunt aquam è petra manantem, quæ erant figura Corporis & Sangvinis Christi, an statim eadem esca, idem potus? minime. Imo quia figura â re figurata discrepat, quia Judæi figuras manducabant, & bibebant, nos res ipsas Corpus scilicet, & Sangvinem Christi manducamus, & bibimus.

Quantum ad illud, quod ex Mathæo allatum est, de cibis ordinariis, qui ad nutriendum hominem aſsumuntur, intelligendum est, ut ex toto Christi sermone evidentiſsimum est. At vero corpus Christi non est cibus communis, non ad nutriendum corpus humanum, sed ad roborandam, atque confortandam animam aſsumitur, non potest ergo subiacere sorti cæterorum ciborum qui communes sunt. Et quemadmodum corpus Christi incipit eſse sub speciebus panis, & Sangvis ejus sub speciebus vini, facta illarum consecratione, ita etiam iis corruptis, & alteratis, sub illis desinit eſse, sine sui læsione & ullo detrimento.

Quæres 6to: Utrum ex verbis institutionis, valide probetur realis præsentia Corporis, & Sangvinis Christi in Sacramento Eucharistiæ?

Resp: Ex verbis institutionis, realis præsentia Corporis, & sangvinis Christi, in Sacramento Eucharistiæ, efficaciter probatur. Enim vero Eucharistiæ institutionem

nem, præter S. Joannem reliqui omnes Evangelistæ ita unanimiter atque eodem modo referunt, ut qui unum audit aut legit, ceteros omnes legiſse, ac audiſse censeatur, quæ etiam ſummatim repetit Paulus. 1. ad Corinth: cap: 11. Igitur S. Mathæus cap: 36. sic rem narrat, cujus narrationi ceterorum Evangelistarum, ac Pauli Apostoli ab ipso intermiſsa aut paulo immutata adijciuntur verba. *Cænantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait, accipite & comedite: Hoc est corpus meum* (*quod pro vobis datur*, Lucæ 22. *quod pro vobis tradetur* 1. Corinth: 11. *Et accipiens Calicem gratias egit. & dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sangvis meus novi Testamenti, qui pro multis efundetur in remiſsionem peccatorum.* Lucas vero: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, eadem habet & Paulus, post quæ sic concludit Apostolus. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis. & Sangvinis Domini.* Atque hæc verba institutionis, si cum verbis promiſsionis conferantur, evidentiſsimum est, illa in omnibus sibi respondere, atque congruere, & quæ Christus Joannis cap: 6to appromiserat, hæc in ultima Cæna perfecerat. Nimirum promiserat Christus futurum, ut panis quem daturus erat, eſset Caro illius. *Panis quem ego dabo, caro mea est*, in ultima Cæna, *Accepit panem, & benedixit, & ait: hoc est corpus meum.* Promiserat Christus futurum ut caro ipsius eſset verus Cibus, & Sangvis ipsius verus potus, & id in ultima Cæna perfecit, dicens: *accipite, & comedite, Hoc est corpus meum. Bibite ex hoc omnes. Hic est sangvis meus.* Quemadmodum ergo Christus appromiserat se daturum veram Carnem suam ad manducandum, & verum sangvinem suum ad bibendum, futuram Eucharistiæ institutionem prædicendo, sic etiam in ultima Cæna actu illam instituendo, veram ac realem Carnem suam Apostolis dedit ad manducandum, verum & realem sangvinem suum ad bibendum. Quare sicuti ex verbis promiſsionis, ita ex verbis institutionis invicte probatur, realis præsentia Corporis, & Sangvinis Christi in Sacramento Eucharistiæ.

Et vero si verba Christi tum promiſsionis, tum institutionis, ac tandem verba Pauli Apostoli, quibus Sacratiſsimæ Eucharistiæ institutionem compendiose enarrat, sumantur sensu naturali, obvio, ac literali, apertiſsimum

ac

est Christum & veram Carnem suam, ac verum sangvinem ſuum ad manducandum, atque bibendum appromisiſse, atque reipsa Discipulis dediſse. Porro & verba Christi sive promiſsionis, sive institutionis, ac tota Pauli narratio, sensu naturali, obvio, ac literali sumenda sunt. Sic enim omnia clara, aperta, intellectu facillima ſunt. Planum enim ac apertum est Christum panem in Carnem suam transmutaſse, vinum in sangvinem ſuum convertiſse, atque sic ea Discipulis suis ad manducandum, & bibendum dediſse. Quod si omnia sensu mystico, figurato, ac metaphorice intelligenda, & accipienda forent, sensus verborum Christi, ejusque Apostoli Pauli, erit omnino obscurus, obstrusus, intellectu difficilis, ac plane imperceptibilis. Quis enim audiens verba Christi: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sangvis meus:* suspicari poterat, per ea non denotari verum corpus, verum sangvinem, sed nonnisi figuram Corporis, ac Sangvinis Christi. Quis audiens verba Christi: *Accipite, & comedite. Bibite ex hoc omnes:* suspicari poterat, non veram, ac realem manducationem Carnis Christi, non veram, ac realem sumptionem sangvinis ipsius, significari, sed nonnisi manducationem, sumptionem mysticam, figuratam, atque metaphoricam. Certe multa sunt tum in verbis Christi Sacramentum Eucharistiæ in ultima Cæna sua instituentis, tum in verbis Pauli eandem institutionem enarrantis, quæ luculentiſsime probant, & Christum Apostolis suis veram ac realem carnem ad manducandum, sangvinem ad bibendum dediſse, & nos in memoriam Christi, Dominicam Cænam manducando, veram, ac realem Carnem ac Sangvinem ipsius manducare, atque sumere. Etenim 1mo: dicit Christus: *Accipite & manducâte. Hoc est Corpus meum. Bibite ex hoc omnes: Hic est sangvis meus:* distinctæ, reales mandantur actiones, *accipite, manducate, bibite:* an omnia mystice, figurate? Ne utiquam; uno siquidem fidei actu accipi, manducari, ac bibi potest, Ut quid ergo ista actuum distinctio? Nisi quia ipsis realia respondebant objecta, reale igitur quidpiam ac substantiale accipiebatur, manducabatur, ac bibebatur, illud autem aliud non erat, nisi Corpus, & sangvis Christi. Et huic addendum est istud, quod Joan: Cap: 6. dixerat Christus: *Caro mea verus est cibus, & Sangvis meus vére est potus:* Si verus cibus, verus potus, non mysticus, non metaphoricus, vera manducatio, vera ac realis sumptio, non mystica, non metaphorica. Ergo vera, ac realis

alis Caro Christi, verus, ac realis atque substantialis Sangvis Christi. *2do:* In ultima Cæna Christus Corpus suum Discipulis suis dedit, quod pro illis erat in mortem tradendum, sangvinem, qui pro multis in remifsionem peccatorum effundi debebat. Porro non Corpus Christi mysticum, & metaphoricum, non figura, & imago illius, tradita est in manus peccatorum, non sangvis figuratus, & metaphoricus in remifsionem peccatorum effusus est, sed verus, ac realis, reale ac substantiale Corpus ipsius. Ergo etiam tale corpus ad manducandum, talis sangvis ad bibendum datus est Discipulis. *3tio:* Dicit Apostolus, qui indigne manducat, & bibit, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini, atque reus efficitur Corporis, & Sangvinis. At quomodo hæc, si nonnisi figura Corporis, & sangvinis Christi sumitur, quomodo per id constitui quis poterit reus corporis & sangvinis Christi? Quomodo quis credendo in Eucharistia nihil aliud efse nisi Panem & vinum, qui sint figura tantum Corporis & Sangvinis Christi, potest illa indigne sumere, judicium sibi manducare & bibere, cum juxta Calvinistas, & Zwinglianos, omnis fides salutaris sit, ut quid ergo illa sui probatio, quam inculcat Apostolus, ut quis digne manducet, & bibet, præter fidem? quæ plura requiri possunt ut dijudicetur corpus Domini? Hæc certe inextricabilia, & inexplicabilia sunt in perverso Calvinistarum, ac Zwinglianorum Systemate. Omnia autem plana, ac aperta in Dogmate Catholicorum.

His merito addi debet, quod in eadem Epistola Cap: 10. scripsit Apostolus: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sangvinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est.* Sumendo itaque Calicem benedictionis, vere communicamus Sanguini Christi. Manducando panem Eucharisticum, vere participamus de Corpore Domini. Est ergo verus & realis sangvis Christi quem de Calice bibimus. Est verum Corpus Christi quod sub speciebus panis sumimus, alias neque sangvini Christi communicaremus, neque de Corpore Domini participaremus. Quod doctrinæ Apostoli adversatur.

Objicies 1mo: Ex verbis institutionis non potest probari realis præsentia Corporis, & Sangvinis Christi in Sacramento Eucharistiæ, quia in his Christi positionibus: *Hoc est Corpus meum. Hic est sangvis meus,* quæ maxime realem præsentiam Corporis & sangvinis Christi demonstra-

monstrare videntur, verbum *est*, idem valet ac *significat*, ac proinde non ipsum Corpus, & sangvinem ſed figuram Corporis & sangvinis denotat, quare cum Christus dixit: *Hoc est corpus meum Hic est sangvis meus.* Idem est ac si dixiſset: *Hoc significat corpus meum. Hoc significat sangvinem meum.* Fræquentiſsima siquidem adsunt exempla Scripturæ Sacræ, ubi verbum *est*, idem valet ac verbum *significat.* Sic Gen: Cap: 17. Circumcisio vocatur fædus, quæ tamen solum erat signum fæderis, & Cap: 41. *septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ*, dicuntur eſse *septem ubertatis anni.* Et nonnisi annos ubertatis significabant. Exodi Cap: 12. Agnus Paschalis dicitur *phase id est transitus Domini*, quia significabat transitum Domini, & ipsum in memoriam revocabat. Daniel Propheta exponens Nabuchodonosoris somnium ingentis statuæ Cap: 3. ait illi: *Tu es caput aureum*, quia per caput aureum significabatur. Similia exempla non raro occurrunt in novo Testamento. Joan: Cap: 10. Christus dicit: *Ego sum ostium* Math: 15. ait ipse: *Qui seminat bonum semen est Filius hominis. Ager autem est mundus, bonum vero semen hi sunt filii regni, Zizania autem sunt filii nequam:* quo in loco verbum *est*, semper usurpatur pro verbo *significat.* Tandem Apostolus 1. Corinth: Cap: 10. scribens de petra illa ex qua Moyses in deserto aquas eduxerat, ait: *Petra erat Christus*: hoc est: significabat Christum. Cum igitur in his omnibus locis verbum *est*, accipiatur pro verbo *significat*, pariter & in illis verbis Christi: *Hoc est corpus meum, Hic est sangvis meus*, eodem modo accipi debet, ita ut illa hunc præseferunt ſensum: *Hoc est signum Corporis mei*, vel etiam: *Hoc significat, figurat corpus meum.*

2do: Tota series verborum institutionis si consideretur, omniaque bene ponderentur, manifestiſsimum est, Christum nonnisi metaphorice, & figurate locutum fuiſse, ac proinde sic etiam intelligendum eſse. Enimvero purus panis nonnisi per figuram dici potest corpus Christi. Porro Christus purum panem, quem manibus tenebat, dixit eſse corpus suum; cum illum benedicens pronuntiavit: *Hoc est corpus meum.* Pronomen siquidem *Hoc*, nonnisi ad panem purum referri poterat, quia ante completam à Christo propositionem, cujus virtute panis in corpus Christi immutatus eſse supponitur, necdum erat Corpus Christi, sed purus panis. Cum itaque Christus purum panem dixerat eſse corpus ſuum, non verum corpus ſuum intellexit, ſed

ſed nonnisi figuram illius. Preterea post verba institutionis, cum jam calicem ad bibendum discipulis porrexiſset, ſubjunxit Christus dicens Lucæ cap: 22. *Accipite, & dividite inter vos, dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat* & Math: cap. 26. *Dico autem vobis, non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Christus ergo illud vinum Discipulis propinavit, quod postea in Regno Patris se cum illis bibiturum affirmavit. Hoc autem metaphorice intellexit, & hæc ipsius verba figuram nonnisi sapiunt. Similiter ergo cum calicem, sangvinem ſuum dixerat: *Hic est sangvis meus*, metaphorice locutus est, & verba illius nonnisi figuram continent.

3tio: Math: Cap. 24. Christus ita alloquitur Apostolos: *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere.* Si autem Christus vere eſset in Sacramento Altaris præsens, poſsemus vere dicere. Ecce hic est Christus. Præterea apud eundem Evangelistam cap: 26. inquit Christus: *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis.* At vero si in Eucharistia realiter eſset præsens corpus, & sangvis Christi, semper Christum nobiscum haberemus. Tandem Actorum cap: 3. de Christo legitur: *Oportet illum cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium.* Et Marci cap: ultimo: *Aſsumptus est in Cœlum, & sedet à dextris. Dei.* Si ergo Christus in Cælos ascendit, si ibi mansurus dicitur usque ad extremum hujus sæculi diem, falsum est quod nobiscum in Eucharistia maneat, quodque tam frequenter ad Sacerdotis nutum descendat de Cælo.

Resp: Notum ac perspectum est, ea omnia de quibus loqui solemus, aut res eſse, aut signa rerum. Propositiones quibus rem ipsam significare volumus, juxta nativam verborum significationem ſumimus. Verba autem, quibus tantummodo signa rerum denotantur, non præcise ut sonant, intelligi debent, sed prout aliquid aliud designant, cum quo aut naturalem aliquam habent conformitatem, aut arbitrariam ex hominum usu, & institutione. Jam vero homines ita comparati ſunt, ut verba quæ audiunt, in proprio senſu accipiant, nec aliter poſsunt, nisi præcedenter admoneantur, illa tamquam signa eſse intelligenda, aut ex adjunctis, id facile colligere valeant, præsertim si sermo sit, de signis arbitrariis, necdum usu receptis, & nonnisi primo usurpatis, quod nisi fiat, verba loquentis ab Audi-

toribus

toribus, nullo modo percipi poterunt. Cum igitur Apostoli â Christo audierunt: *Hoc est corpus meum. Hic est sangvis meus*, verbum *est*, pro verbo *significat*, accipere non potuerunt, quin simul panem pro signo Corporis Christi, & vinum pro signo Sangvinis ipsius acciperent. Verum hanc acceptionem Apostoli nullo modo animo concipere poterant, quia & in toto Christi sermone nullum habebant fundamentum, & panem ubi merum panem, & vinum, ubi merum vinum, semper hucusque consideraverunt, nec unquam audiverant, illa eſse signa ac figuras Corporis, & sangvinis Christi, nihil ille præmiserat, unde id illi ſuspicari vel leviter potuiſsent, nihil etiam ſubjunxit, ex quo in horum novorum signorum, usu minine receptorum, cognitionem venire poterant. Igitur fieri non poterat ut Apostoli audientes verba Christi: *Hoc est corpus meum. Hic est sangvis meus*, verbum *est*, pro verbo *significat* accipere potuerint, ac proinde panem & vinum nonnisi signa ac figuras Corporis ac Sangvinis Christi reputaverint. Sed insuper omnia eo trahebant, atque impellebant Apostolos, ut verba Christi: *Hoc est corpus meum. Hoc est sangvis meus*; in sensu obvio, ac nativo acciperent, ipsumque non in figura ac metaphorice, sed plane, & clare locutum eſse. Jam enim præmoniti erant ab ipso, atque edocti, panem, qui caro illius eſset, se illis daturum eſse, carnem ejus futurum verum cibum, & sangvinem verum potum neminemque poſse habere vitam æternam, nisi manducaverit carnem ipsius, & biberit sangvinem illius, & hæc omnia jam ipsi crediderant. Cum ergo vidiſsent accepiſse Christum panem, ac deinde calicem, & dicentem audierunt: *Accipite & comedite. Hoc est corpus meum. Bibite ex hoc omnes. Hic est sangvis meus*: integram ei fidem præstiterunt, atque illum veram ſuam carnem, verum ſuum sangvinem se illis ad manducandum dare, ad bibendum præbere, crediderunt.

Oleum itaque & operam perdunt Calvinistæ, & Zwingliani, dum nonnullos Scripturæ textus colligunt, in quibus verbum *est*, pro verbo *significat*, accipitur, ut inde probent in verbis quoque institutionis eodem modo accipi debere, ac proinde verba Christi: *Hoc est corpus meum*: hunc habere sensum: *Hoc significat corpus meum*. Namque *1mo:* istud argumentum eo vitio laborat, quod ex nonnullis particularibus casibus, regulam generalem efformet, ex eo nimirum quod in nonnullis Scripturæ locis verbum *est*, idem valet ac verbum *significat*, concludendo, eodem modo

modo ubique accipiendum eſse, cum & longe plura sint Scripturæ loca, in quibus verbum *est*, in ſuo nativo accipitur sensu, & si ubique pro verbo *significat*, accipi debeat, præcipua fidei catholicæ dogmata, quæ & ipsi Calvinistæ ac Zwingliani confitentur titubare deberent, præcipuumque divinitatis Jesu Christi testimonium: *Hic est filius meus dilectus* corruit, verbo *est*, verbum *significat*, ſubstituendo *2do*: in omnibus Scripturæ locis, quæ in objectione laudata sunt, verbum *est*, pro verbo *significat*, sumi debere apertiſsime constat ex rei natura de qua fit ſermo, ex adjunctis, atque circumstantiis, ac serie totius sermonis. Hoc vero in verbis institutionis locum non habet, imo ex serie totius sermonis Christi, ex adjunctis, atque circumstantiis, atque ex natura rei de qua loquebatur Christus, evidentiſsimum est, verbum *est*, in ſuo nativo sensu sumi debere, eique verbum *significat*, ſubstitui non poſse *Totum* igitur Calvinistarum ac Zwinglianorum ruit argumentum.

Sed ad singula respondendum est. Et quidem Circumcisio vocatur fædus, quia ad fædus significandum instituta est, & figuratam hancce locutionem quivis etiam minus perspicax statim detegere potest ex subsequentibus verbis: *Circumcidetis carnem præputii, ut sit signum fæderis inter me & vos*: At vero postquam Christus panem, corpus ſuum eſse dixit, & calicem ſuum sangvinem novi Testamenti, quia eo illud consignabatur, nihil adjecit, unde de signo corporis, & sangvinis ſui se locutum fuiſse indicaret.

In responsione Joseph data Pharaoni, *ſunt*, accepitur pro verbo *significant*, quia Pharao quid septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, quas somnians viderat, significarent, Josephum interrogabat. Qui enim somnii explicationem quærit, ea quæ somniavit, pro signis reputat, res ergo ipsa convincit, & ostendit, verbum *sunt*, hic pro verbo *significant*, uſurpari.

Eadem est responsio ad somnium Nabuchodonozoris à Daniele explanatum, & visionem Ezechielis Prophetæ cui statim ac Deus campum oſsibus aridis conseminatum ostendit, dixitque: *Oſsa hæc universa domus Israel est*: statim ex re ipsa intellexit Propheta, Oſsa illa, domum Israel, non reipsa eſse, ſed ipsam significare, ac denotare.

Pariter cum Judæi omnem apparatum sigillatim descriptum audirent, quo agnum Paschalem quotannis comedere

medere debebant, in memoriam transitus Domini, jam ex omnibus adjunctis, circumstantiisque, figuram intellexerant, agnumque veluti commemorationem dumtaxat recepti beneficii considerabant. Sed etiam in ista propositione: *Agnus est phase*: verbum *est*, naturali ſuo accipi potest sensu, subaudiendo vocem *sacrificium*, aut *victima*, ita ut sensus sit: *Agnus est sacrificium phase, seu transitus Domini*, quod in ipso contextu fundamentum habet, namque eodem in capite ver: 26. & 27. ita Moyses loquentem inducit Deum: *Cum dixerint vobis filii vestri, quæ est ista religio? Dicetis eis, victima transitus Domini est.*

Cum etiam Joannis Cap: 10. dixiſset Christus: *Ego sum ostium*, & alibi: *Ego sum vitis*: facile erat Apostolis detegere Christum loqui figurate, & parabolice, neque enim ſuspicari poterant Christum conversum eſse in ostium, aut in vitem, cum ibidem etiam Patrem suum cælestem, agricolam eſse dixerit, ex adjunctis ergo persvasum erat Apostolis, ideo Christum se ostium nominaſse, quod sicut per ostium patet aditus in domum, ita quoque per ipsum patet aditus in regnum Cælorum, unde statim adjecit: *Per me si quis introierit, salvabitur*: vitem vero se nominavit, quod quemadmodum, ut ibidem interprætatur Salvator, sine vite palmes nullum fructum ferre potest, sic neque ipsi aliquem fructum facere poterant, nisi in ipso permanserint. Ex totius ergo sermonis serie facile erat advertere Christum figurate loqui, & nonnisi metaphorice ostium, ac vitem se dixiſse.

Ultimum parabolæ à Christo propositæ elucidationem continet, quod ut faceret Apostoli rogarunt: *Ediſsere nobis parabolam Zizaniorum.* Nemo autem ignorat, res in parabola contentas, aliarum rerum signa, ac figuras eſse. Frustra autem explicationem Apostoli à Christo postulaſsent, si verba parabolæ, naturali sensu intellexiſsent.

Ad 2dum: In toto sermone Christi, quo sacratiſsimum Eucharistiæ Sacramentum instituit, ex pane corpus, & ex vino sangvinem ſuum effecit, nihil est, unde inferri poſsit Christum figurate ac metaphorice locutum fuiſse, quare ad singula in objectione adducta facilis est responsio. Et quidem verum est, panem, si in ſua ſubstantia persistat, nonnisi per figuram poſse dici corpus Christi, sed dum Christus panem dicit corpus ſuum, eum illico virtute ſua in corpus ſuum transmutavit, idque ex pane efficit, quod panem eſse pronuntiavit dicens: *Hoc est corpus meum*, verba siquidem Christi id efficiebant, quod enuntiabant,

tiabant & quemadmodum cum dixit Christus Regulo: *filius tuus vivit:* Joan. 4 eadem hora reliquit eum febris, ac melius se habere cæpit. Centurioni pro filio suo, qui paralyticus jacebat, roganti, cum dixisset Math. cap: 8. *Vade & sicut credidisti fiat tibi*, in illa hora sanatus est puer. Atque ibidem leproso petenti, ut eum à lepra mundaret, cum dixisset, *volo, mundare*, confestim mundata est lepra ejus, ita pariter cum dixisset: *Hoc est corpus meum: Hic est sangvis meus*: illico facta sunt, ut plane verba Psalmistæ verificata fuerint: *Ipse dixit, & facta sunt*: omnipotens siquidem sermo Christi, naturas rerum transsubstantiabat, quare in Christi propositione pronomina: *Hoc, Hic*, vel designabant panem & vinum mox transmutanda in corpus, & sangvinem Christi, vel designabant in genere tantum id, quod erat præsens, quodque Christus suis tenebat manibus, & quæ ab Apostolis initio sermonis panis & vinum reputabantur, sed auditis ceteris, nimirum: *Hoc est corpus meum. Hic est sangvis meus*, intellexerunt non jam esse panem, neque vinum, sed corpus, & sangvinem Christi. Quod spectat id, quod de vite additum est, Christus neque realiter, neque metaphorice in Regno Patris sui de vite cum Discipulis suis biberat, nulla ergo in iis verbis fig ra est, quæ apud Lucam institutionem antecedunt, apud Mathæum consequuntur, & alium non patiuntur sensum, nisi hunc, quod iis voluerit Christus significare se tunc cum illis ultima vice manducare, & bibere; unde dixerat Lucæ Cap: 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.*

Ad 3tium: Prædicit Christus futurum, ut ad populorum seductionem multi insurgant Pseudo Christi, & pseudo-prophetæ: *Surgent pseudo-christi, & pseudo-prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia.* Hos cavendos esse admonens dixerat: *Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere*: cavendos itaque ac fugiendos Pseudo-Christos monet, præsentiam sui in Sacramento realem non excludit.

Christus defendens Mulierem, quæ super caput ipsius alabastrum effuderat ungventi pretiosi, ostendit hoc ultimum pietatis opus sibi exhibitum fuisse, ac proinde non debere illos hoc moleste ferre, quia & pauperes semper apud se haberent; & cum voluerint possent illis benefacere, ipsum vero, cui benefacerent, non semper essent habituri, unde ait: *Quid molesti estis huic mulieri, opus* enim

enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit; præsentiam ergo suam visibilem, & secundum eum statum, in quo aliquid utilis obsequii ab hominibus percipere poſset, excludit, & qualis pauperum semper futura erat, non autem sacramentalem, ac invisibilem.

Tandem Christi nobiscum in Eucharistiæ Sacramento præsentia, non pugnat cum ejus in Cælum ascensione. Stat enim Christum in cælum ascendiſse ibique usque ad diem extremi judicii mansurum, in statu scilicet connaturali, & eundem invisibili modo præsentem eſse in Sacramento Eucharistiæ, neque ad id neceſse est, ut deserat cælum cum in pluribus locis simul præsens ipse eſse poſsit. Certe cum Actor: Cap: 9. apparuit Paulo, & Petro Roma fugienti, quando ei dixerat: *Vado Romam iterum crucifigi*: quod & ipse Epist: 2. Cap: 1. ver: 14 insinuare videtur, fuit ipse in Cælo, nec illud deseruit, & tamen in terris apparuit. Ut ergo etiam in Eucharistia sit præsens, non est neceſse, ut Cælos derelinquat.

Quæres 7mo: Utrum ex: SS. Patribus priorum Ecclesiæ sæculorum poſsit probari realis in Sacramento Eucharistiæ, Corporis, & Sangvinis Christi præsentia.

Resp: Potest, & re ipsa testimoniis eorum invicte comprobatur. Et quidem S. Ignatius Martyr in Epistola ad Smirneos verba faciens de quibusdam Hæreticis, qui jam eo tempore Eucharistiam labefactabant, sic inquit: *Ab Eucharistia & oratione abstinent, eo quod non confitentur Eucharistiam Carnem eſse Servatoris Nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris paſsa est, quam Pater benignitate sua ſuscitavit: Qui ergo contradicunt huic dono Dei, altercantes moriuntur.* His verbis S. Ignatius aſserit, in Eucharistia eandem eſse Christi carnem, quæ pro pecatis nostris paſsa est, quam Pater â mortuis suscitavit. Hæc autem caro non figurata, non metaphorica sed vera, & realis fuit, veram ergo, & realem Christi carnem in Eucharistia præsentem eſse agnoscit, ac confitetur; qui hanc veritatem non agnoscunt, Hæreticos eſse docet, qui ei contradicunt, altercantes mori affirmat.

S. Justinus Martyr in Apologia ſua, quam pro Christianis Tito Antonino Imperatori obtulit, postquam modum Eucharistiæ conficiendæ in Ecclesia consvetum descripsiſset, ita loquitur: *Non enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per*

Ver-

Verbum Dei Caro factus Jesus Christus Servator noster carnem, & sangvinem salutis nostræ causa habuit, ad eundem modum etiam eam, in qua per præces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ alimoniam, unde sangvis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sangvinem esse edocti sumus. Hic docet Justinus eo modo panem & vinum â Christo instituta, per præces verbi ejus ab ipso profecti corpus & sangvinem ipsius fieri, quo ipse Servator noster homo factus carnem & sangvinem salutis nostræ causa assumpsit. Porro Christus Jesus homo factus, non metaphorice, & in figura, sed vere, realiter, & substantialiter carnem, & sangvinem assumpsit; ergo etiam veram, ac realem carnem ac sangvinem Christi per præces verbi ab ipso profecti in Eucharistia fieri credidit, atque á nobis sumi docuit.

S. Ireneus libro 4. adversus hæreses Cap: 34. Valentinianos effutiente, Jesum Christum non illius Dei, qui Mundum condidit, sed cujusdam alterius esse filium, sic oppugnat: *Quomodo autem constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & Calicem sangvinem ejus, si non ipsum fabricatoris Mundi filium dicant. Quomodo autem rursum dicunt Carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à Corpore Domini, & sangvine alitur.* Apertissime hoc loco docet S. Martyr, in Eucharistia panem, in quo gratiæ actæ sunt, Corpus Christi fieri, & esse, ac calicem sangvinem ipsius, atque hoc eodem corpore, & sangvine Christi, corpus nostrum ali, ac nutriri. Porro corpus nostrum metaphorica, carne, & sangvine, figuris earum ali, ac nutriri nequit. Ergo panem Eucharisticum, & calicem, verum corpus & sangvinem Christi esse credidit, & docuit, nosque vere, realiter, & substantialiter Corpus & sangvinem ipsius sumere. Similia etiam habet Tertullianus libro de Resurrectione Carnis cap: 8. ubi sic inquit: *Caro abluitur, ut anima mundetur. Caro corpore, & sangvine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Certe caro nostra figurato & metaphorico Corpore & Sangvine Christi vesci nequit, quia hæc per fidem apprehendere nequit, sed vere, ac realiter, & quemadmodum vera, ac reali in Baptismo aqua abluitur, ita in Eucharistia reali, ac substantiali Corpore, & Sangvine Christi vescitur.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. mystagogica sic inquit: *Cum igitur ipse pronuntiaverit, & dixerit de pane: Hoc est corpus meum, quis audebit deinceps*

ambigere, & cum ipse afseveraverit, & dixerit: Hic meus est sangvis, quis unquam dubitaverit, agens non efse ejus sangvinem. Aquam olim in vinum, quod sangvini affine est, in Cana Galileæ transmutavit, & eum parum dignum existimabimus, cui credamus, cum vinum in sangvinem transmutavit. Ad nuptias corporales vocatus, stupendum hoc miraculum effecit, & non eum multo magis filiis thalami nuptialis, corpus suum & sangvinem fruenda donafse confitebimur: Quare cum omni persvasione tamquam Corpus, & sangvinem Christi sumamus. Unde sic argumentari licet. Quemadmodum Christus in Cana Galileæ, aquam in vinum transmutavit, ita vinum in sangvinem transmutavit. Sed aquam in vinum in Cana Galileæ vere, realiter, ac substantialiter transmutavit, *& hoc fecit initium signorum Jesus, & manifestavit gloriam fuam.* Joan: cap: 2do. Ergo & vinum in sangvinem suum vere, realiter, & fubstantialiter in ultima fua cæna transmutavit. Dum igitur panem & vinum sumimus, de quibus ibi dixerat: *Hoc est corpus meum. Hic est sangvis meus:* juxta fidem & doctrinam hujus S. Patris: *cum omni persvasione, tamquam Corpus, & sangvinem Christi sumamus*, nihil de eo ambigendo, nihil dubitando.

Simili argumento ex divina omnipotentia petito, multisque exemplis illustrato, utitur S. Ambrosius libro de Mysteriis cap: 8. ad realem Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ adstruendam præsentiam. Postquam enim de Sacramento Altaris difserens, affirmafset, carnem Christi longe quid præstantius efse, quam fuerit manna Judæorum, quemdam sibi objicientem induxit: *Aliud video, quomodo tu mihi afseris, quod Corpus Christi accipiam.* Mox ei sic respondet: *Probemus hoc non efse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, maioremque vim benedictionis efse, quam naturæ, quia benedictione etiam natura mutatur.* Tum adductis talium mutationum exemplis è Scripturis Sacris depromptis, scilicet virgæ Moysis in serpentem, & contra serpentis in virgam, aquæ fluminis in sangvinem, sic tandem prosequitur: *Si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini operantur. An non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? An sermo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erant.* Hic aperte traditur, & probatur catholicum dogma realis præsentiæ corporis, & sangvinis Chri-

Christi in Augustiſsimo Altaris Sacramento, in quo ipsa verba Domini operantur, atque sermo Christi species immutat elementorum, ex pane carnem ſuam efficiens, & ex vino sangvinem, atque ea quæ sunt panem scilicet & vinum immutans in ea quæ non erant, nimirum in corpus & sangvinem ſuum.

Sed quoniam Calvinistæ maxime patrocinio S. Augustini, frustra licet, gloriantur, illius ſententiam, doctrinamque circa Eucharistiæ Sacramentum, hic adducimus. Jile igitur libro 5. de Baptismo sic inquit: *Sicut Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se Diabolo præbuit, sic indigne quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia ad salutem non accipit, nihil acceperit, Corpus enim Domini, & Sangvis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indigne, judicium sibi manducat, & bibit.* Ex Augustino itaque idem Christi Corpus & sangvinem accipiunt indigni, quod & digni, malum tantummodo in eo dicit eſse, quod a malis male, â bonis bene accipiatur. Hæc autem de sola spirituali Corporis Christi manducatione, ac sangvinis ipsius nonnisi per fidem sumptione, dici nequeunt, per fidem siquidem apprehendere Corpus & Sangvinem Christi, malum non est. Libro etiam 2do contra Adversarium Legis & Prophetarum statuit adhærendum eſse verbis Scripturæ simpliciter acceptis etiam tunc, cum durum aliquid exprimere videntur, in cujus regulæ confirmationem exemplum profert Eucharistiæ, & ait: *Sicut mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum Jesum carnem ſuam nobis manducandam, sangvinemque suum bibendum dantem, fideli corde, atque ore suscipimus, cum horribilius videatur humanam Carnem manducare, quam perimere, & humanum sangvinem potare, quam fundere.* Certe decretorium est hoc Augustini testimonium, loquitur quippe Augustinus de Eucharistia, quam credere tenemur, quamtumvis ratio humana, sensusque corporei obluctare videantur. Porro si in Eucharistia solus eſset panis ac vinum, tamquam figura corporis & sangvinis Christi, ratio & sensus, Eucharistiæ minime repugnarent. Sed tamen eidem repugnare videntur, aliud ergo est in Eucharistia præter panem & vinum, scilicet ſub speciebus eorum, verum Corpus, & sangvis Christi. Præterea Augustinus eo loci eam Corporis & Sangvinis adducit manducationem ac sumptionem, quæ per se apta

est

est horrorem magis excitare, quam carnem perimere, aut sangvinem fundere. Manducatio autem Carnis Christi per fidem, atque spiritualis nonnisi sumptio ipsius sangvinis, horrorem nullum excitare potest, aliam ergo Augustinus in Sacramento Eucharistiæ intellexit Corporis Christi manducationem, & sangvinis ipsius ſumptionem, realem nimirum, verum ac substantialem, quæ si sic fierent, quomodo fieri Capharnaitæ arbitrati ſunt, horrorem certe, abominationemque excitarent, dicendumque cum ipsis eſset: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire* Joan: 6to. Sed aliter id præstat Christus, modo scilicet ineffabili ac prodigioso, qua propter nec horror, nec abominatio excitatur, licetsi vere ac realiter Corpus, ac Sangvis Christi sumatur. Denique Augustinus Concione I. in Psal: 33. verba illa Davidis juxta versionem 70. Interpraetum legens: *Et ferebatur in manibus suis*: in Christo Eucharistiam instituente ad litteram impleta fuiſse docet: *Hoc vero fratres quomodo fieri poſset in homine, quis intelligat? quis enim portatur in manibus suis. Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram, non intelligimus, in Christo autem invenimus, ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum, ferebat enim illud in manibus ſuis.* Unde sic argumentari licet. Christus Eucharistiam instituens in manibus suis proprium ferebat corpus suum, & hoc modo se ipsum manibus suis portabat. Verum ergo, ac reale corpus ſuum, & effecit dicens: *Hoc est corpus meum*: & manibus suis illud portavit, alioqui si figuram nonnisi corporis ſui effecerat, figuram nonnisi Corporis ſui portavit, non seipsum manibus suis portavit, neque in hoc quidpiam admirandum eſset: homo enim quilibet imaginem suam manibus suis facile portare potest. Cum autem Augustinus loquatur de re mirabili, inusitata, & quam nemo hominum exequi potest, igitur secundum mentem ipsius Christus & effecit verum ac reale corpus ſuum dicens: *Hoc est corpus meum*: & hoc idem verum ac reale corpus suum, manibus suis portavit, seque ipsum manibus suis gerebat.

Obijcies: Tertullianus libro 1. cap: 14. contra Marcionem docet, Christum Eucharistiam instituendo, nonnisi figuram corporis sui constituiſse, sic enim habet: *Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit. Hoc est corpus meum dicendo, idest figura corporis mei.*

mei. Figura autem non fuiſset, nisi veritatis eſset corpus. S. Augustinus etiam Tract: 25. in Joannem, explicans illa verba Christi: *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam:* docet, credere in Christum, hoc est manducare cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam, statimque subjungit: *Ut quid ergo pares dentes, & ventrem. Crede & manducasti:* & Tract: 26. ad hæc verba: *Hic est panis de cœlo descendens:* sic inquit: *Quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum, qui manducat intus, non foris, qui manducat in corde, non premit dente.* Tertullianus itaque panem, quem Christus corpus suum esse dixit, docet nonnisi figuram fuisse corporis ejus. Non ergo fuit, neque modo est verum corpus ipsius. Augustinus etiam affirmat, cibum illum quem Christus Joannis cap: 6to daturum se promiserat, credendo manducari oportere, neque ad id dentem eſse neceſsarium, sed fidem sufficere.

Resp: Tertullianus ut errorem Marcionis retunderet, qui affirmabat Christum contrarium fuiſse Auctori veteris Testamenti, id falsum eſse ex eo ostendit, quod omnes veteris Testamenti figuras impleverit, si autem illius Auctori contrarius fuiſset, hoc minime præstitiſset. Porro veterum figurarum fuiſse etiam panem & vinum probat, panem videlicet figuram Corporis Christi, & vinum figuram sangvinis ipsius, easque completas eſse docet, dum panem in Corpus suum, & vinum in sangvinem converterat. Quando ergo Tertullianus panem vocat figuram Corporis Christi, non id affirmat pro præsenti, quasi modo panis sit figura Corporis Christi, sed quod olim figura fuerit Corporis Christi, nunc autem ipsum corpus ejus. Unde concludit, *Figura autem non fuiſset, nisi veritatis corpus eſset:* quia scilicet figuræ figuratum respondere debet, si igitur panis in veteri Testamento fuit figura Corporis Christi, nunc ipsum corpus illius eſse debet, alias figura non eſset, cum figuratum non haberet. Et certe ante laudata in obiectione verba sic Tertullianus Marcionem perstringens ait: *Non intelligens veterem fuiſse istam figuram Corporis Christi dicentis per Jeremiam: Venite conijciamus lignum in panem ejus. Itaque quod tunc voluerit significare panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem.* Quod vero de pane Tertullianus aſseruit, id clarius adhuc de vino ibidem affirmat, quo Sangvinem Christi præfiguratum fuiſse ſcribit, illa Genesis cap: 49. adducens verba: *lavabit*

in

in vino Stolam , & in sangvine uvæ amictum ſuum , quibus recitatis , sic ille inquit: *Stolam & amictum Carnem demonstrans & vinum sangvinem, ita & nunc Sangvinem suum in vino consecravit , qui tunc vinum in Sangvine figuravit.* Ita ergo Tertullianus figuram Corporis Christi dixit fuiſse panem, quo vinum figuram Sangvinis ipsius nuncupavit. Porro vinum in veteri solum lege, sangvinis Christi figuram fuiſse aſserit, nunc vero in vino sangvinem ſuum Christum conſecraſse , affirmat. Ergo & panem olim quidem figuram Corporis Christi fuiſse docet , nunc autem verum & reale corpus ipsius eſse affirmat.

Quod vero attinet S. Augustinum , is sicuti & omnes Catholici ipsius doctrinæ insistendo , duplicem manducationem Corporis Christi , ac sumptionem Sangvinis ejus secernunt , aliam quæ fit foris tantum & non intus , dum dente solum præmitur visibile Sacramentum, non corde manducatur , sine præviis nimirum Spiritus dispositionibus, quarum prima est fides de corde puro , & conscientia non ficta , & qui sic foris tantum sumunt , & dente præmunt Corpus & Sangvinem Christi , indigne illud manducant & bibunt, attamen vere & realiter sumunt Corpus , & Sangvinem Christi , licet non ſpiritualiter , quia sine ullo spiritus fructu. Unde ibidem hæc ſubiungit Augustinus: *Qui non manet in Christo , & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter Carnem ejus , licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis , & Sangvinis Christi.* Alteram spiritualiter exercitam, dum non solum carnaliter, & visibiliter accipitur visibile Sacramentum Corporis , & Sangvinis Christi , sed etiam Corpus , & Sangvis Christi in corde , ac intus manducatur, ac sumitur , fide nimirum non ficta , & charitate ferventi, atque tunc etiam virtus Sacramenti percipitur , & taliter manducare, juxta Augustinum est manducare cibum , qui non perit , sed permanet in vitam æternam , & ad talem fructuosam ac ſpiritualem manducationem non oportet parare dentem, aut ventrem , sufficit credere , fide viva , quæ per charitatem omnia operatur, & iam fructuosa erit manducatio Corporis & sumptio Sangvinis Christi , sine his licetsi quis carnaliter, ac visibiliter dentibus premat, Corpus , & Sangvinem Christi , nihil ei proderit , quia spiritualiter illud non manducat, neque bibit. Utraque igitur sumptio Corporis & Sangvinis Christi , & ea quæ foris fit , & dente

visi

visibile premit Sacramentum, & illa quæ intus, & corde fit, qua etiam virtus Sacramenti percipitur, realem præsentiam Corporis, & sangvinis Christi non excludunt, sed eam supponunt & probant.

Quæres 8vo: Quod præterea afferi potest argumentum pro reali præsentia Corporis & Sangvinis Christi in Sacramento Eucharistiæ comprobanda?

Resp: Consensus omnium Ecclesiarum validissimum præstat argumentum pro reali præsentia Corporis, & Sangvinis Christi in Eucharistiæ Sacramento comprobanda. Enimvero quod attinet Ecclesiam Latinam, cum Berengerius Anno 1647 suum errorem spargere cæpisset, negans realem præsentiam Corporis, & Sangvinis Christi in Sacramento Eucharistiæ, à quam plurimis Conciliis ad minus quindecim, adhuc vivens damnatus est, atque contra eum ubique reclamatum est, ipsius errorem, Abbates, Monachi, Doctores, Episcopi, & Romani Pontifices scriptis impugnarant, ac tandem post multa Concilia, maxime Constantiense, Florentinum, Synodus Tridentina Sesſ: 15. Can: 1. hoc fidei dogma decrevit, cui omnes Ecclesiæ Orientales assentiuntur. Et id constat imo: ex responso Hieremie Patriarchæ Constantinopolitani ad Rubigenses Theologos, Anno 1574. dato, ubi hæc expresse habentur. *Statuit catholica Ecclesia mutari consecratione facta, panem quidem in ipsum Corpus Christi, vinum vero in ipsum sangvinem ejus.* 2do: ex Concilio Constantinopolitano Anno 1638. celebrato, cui interfuerunt Patriarchæ, Cyrillus Constant: Alexandrinus, Hierosolymitanus, cum viginti tribus Episcopis Orientalibus, qui omnes dixerunt: *anathema Cyrillo Lucari docenti panem & vinum, per Sacerdotis benedictionem, & adventum Spiritus Sancti in verum corpus, & sangvinem Jesu Christi non converti.* Quod autem de Græcis modo dictum est, idem dicendum de Armenis, Nestorianis, Jacobitis, Cophtis, qui omnes credunt, panis, & vini substantiam, per consecrationem Sacerdotis verti in corpus & sangvinem Christi.

Quæres 9no: Qua ratione Christi Corpus, & Sangvis realiter est præsens in Eucharistiæ Sacramento?

Resp: Triplici modo posset Corpus esse realiter præsens in Sacramento Eucharistiæ, impanatione, consubstantiatione, & transsubstantiatione. *Impanatio* esset, si Christus in Sacramento Eucharistiæ panem assumeret in hypostaticam unionem, eo modo quo in Mysterio Incarna-

carnationis verbum Divinum, in hypostaticam unionem humanam aſsumpserat naturam, & hoc si eſset, panis in Eucharistia, diceretur, corpus Christi propter hypostaticam unionem cum Christo. *Consubstantiatio* eſset, si in Eucharistia ſubstantia panis & vini, nonnisi consociaretur ſubstantiæ Corporis & Sangvinis Christi, eique coexisteret. Quare in utroque casu remaneret in Eucharistia panis & vinum, in priori hypostatice Christo uniti, in ſecundo nonnisi ei aſsociati, atque coexistentes. *Transsubstantiatione denique*, cum tota substantia panis & vini convertitur in corpus, & ſangvinem Christi, adeo ut nihil in Sacramento Eucharistiæ remaneat de substantia panis, & vini. *Transubstantiatio* igitur est conversio, seu transmutatio totius substantiæ panis & vini, in substantiam Corporis, & Sangvinis Christi.

Lutherani, qui realem præsentiam Corporis & Sangvinis Christi in Sacramento Eucharistiæ agnoscunt, licetsi ea non gaudeant, quia veros Sacerdotes non habent, qui poſsunt Corpus, & ſangvinem Christi conficere, impanatione, aut consubstantiatione corpus Christi in Eucharistia realiter præsens eſse agnoscunt. Catholici omnes transsubstantiatione præsens illud eſse confitentur, atque hoc fidei catholicæ dogma, ultimo in Concilio Tridentino Seſs: 13. Can: 4. definitum est his verbis: *Si quis dixerit, in Sacramento Eucharistiæ, remanere substantiam panis & vini, una cum corpore, & sangvine Domini Nostri Jesu Christi, negaveritque, mirabilem, & singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sangvinem, manentibus duntaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptisime transsubstantiationem appellat, anathema sit.*

Verum quidem est, Transsubstantiationis nomen ante finem dumtaxat ſæculi 12mi primum ab Ecclesiasticis ſcriptoribus usurpari cæpiſse, universaliter deinde receptum est, & tamquam fidei teſsera habitum fuit, maxime contra Lutheranos, loco autem ipsius veteres vocibus æquivalentibus usi ſunt, videlicet: *conversionis, mutationis, transmutationis*, novi namque errores, novis vocibus occasionem sæpe tribuerant, quæ licet neque in ſacris libris, neque apud veteres Patres existant, quantum videlicet ad ſyllabas, ac vocis ſonum, ſed quantum ad rem ipsam, reperiuntur, quemadmodum de voce transsubstantiationis evidentiſsimum est.

Quae-

Quæres nono: Dogma transubstantiationis, quibus evincitur argumentis?

Resp: Dogma transubstantiationis variis comprobatur argumentis. Et quidem *1mo*: ex Sacris Scripturis. Istæ namque Christi propositiones, *Hoc est corpus meum. Hic est sangvis meus*, sunt practicæ, atque efficientes, quia id in rerum natura ponebant, quod designabant, id efficiebant, quod enuntiabant, Porro propositio Christi: *Hoc est Corpus meum*. & hæc alia: *Hic est sangvis meus*, designabant, atque enuntiabant, panem ease Corpus Christi, & Calicem eſse ſangvinem ipsius. Ergo vi, ac efficacia verborum, panem Corpus, & calicem ſangvinem Christi effecerunt; atque constituerunt Non alio autem modo per verba Christi, atque illorum virtute poterat panis effici corpus, & calix ſangvis Christi, nisi transubstantiatione totius naturæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in ſangvinem ipsius. Ergo ex ipsis Christi verbis evidenter, patet in Sacramento Eucharistiæ totam ſubstantiam panis transmutari in corpus, totam ſubstantiam vini in ſangvinem ipsius. Nihil ergo ibi de pane, nihil de vino remanent præter ſensibiles ſpecies eorum. Et certe, veræ ſunt istæ Christi propositiones: *Hoc est corpus meum. Hic est sangvis meus*. Porro veræ eſse nequeunt, nisi tota ſubstantia panis in Corpus, & tota ſubstantia vini in ſangvinem Christi convertantur. Si enim remansiſse ſupponantur, jam *hoc* non est Corpus Christi, sed panis, *hic* non est ſangvis Christi, ſed vinum. Enimvero si ſubiecta propositionum Christi, per pronomina *Hoc*, *Hic*, designata in ſuo eſse permaneant, iam attributa in iisdem propositionibus enuntiata, iis convenire nequeunt, natura siquidem â se invicem discrepant, panis non est Corpus Christi, vinum, non est ſangvis ipsius, ac propterea jam veræ non eſsent illæ Christi propositiones: *Hoc est corpus meum. Hic est sangvis meus*. Sunt tamen reipsa veræ, ac proinde reipsa prædicata eorum ſubiectis ipsarum conveniunt, atque cum ipsis identificantur. Igitur natura ſubiectorum, quæ in Christi propositionibus pronominibus, *Hoc*, *Hic*, designantur, panis ſcilicet, & vinum, immutari, ac transubstantiari omnino debent, panis Corpus Christi, vinum ſangvis ipsius eſse debet. Atque his conformia ſunt testimonia SS. Patrum, qui unanimiter docuerunt in Eucharistia panem ubi ſemel ſanctificatus est, jam non eſse panem, ſed Corpus Christi, post consecrationem nullum ſupereſse panem, ſed solum verum ac natura-

turale Corpus Christi, idem quod ex Maria natum ac passum fuit. Ita SS. Justinus, Jgnatius, & alii. Quare etiam Christus cum dixisset: *Hoc est Corpus meum*, statim subjunxit, *quod pro vobis tradetur*, & cum dixisset: *Hic est sanguis meus*: addidit, *qui pro vobis funditur.* Porro si Christus accepto pane, ac calice eo nonnisi sensu dixisset illa esse corpus, ac sangvinem suum, vel quia ipsis hypostatice unitus esset; vel quoquomodo illis conjunctus, hæc superaddi à Christo non potuissent, non enim Christus panem, aut vinum hypostatica sibi unita, aut quoquomodo consociata in mortem tradidit, in sua passione effudit, sed ipsum suum verum ac reale corpus, ac sangvinem, quæ ex Virgine Maria sumpserat & per triginta annos vitæ suæ aluerat. Si ergo & literalis, ac obvius verborum Christi spectatur sensus, & communis SS Patrum opinio, palam fit, Christum cum dixit: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus* verum, reale, ac naturale corpus, ac sangvinem suum indigitasse, illaque verbo virtutis suæ ex pane & vino effecisse, totam substantiam vini in sangvinem suum transsubstantiasse.

2*do*: Idem dogma transubstantiationis testimoniis Patrum corroboratur. S. Gregorius Nysenus Orat: Catech: cap: 57. sic inquit. *Panis statim per verbum transmutatus sicut dictum est à Verbo. Hoc est corpus meum.* Eusebius Emissenus Homil: 5. de Paschate sic ait: *Antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis, & vini, post verba autem Christi, Corpus est, & Sanguis Christi.* Idem docent & antiquiores SS. Patres. Cyrillus Hierosoli: Cath: 4: sic ait: *Aquam aliquando mutavit in vinum, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sangvinem suum transmutavit*, & Ambrosius libro de initiandis cap: 9. inquit. *Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de Cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum, & qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare, quod non erant.* Ex his itaque SS. Patrum testimoniis luculenter apparet, in Eucharistiæ Sacramento post consecrationem non remanere substantiam panis, & vini, sed panem, & vinum mutari, converti, transmutari, transire, fieri corpus, & sangvinem Christi, quæ omnia transubstantiationem exprimunt, atque significant. His addi debent antiquissimæ utriusque Ecclesiæ tum Grecæ, tum Latinæ Liturgiæ, in quibus Sacerdos orat Deum, ut Sancta illa oblata dona, panem, vinumque, Corpus suum ac

san-

ſangvinem efficiat. Tandem Concilium Lateranense Anno 1215. sub Innocentio III. celebratum ita constituit. *Credimus ac confitemur Corpus & Sangvinem Christi, sub speciebus panis & vini, veraciter contineri, transubstantiatis pane in Corpus, & vino in sangvinem potestate Divina.* Concilium etiam Florentinum, seu potius Eugenius 4tus in instructione Armenorum hæc habet: *Christi virtute substantia panis in Corpus Christi, & ſubstantia vini in Sangvinem convertuntur.*

Objicies 1mo: Scribit Hesychius, quod juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, cremari consveverit, si quid post administratam Eucharistiam superfuiſset. Posita autem transubstantiatione panis in corpus Christi, hoc facere eſset ingens scelus. Sed etiam ex dogmate transubstantiationis sequitur, corpus Christi ex pane quotidie per consecrationem generari ac proinde corpus Christi in Eucharistia non illud eſse, quod natum est ex Virgine Maria, atque in cruce paſsum fuit. Corpus enim quod cruci affixum est, ex ſubstantia Virginis, non ex pane factum fuit. Porro hæc totidem absurda ſunt. Non igitur admittenda est transubstantiatio. *2do:* Theodoretus in Dial. 2. de Symbolis Eucharisticis scribit, quod *post sanctificationem non recedant a ſua natura, manent enim in priori ſubstantia & figura, & forma, & videri tangique poſsunt. 3tio:* Propositio hæc: *Verbum caro factum est:* duplicem in Christo naturam non destruit, ſed ſupponit. Ergo & hæc pariter propositio: *Hoc est corpus meum:* non destruit ſubstantiam panis, ac proinde de coexistentia panis simul & corporis Christi commode poterit explicari. Pariter dum Joan: cap: 6. Christus ait: *Ego ſum panis:* non ſequitur ſe convertiſse in panem. Ergo etiam dum dicit: *Hoc est corpus meum:* non ſequitur panem in corpus ſuum transmutasse.

Resp: ad 1mum: Hesychius non dicit reliquias Eucharisticas ſemper comburi ſolitas eſse, ſed tunc ſolum, quando ob diuturnitatem corruptæ jam erant, tamque fædam præbebant ſpeciem, ut sine horrore, & repugnantia ſumi amplius non poſsent. In eo autem statu dum species Eucharisticæ constituuntur, recte præsumitur corpus Christi non amplius adeſse, prudenterque tunc comburebantur. Ad illa autem quæ adjecta sunt, facilis est responsio, scilicet, per consecrationem fit corpus Christi in Eucharistia præsens, ſed non generatur. Generatio enim fit ex materia quæ intrinsece componit id, quod ex ipsa genitum

est

est, Porro Christi corpus non coalescit ex pane, non ergo dici potest, quod ex pane generatur. Unde corpus Christi, quod est in Eucharistia, non est panaceum, quia non est ex pane tamquam materia illud componente, sed eo sensu dicitur ex pane fieri, quia ubi vi consecrationis desinit esse panis, incipit esse corpus Christi, idem quod ex Virgine Maria natum, & cruci affixum fuit.

Ad 2dum: Theodoretus naturam & substantiam sumit pro congerie visibilium specierum, quæ certe post sanctificationem in priori manent forma, & figura, quare videri ac tangi possunt eo modo ac prius, panem autem ipsum transubstantiari ibidem aperte docet, cum de iisdem Eucharisticis Symbolis hæc scribit: *Alia quidem sunt ante Sacerdotis invocationem, post vero invocationem mutantur, & alia fiunt.* Igitur juxta Theodoretum Symbola Eucharistica quoad species visibiles, exteriorem formam, & figuram per consecrationem non mutantur, priorem habent formam, figuram, & circumscriptionem, sed quoad interiorem naturam, substantiam immutantur, quia alia fiunt.

Ad 3tium: Istiusmodi comparatio vim haberet, si comparatæ propositiones eodem modo prolatæ fuissent. Porro diverso modo prolatæ sunt. Namque propositiones illæ: *Verbum caro factum est: Ego sum panis vivus:* proferuntur nonnisi enuntiative, res ut sunt designant, illæ non efficiunt, non mutant, unde ex illis transmutatio subjecti propositionis in prædicatum erui nequit, ut scilicet Verbum divinum in Carnem, aut Christus in panem transmutatus fuisse censeatur, quod & ex adjunctis illarum propositionum evidentissime patet. Dum enim dixisset Evangelista: *Verbum caro factum est:* statim subjunxit, & *habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre:* quæ cum ad Verbum Divinum referantur, manifestum est, illud non in carnem fuisse transmutatum, sed carnem tantummodo assumpsisse. Pariter cum dixerat Christus Joan: cap: 6. *Ego sum panis vivus:* statim addidit, *qui de Cælo descendi:* quæ ipsius divinam spectant personam, unde ex tali enuntiatione nemo colligere potest, Christum in panem transmutatum fuisse. Sed illæ propositiones Christi: *Hoc est corpus meum, Hic est sangvis meus:* sunt efficientes, quod enuntiant efficiunt, ac proinde res immutant. Dum igitur ex earum sensu naturali, ac obvio transmutatio panis in corpus Christi, calicis in sangvinem ipsius significetur, ac denotetur, nullumque adsit adjunctum, & additum quod hanc significationem

tionem; enuntiationemque destruat, aut eidem adversetur, merito ex illis inferimus, panem in corpus, vinum in Sangvinem Christi vi ipsarum propositionum transmutari atque transubstantiari.

Quæres xxmo: Ad pleniorem intelligentiam Dogmatis nostri de reali Corporis, & Sangvinis Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentia, quæ scienda, atque tenenda sunt?

Resp: Sequentia. *1mo:* Panis & vini substantiam in Eucharistiæ Sacramento, dum per verba Sacerdotis consecrantur, non annihilari sed converti, transmutari. Vere enim, & totalis fit panis, & vini conversio, ac transmutatio in corpus & sangvinem Christi. Jam vero id quod annihilatur, non transit, non convertitur, neque transmutatur, in aliud. Dici igitur nequit, panem & vinum, dum per verba Sacerdotis consecrantur, annihilari, sed vere in Corpus & Sangvinem Christi convertuntur, & hæc est mirabilis illa transubstantiatio, quam confitemur, unde 2do: corpus & sangvinem Christi, facta panis, & vini transubstantiatione, in Eucharistia poni ac sisti per reproductionem quæ fit ex pane, & vino, dum in corpus & sangvinem ipsius convertuntur. Enim vero SS. Patres unanimi sensu docent Corpus Christi ad dexteram Patris in Cælo sedentis per consecrationem ex pane fieri, creari, produci, quod nihil aliud est, quam corpus Christi reproduci ex pane qui in ipsum convertitur. Et hæc rem arduam explicandi ratio, qualiter scilicet corpus & sangvis Christi in Eucharistia ponantur, atque in Altari sistantur, cum maxime congruat doctrinæ SS. Patrum, tenenda est. Verum satis forte nobis esse debet, firmiter credere in Sacramento Eucharistiæ esse vere, & realiter præsens corpus & sangvinem Christi, totum panem & vinum in corpus, & sangvinem ipsius transubstantiari, ulterius vero, quomodo hæc fiant, inquirere & perdifficile, & supervacaneum esse. Quare merito scripsit. S. Joannes Damascenus libro 4. Orthod: Fidei cap: 13. *Panis ipse, & vinum, in Corpus, & sangvinem Dei transmutantur. Si requiras quonam pacto istud fiat, sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum Sanctum, modus autem investigari prorsus nequit.* 3tio: Totum & integrum Christum sub utraque Sacramenti specie panis videlicet, & vini contineri. Enim vero Joan: cap: 6. dixit Christus: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me:* totum ergo Christum, non partem illius manducamus. Manducamus autem Christum nonnisi sub specie

panis

panis. Ergo sub specie panis totus, ac integer est Christus. Unde Concilium Constantiense Sess: 13. sic inquit: *Firmissime credendum est, integrum Christi corpus & sanguinem, tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri.* Et certe, ut docet Apostolus. Rom: 6. *Christus resurgens à mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Viventem ergo Christum tam sub specie panis, quam sub specie vini sumimus. Vivens autem esse nequit, nisi sub utraque specie totus & integer cum corpore, sangvine, & anima reperiatur. Quare ut docet Concil: Trident: Sess: 13. cap: 3. licetsi Corpus sub specie panis, & sangvis sub specie vini ex vi verborum consecrationis ponatur, ipsum tamen Corpus sub specie vini, & sangvis sub specie panis, animaque sub utraque reperitur & existit, vi nimirum illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, inter se copulantur, divinitas quoque propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri, totus enim & integer Christus sub panis specie totus sub vini specie, cum corpore, sangvine, anima, atque divinitate. Sed non solum totus & integer est Christus sub utraque Sacramenti specie, sed etiam sub qualibet utriusque speciei parte, ante & post divisionem totus, ac integer continetur. Et Concilium Tridentinum Sess: 13. Can: 3. sic definiverat: *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit:* Unde etiam canit Ecclesia: *Fracto demum Sacramento, ne vacilles sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Quod si vere totus, & integer Christus continetur sub qualibet utriusque speciei parte post divisionem, id etiam esse debet ante divisionem, quia sola specierum divisio nihil in Sacramento efficit, sola igitur divisione fieri nequit, ut totus & integer sit Christus sub qualibet utriusque speciei parte. Si ergo totus & integer est sub qualibet parte post speciei divisionem, est etiam totus ac integer in qualibet parte ante divisionem.

Quæres 12mo: Utrum *Corpus & Sangvis Christi sit præsens in Eucharistia etiam extra illius sumptionem?*

Resp: Melanchthon præcipuus Lutheri asecla, excogitavit, Christi corpus, & sangvinem non esse realiter præsentia in Eucharistia extra usum, atque Sacramentum

hoc

hoc consistere in actione tantummodo transeunte, in sola scilicet panis & vini sumptione. Quem errorem omnes amplexi sunt Lutherani, illum tamen damnavit Concilium Tridentinum Sess: 13. Can: 4. *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & sangvinem Domini Nostri Jesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante, vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit.* Justissimam hanc fuisse damnationem, vel inde manifeste patet, quod cum Christus dixerit: *Hoc est corpus meum. Hic est Sangvis meus,* illico præsens fuit Corpus & Sangvis Christi, quia illæ propositiones statim ac prolatæ sunt, veræ erant, veræ autem non essent, si cum enuntiarent Corpus & Sangvinem Christi esse præsens, præsens non foret. Jam vero antequam Christus Discipulis distribueret, panem, & vinum, jam dixerat: *Hoc est corpus meum. Hic est Sangvis meus.* Igitur ante distributionem, ante usum, erat verum Corpus & sangvis Christi. Porro si vel per duo minuta stetit corpus, & sangvis Christi, antequam illud Apostoli manducassent, ac bibissent, cur non potest stare per plura, & hoc sufficit, ut credamus, & prolatis verbis consecrationis illico præsens fieri Corpus & Sangvinem Christi, & extra usum præsentia permanere. Rem clare affirmat S. Gregorius Nyssenus in Oratione Catechetica cap: 37. ubi sic inquit: *Hic panis sanctificatur per verbum Dei, & orationem, non quidem per manducationem, & potationem migrans in corpus Verbi sed statim in Corpus Verbi per verbum transmutatur sicut dictum est à verbo, Hoc est corpus meum.* Et vero à primis statim sæculis Ecclesia credidit Corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ extra usum esse, & permanere realiter præsens. Namque 1. teste Justino in Apolog: 2. post Liturgiam, Diaconi ad absentes Eucharistiam deferebant. 2. Moris olim fuit, ut magnarum Sedium Episcopi alii ad alios in signum communionis, Eucharistiam mitterent, ut eam ad Asiaticos Anicetus Papa teste Irenæo Epist: ad Victorem data, Polycarpo transmisit. 3 In usu quoque fuit, ut imminente à Tyrannis, morte sacrum illud munimen Fidelibus non deesset, ipsi Sacram Eucharistiam domum asportarent, & privatim instante agone sumerent. Unde Origines Homil: 113. in Exodum sic monet: *Nostis qui divinis Mysteriis interesse consvevistis, quomodo cum suscipitis Corpus Domini*

cum omni cautela, & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat. Reos enim vos creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat: & S. Cyprianus Serm: de lapsis refert: *Mulier quædam cum arcam ſuam in qua Sanctum Domini fuerat, indignis manibus tentaſset aperire, igne inde ſurgente deterrita est. 4to*: Tandem Orientales Eucharistiam Quadragesimæ tempore à Dominica in singulos Hebdomadæ dies usque ad Sabbatum conservabant, ut ex præſanctificatis communio fieret, quod & apud Latinos fit feria 6ta majoris hebdomadæ. Hæc autem omnia probant Eucharistiam pro re permanenti creditam & habitam fuiſse, ac proinde Corpus Christi in Eucharistia extra illius uſum, realiter præsens eſse.

Quæres 13tio: Estne igitur Christus in Eucharistia adorandus?

Resp: Cum Christus sit in Eucharistia realiter & permanenter præsens, apertiſsimum est, ipsum adorandum eſse. Namque ubique Christus adorandus est, quia ut inquit Apostolus: *in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Porro in Eucharistia totus Christus vere, & ſubstantialiter continetur. Est igitur adorandus, & quidem cultu latriæ, qualis Deo debetur. Sed & præclariſsimi Ecclesiæ Patres veritatis hujus testes ſunt diſertiſsimi. Ambrosius libro 3. de Spiritu Sancto cap: 11. sic inquit: *Caro Christi quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu adoraverunt*. S. Augustinus in ea verba Psal: 98. *adorate scabellum pedum ejus*: id in Christo impletum eſse affirmat, unde sic ait: *ſuscepit de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit, et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipſam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est, quomodo adoretur tale ſcabellum Domini, et non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando*. Nihil hoc clarius dici poterat. Theodoretus etiam Dial: 11. contra Eranistam hæc habet de Sacris Eucharistiæ Symbolis scribens. *Intelliguntur autem eſse quæ facta ſunt, & creduntur, et adorantur, utpote quæ illa ſunt, quæ credantur*. Tandem S. Joannes Chrysost: Homil: 24. in Epist: 1. ad Corinth: sic inquit: *Hoc corpus etiam jacens in præsepio reveriti ſunt Magi, et eum multo metu ac tremore adoraverunt, Tu non in præsepi vides, ſed in Altari. Nos ergo illi longe majorem quam illi barbari ostendamus reverentiam*. Merito itaque Concilium Trident: Seſs: 13. cap: 5.

5. ait: *Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctissimo Sacramento in venerationem exhibeant.* Et statim hujus congruentissimam adijcit rationem: *Nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur.*

Et certe cultus quem Ecclesia catholica Christo in Eucharistiæ Sacramento exhibet, nihil non habet pii & laudabilis. Cultus siquidem ille importat interiorem reverentiam, & ritus exteriores quibus illa declaratur. Sed neutro ex capite iste cultus est redarguendus, sed magis laudandus, quia ut ait Concil: Trident: Sess: 13. cap. 5. *Æquissimum est, Sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari, ac rara quadam significatione gratos & memores testentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili, & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræsentatur:* hoc scilicet venerabile Sacramentum, in processionibus reverenter, & honorifice per vias, & loca publica circumferendo Sane si Deo acceptum erat, Arcam fœderis solemniter circumferri, ut habemus 2. Regum cap: 6. quomodo non erit ei acceptum, circumgestari hoc Sacramentum, in quo ipse vere, realiter, & substantialiter manet.

Sed & exteriores alii ritus, quibus ab Ecclesia Catholica Christo in Sacramento Eucharistiæ exhibetur cultus, laudabiles, ac venerandi sunt, consistunt enim illi in eo quod thure & luminibus honoretur, quod coram eo fideles procumbant. Verum nihil hic redargui potest. Enimvero coram vivente Christo in genua procumbebant, incensi benedicendi formam exhibent veteres Liturgiæ SS. Basilii, & Chrysostomi, idem habet Missale Nestorianorum, ubi *Sacerdos adorat, & thure honorat mysteria:* in Occidentali quoque Ecclesia thuris usus fuit, ut constat ex S. Ambrosio, qui scribens in Caput 1. Lucæ sic inquit: *Utinam nobis adolentibus Altaria, assistat Angelus.* De luminaribus etiam non est ambigendi locus, quorum usus in Sacris peragendis mysteriis ab Apostolis cæpit, & semper in Ecclesia Catholica viguit. Merito itaque Concilium Trident: Sess: 13. Can: 6. sic decrevit: *Si quis dixerit, in*

Sancto Eucharistiæ Sacramento, Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem, & universalem Ecclesiæ Sanctæ ritum, & consuetudinem solemniter circumferendum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.

Dices: Mos hostiam & calicem elevandi ut à populo adoretur, nonnisi post exortam Berengarii hæresim introducta fuit, ante hæc tempora Eucharistia nunquam adorata fuit, atque adorationem ipsius Honorius 3. primo instituit.

Resp: Morem adorandi Eucharistiam, longe ante tempora Berengarii in Ecclesia viguisse, quandoquidem in Ordine Romano primo, qui annum Christi octingentesimum præcedit, legimus: *inclinato capite Pontifex, vel diaconus salutat Sancta*, & in altero Ordine Romano hæc habentur, *& pertransit Pontifex, & adorat Sancta*, quod diserte quoque Scribit Amalarius. Et hoc etiam de Græcis constat. Nam in Liturgia quæ dicitur esse S. Joannis Chrysostomi, hujus adorationis clarissima sunt documenta. Honorius autem 3. non instituit adorationem Sacrosanctæ Eucharistiæ, sed solum monuit Episcopos ut operam darent, ne tantum Sacramentum debito honore privaretur, unde & subjungit plebem, frequenter docendam esse, ut dum in celebratione Missarum elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinat, quod novum non erat, siquidem in Liturgia Maronitarum clamat Diaconus post Orationem Dominicam: *Inclinate capita vestra coram corpore, & sanguine Servatoris nostri*. Male igitur Hæretici Eucharistiæ adorationem sustulerant.

Quæres 24to: Quando Christus Sacramentum Eucharistiæ instituit?

Resp: Indubitatum est, Christum, pridie Passionis suæ, Sacramentum Eucharistiæ instituisse. Id tres SS. Evangelistæ, Mathæus, Marcus, Lucas, unanimiter testantur, quorum testimonia collegit, & repetit Paulus Apostolus, in Epistola 1. ad Corinth: cap: 11. reique gestæ seriem sic describit. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.*

Si-

Similiter & calicem postquam cœnavit dicens, hic calix novum testamentum est in meo ſangvine, hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. In hujus autem Sacramenti institutione maximum, ac ineffabilem, quo erga homines flagrabat, amorem ostendere voluit, ut enim Joannes Evangelista dicit cap: 13. *Cum dilexiſset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Atque beneficentiam, ac caritatem suam pene exhausit, cum semetipsum in cibum, potumque fidelibus suis, relinquere voluit. Sed eum quoque sibi proposuit finem, ut dum aut conficitur, aut sumitur hoc Sacramentum, paſsionem mortemque ipsius recolamus, ac in memoriam revocemus, cui sponte sese obtulit, ut nos Deo Patri reconciliaret.

Quæres 25to: Utrum Christus Sacramentum Eucharistiæ instituendo, legalem Agni Paschalis Cœnam manducaverit?

Resp: Duplex ea de re est sententia. Namque alii tenent Christum pridie mortis suæ Pascha Moysaicum non manducaſse, sed eo die fuiſse Crucifixum, quo Judæi secundum legem Moysis Agnum Paschalem manducare debebant. Sed alii multo plures docent, Christum pridie mortis suæ Pascha lege Moysis præscriptum, cum Discipulis suis celebraſse, & tunc Sacramentum Eucharistiæ instituiſse. Quod ex concordi trium Evangelistarum relatione, aſsertioneque evincitur. Namque Mathæus cap: 26. sic inquit. *Prima die azymorum* Lucas cap: 22. *in qua neceſse erat occidi Pascha.* Math: *acceſserunt Discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha, at Jesus dixit: Ite in Civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit. Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis. Et fecerunt Discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha.* Marcus cap: 14. *Vespere autem facto, venit cum duodecim & discumbentibus, & manducantibus, ait Jesus* Lucæ cap: 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Ex hoc enim non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei.* Ex quibus sic licet argumentari. Illud pascha manducavit Christus, quod primo die azymorum ſecundum legem Moysis immolari neceſse erat, cujus manducationem ipse ſumme desideravit, quia hanc proxime mors illius, quam etiam ardenter exoptaverat, ſecutura erat, ut ipse dixerat Lucæ 12. *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur*

tur. Porro hæc indicant Pascha legale. Ergo illud Christus reipsa pridie mortis suæ cum Discipulis suis manducavit. Certe, *primo die azymorum*, ut inquit Mathæus, *primo die Azymorum, quando Pascha immolabant*, ut habet Marcus, cum *venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*, ut ait Lucas, Christus pridie mortis suæ vespere facto cum Discipulis suis manducavit. Illud autem aliud non erat, nisi legale à Moyse præscriptum. Ergo illud manducavit.

Et vere universa Ecclesia, ac omnes SS. Patres unanimi consensu semper tenuerunt, Christum pridie mortis suæ legale Pascha cum Discipulis suis manducasse, qua de re scripserunt Ambrosius, Chrysostomus, Dionysius exiguus, Theophilus Alexandrinus, Cyrillus item Alexandrinus, & alii. Unde Concilium Tridentinum Sess: 22. cap: 1. hoc veluti indubitatum habet, quod scilicet Christus, *Celebrato veteri Paschate, quod in memoriam exitus de Ægipto multitudo filiorum Israel immollabat, novum instituit Pascha*. Quare etiam in officio Corporis Christi sic canit Ecclesia.

Noctis recolitur Cœna novissima:
Qua Christus creditur Agnum & azyma.
Dedisse fratribus juxta legitima.
Priscis indulta Patribus.

Jam vero in re tam gravi à communi Ecclesiæ & SS. Patrum sensu recedere, durum, & periculosum est. Certe cum Marcion Hæreticus quarto Ecclesiæ sæculo negasset Christum pridie mortis suæ legale Pascha manducasse, dure à SS. Patribus exagitatus est.

Obiicies 1mo: Christus ultimam Cænam suam manducavit die ante festum azymorum, sic enim scribit Joannes Evangelista cap: 13. *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus*: Unde etiam cum dixisset Judæ, *quod facis, fac cito*, putarunt plurimi, *quod dixisset ei: eme ea quæ opus sunt nobis ad festum diem. Erat autem nox*. Hæc igitur dies, qua ista locutus est Jesus, non fuit prima dies Paschæ, quia illa die licebat emere, ad diem festum necessaria præparabantur, licebat quoque arma ferre, ut liquet ex facto Petri qui eximens gladium amputavit auriculam Servi Principis Sacerdotum, licebat quoque mortuos sepelire, cum Christum mortuum sepelierint. Nihil autem horum licebat festis diebus. 2do: cap: 18. de Judæis

dicitur

dicit: *Erat autem mane, & ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, die ergo, qua Judæi Pilato obtulerunt Christum, manducare debebant Pascha, pridie igitur neque ipsi, neque Christus illud manducaverunt. *3tio:* Joan: cap: 19. feria 6ta qua Christus affixus est cruci, *erat Parasceve Paschæ*. Non ergo celebratum jam fuit Pascha. *4to*: omnia judicia, maxime vero capitalia festis diebus prohibita erant, non poterat ergo Christus prima die azymorum, omnium maxime sollemni, comprehendi, judicari, condemnari.

Resp: ad 1mum: Judæorum festi dies dupliciter accipiebantur, *legaliter*, ſcilicet ſecundum legis præscriptum, & isti ab occasu solis præcedentis diei incipiebant, & occasu solis ipsius festi desinebant, & *populariter*, nimirum ſecundum communem usum, & sic accepti dies festi à media nocte ad alteram mediam noctem protendebantur, & quidquid præcedente festum die ante mediam noctem factum est, ante festum diem factum eſse reputabatur. Apparens itaque discordantia inter S. Joannem, & alios tres Evangelistas, inde provenit, quod SS. Mathæus, Marcus, & Lucas festum azymorum legaliter ſumunt ab occasu solis illum incipiendo, iam vero S. Joannes festum illum diem populariter accipit, à media scilicet nocte, unde contigit ut quod Joannes, factum eſse dicit ante diem festum azymorum, Christum scilicet ultimam Cænam cum Apostolis manducaſse, id Mathæus, Marcus & Lucas, dicunt factum eſse primo festo die azymorum, quando neceſse erat occidi Pascha, verum istud secundum omnes Evangelistas eodem tempore factum est, scilicet vespere facto, cum nox eſset, cum neceſse erat occidi Pascha, manducavit cum discipulis ſuis Pascha, equidem ante diem festum Paschæ populariter ſumptum, quia ante mediam noctem, sed ipso die festo legaliter accepto, quia post occasum solis. Quia ergo putarunt Apostoli, Christum statim mane ipso festo die populariter accepto illucescente victimas & ſacrificia in Templo oblaturum eſse, ideo arbitrati ſunt eum Judæ demandaſse, ut illa emeret, quibus opus erat ad diem festum. Sed ipsi iam Pascha Christo paraverunt, & vespere facto cum eo juxta præscriptum legis manducaverunt, non ergo ſupponere poterant, Judæ demandatum fuiſse ut ea, quæ ad Pascha celebrandum, manducandumque Agnum Paschalem neceſsaria erant, emeret, ac provideret.

Sed notum quoque est festis Judæorum diebus, præter

ter Sabbatum, licuiſse facere & parare ac emere ea, quæ ad victum pertinebant. Hæc si quoad usus profanos licita erant, magis permiſsa erant, quoad usus Sacros, ad victimas, holocausta, atque ſacrificia offerenda. Sed & illa, quæ ad pietatis operà pertinebant, festis diebus Judæis non erant prohibita, unde die festo Joseph ab Arimathæa mercatus est sindonem, Marci cap: 15. ut involveret corpus Christi, & eodem etiam tempore, ut narrat Lucas cap: 23. mulieres paraverunt aromata, & ungventa; Tobias quoque, ut habetur cap: 1. cum eſset dies festus Domini, corpus occisi Judæi portavit ad domum suam. Quæcunque ergo ad ſacros usus, ac pietatis pertinebant opera, præter Sabbatum, aliis festis diebus Judæis non erant prohibita. Arma vero ſumpsit Petrus ad defensionem Magistri sui. In hac autem occasione armorum gestatio, & usus, Machabæorum solemni decreto, etiam festis, ac Sabbativis diebus permiſsus fuit.

Ad 2dum: Paschatis nomen triplex in Scripturis Sacris significatum habet. Sumitur enim *1mo:* pro tota paschali sollemnitate, quæ diebus ſeptem extendebatur, sic intelligi debet illud Pilati ad Judæos dictum: Joan: 18. *Est consvetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha, 2do:* pro Agno Paschali, sic Math: cap: 26. dicunt Apostoli Christo: *Ubi vis paremus tibi commedere Pascha,* & Lucæ 22. *Venit dies azymorum, in qua neceſse erat occidi Pascha*, id est agnum Paschalem *3tio:* pro victimis, quæ tota azymorum septimana, atque paschali sollemnitate offerebantur, & quibus etiam Laici dummodo impolluti eſsent, vesci poterant: sic Deuter: cap: 16. *Immolabis phase Domino Deo suo, de ovibus, & bobus.* Has igitur victimas nemo manducare poterat, nisi mundus. Dum itaque dicit Joannes de Judæis quod non introierint in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, victimas intelligit paschales, non vero Agnum Paschalem, quem iam pridie juxta legis præscriptum manducaverunt.

Ad 3tium: Erat parasceve Paschæ, non ipsius primæ Paschatis diei, sed Sabbati paschalis, quod intra hebdomadam Paschatis incidens, & nomen Paschatis sortiebatur, & singulari sollemnitate observabatur, unde Marcus cap: 15. sic habet. *Erat parasceve quod est ante Sabbatum,* hoc est præparatio ad Sabbatum. Sed & ipse Joannes se ipsum explicat cap: 19. dicens: *Judæi ergo, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent corpora in cruce*

ce *Sabbato, erat enim magnus dies ille Sabbati.* Certe ipse primus dies Paschatis parasceve non habuit, sed tantum dies Sabbati. Parasceve enim erat præparatio ciborum quos die ſequenti parare, & coquere illicitum erat, nusquam vero illicitum fuit cibos parare ipso die Paschatis, sed tantum die Sabbati. Parasceve igitur de quo loquitur S. Joannes erat nonnisi Sabbati paschalis, non vero primæ Paschatis diei.

Ad 4tum: Non est mirum Judæos omnia legis Moysaicæ præscripta violaſse, qui omnes æquitatis leges transgreſsi sunt, dum innocentiſsimum Salvatorem, reum eſse mortis proclamarunt, & per invidiam Pilato, ut crucifigeretur, tradiderunt.

ARTICULUS 2dus

De materia & forma Sacramenti Eucharistiæ.

Quæres 1mo. Quæ sit Eucharistiæ materia?

Resp: Eucharistiæ materia ex qua conficitur Corpus Christi est panis, & quidem neceſsario triticeus. Enim vero, ut scribit S. Mathæus cap: 26. *Accepit Jesus panem, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, & ait. Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum.* Christus ergo ex pane Corpus suum effecit, idemque facere Apostolis præcepit, dicens Lucæ cap: 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Igitur materia ex qua confici debeat Corpus Christi est panis. Porro panis communis & usitatus, panis pure & simpliciter dictus, ex communi & universali omnium sensu, est panis triticeus. Unde ex perpetua Ecclesiæ Traditione manifestiſsimum est, ad Eucharistiæ confectionem, ut Corpus Christi fiat, panem triticeum eſse omnino neceſsarium, quod etiam in Concilio Florentino in Decreto unionis definitum est, & Seſs: ult: interrogati hac de re Græci his responderunt verbis: *De pane, sive azymus, sive fermentatus fuerit, Græci non curant, dummodo ex tritico constet.* Et certe quemadmodum aqua simpliciter, & sine addito, est aqua elementaris, ita quoque panis simpliciter & sine addito, est panis triticeus, per se usualis, quamvis per accidens non sit ubique in usu. Sicuti ergo aqua elementaris, quia est pure & simpliciter aqua, est materia Baptismi, quia Christus aquam pro materia ipsius designavit, ita quoque panis triticeus,

us, quia est pure, simpliciter, atque usualis panis, & panem pro materia Eucharistiæ Christus usurpavit, & constituit, panis triticeus est materia Eucharistiæ. Quare cum in Libia triticum non nascatur, Imperatorum munificentia illius Provinciæ Ecclesiis ad conficiendam Eucharistiam triticum subministratum fuiſse constat ex libello Ischyrionis Diaconi, quem Patribus Concilii Chalcedonensis obtulerat.

Quæres 2do: Qualis debet eſse panis ut valide Eucharistia conficiatur, azymus, an fermentatus?

Resp: Valide Eucharistia conficitur sive in pane azymo, sive in fermentato. Enimvero uterque panis, sive azymus sit, sive fermentatus, verus est panis. Porro Eucharistiæ materia est panis verus. Ergo sive azymus sit, sive fermentatus, dummodo triticeus sit, in eo valide Eucharistia confici potest. Et hoc in Concilio Florentino à Græcis, & Latinis unanimi consensu definitum fuit, his verbis. *Definimus in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici.* Et certe à tot ſæculis Ecclesia Græca pane fermentato utitur, Ecclesia vero Latina nunquam hanc ejus consvetudinem reprehenderat. Pariter Ecclesia á temporibus Apostolorum semper pane azymo utebatur, & nunquam à Græcis usque ad Sæculum XI. in hoc reprehensa fuit, utrique ergo Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ persvasum fuit, valide Eucharistiam confici, sive in pane azymo, sive in fermentato.

Hinc sequitur non poſse redargui Ecclesiam Latinam, quod in pane azymo Eucharistiam conficiat. Et certe ille usus improbari nequit, qui ipsius Christi exemplo nititur. Porro usus azymi in conficienda Eucharistia, ipsius Christi exemplo innititur. Manifestiſsimum namque est SS. Mathæo, Marco, & Luca, attestantibus, Christum prima die azymorum Pascha manducaſse, & Eucharistiam instituiſse, ex pane corpus suum effeciſse. Porro tunc non nisi pane azymo Judæi uti poterant, juxta legis præscriptum Exodi cap: 12. & Levitici cap: 23. nullus panis fermentati usus erat. Igitur Christus in azymo pane Eucharistiam instituit, ipse primus ex azymo pane Corpus suum effecit. Mos igitur Ecclesiæ Latinæ Eucharistiam in azymo pane conficientis, cum innitatur exemplo Christi, culpari nullo modo potest, atque hic mos commendandus est magis, quam contrarius, quo enim magis ad Christi imitationem accedimus, eo maiorem commendationem me-

meremur. Jam vero dum in azymo Eucharistiam conficimus, magis ad Christi imitationem accedimus, quam illi, qui eam in fermentato conficiunt. Ergo mos Ecclesiæ Latinæ Eucharistiam in azymo conficientis, magis commendandus est, quam contrarius. Hinc in Concilio sexto generali cum Legati Agatonis Papæ à Constantino Imperatore interrogati fuissent, *qualiter Romana Ecclesia de Sacrificio Corporis & Sangvinis D. N. J. Christi ordinem teneret?* respondissentque: *In calice Domini non debet offerri solum vinum, sed aqua mixtum, oblatio vero, quæ in sacrificium altaris offertur, nullam commixtionem, aut corruptionem fermenti debet habere.* His auditis, *placuit piissimo Principi Constantino hæc traditio Sedis Apostolicæ.*

Objicies 1mo: Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Is autem panem fermentatum obtulit. Ergo & Christus. Sane Salvator veteris legis festa sustulit. Igitur & azyma abolevit. *2do:* Constat Actorum cap: 2. fideles primævos quotidie per domos fregisse panem, hoc est Eucharistiam sumpsisse. Constat præterea Sacerdotes vel conclusos in carceribus, vel in Cryptis aut speluncis latitare coactos, Sacra celebrasse. Constat insuper, Fideles olim ad Sacrificium panem adtulisse. Porro hæc vix alio quam obvio proindeque fermentato pane præstari poterant. *3tio:* in Synodo Trullana Can: 11. Decretum est, *ut nemo eorum, qui in Sacerdotali ordine numerantur, vel Laicus, Judæorum azyma comedat.* Sed & Ebionitæ hanc ob causam damnati fuerunt.

Resp: ad 1mum: Tota similitudinis inter Melchisedechum & Christum ratio in eo consistit, quod sicut ille in pane & vino Sacrificium obtulerat, sic & Christus in pane & vino Sacrificium instituit & obtulit, quæ similitudo stat, sive Melchisedech fermentatum, sive azymum obtulerit panem, quia uterque verus est panis, nihil autem est in Scripturis unde inferre possimus, Melchisedechum fermentatum panem obtulisse.

Abolevit quidem Christus veteris Testamenti festa, & Sacrificia, multa tamen nova constituta sunt, quæ cum antiquis similitudinem habent, quia per illa præfigurabantur. Cum igitur Agnus paschalis figura esset Christi, & is die primo azymorum manducabatur, in azymo pane ad mortis suæ memoriam recolendam, novum Sacrificium instituit.

Ad 2dum: Cum in azymo consecrari debuerat Eucha-

charistia, indubie solliciti erant primi fideles, ne talis panis vel sibi, vel iis qui in carceribus inclusi erant deficeret, neque in his casibus dificilius erat habere panem azymum, quam vinum, sine quo Eucharistica consecratio non fiebat. Et vero Sacramenti reverentia, utcumque exigebat, ut non in communi, & quolibet in discriminatim pane conficeretur Eucharistia, ne hinc in contemptum veniret apud Gentiles, & Judæos ad fidem recenter conversos, qui nonnisi selecta, & singulari studio præparata in ſuis Sacrificiis offerre asveti erant. Unde etiam oblati à fidelibus ad Sacrificium panes, & ázymi erant, & singulari cura præparati fuerunt, quod adhuc Hincmari Remensis temporibus, in usu erat.

Ad 3tium: In Synodo Trullana non ajebatur de materia Sacrificii, & citató Canone vetitum est duntaxat Christianis omnibus, etiam Laicis, nimis familiare cum Judæis commercium, ne cum iis cibum sumerent, azyma ab iis acciperent, eos curandis morbis adhiberent, cum illis balneo uterentur. Hæc vero nihil faciunt adversus usum azymorum in Eucharistia. Ebionitæ vero damnati ſunt, ideo quia Evangelicam legem absque legalibus Judæorum ritibus haud ad salutem sufficere opinabantur, sed tamen ex imitatione Sanctorum, non ex suo errore, Mysteria in azymo perficiebant, unde de illis sermonem instituens Epiphanius Hæresi 30. sic inquit. *Mysteria vero perficiunt, ex imitatione Sanctorum quotannis in azymis*, in hoc ergo damnati non sunt.

Quæres 3tio: Quis olim fuit in Ecclesiis usus azymi, & fermentati panis?

Resp: Equidem verisimile est SS. Apostolos promiscue ad Sacrificium, modo panem azymum, modo fermentatum adhibuiſse, Latini tamen deinceps azymum adoptarunt, quod illum in ultima Cæna Christum adhibuiſse scirent, Græci vero maluerunt fermentatum adhibere, ut à Judæorum legalibus magis distare viderentur, verum sicuti compertum est in Ecclesia Latina nonnunquam aliquos usos fuiſse ad Sacrificium pane fermentato, ita etiam nulla invicta ratione probari potest, Ecclesiam Græcam â temporibus Apostolorum adeo semper fermentato usam fuiſse, ut nunquam azymum panem adhibuerit. Cum enim æqualia sint argumenta, tam pro usu azymi, quam fermentati panis, consequens est, promiscue in Ecclesiis usurpatum fuiſse panem & azymum & fermentatum, quamvis

vis in Latina communior & frequentior fuerit azymi panis usus, in Græca fermentati.

Quæres 4to: Quæ sit materia Calicis ad Eucharistiam consecrandam?

Resp: Fuerunt olim Hæretici, qui solam aquam ad Eucharistiam consecrandam adhibebant, quos S. Augustinus *aquarios* vocat. Sed fide certum est, ad conficiendam Eucharistiam Calicis materiam esse vinum. Namque Mathæus, Marcus, & Lucas testantur Christum in ultima sua Cæna accepisse calicem, eumque benedixisse, ac dixisse: *Hic est sangvis meus. Hic est calix novum testamentum in sangvine meo.* Porro in phrasi Sacræ Scripturæ, & communi usu, calicis nomine non aliud intelligitur, nisi vinum. Ergo cum Christus ex vino sangvinem suum effecerit, ex pane corpus suum, panem & vinum Eucharistiæ materiam constituit. Certe ex Mathæi cap: 26. discimus Christum in Eucharistia conficienda *genimen vitis* adhibuisse. Calicis ergo materia ad consecrandam Eucharistiam est genimen vitis, hoc est vinum.

Quæres 5to. Utrum vino in Calice consecrando aqua misceri debeat?

Resp: Armeni ac Protestantes, Ecclesiæ Romanæ consvetudinem miscendi aquam vino in Calicis consecratione, erroris redarguunt. Sed Armenos Concilium Trullanum Can. 32. damnavit, Protestantes vero Concilium Trident. Sess: 22. Con: 9. profligavit his verbis: *Si quis dixerit, aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.* Igitur merito aqua vino miscetur in Calicis consecratione, & id triplici evincitur argumento, scilicet ex libris ritualibus, ex Patribus & Conciliis. Et quidem 1mo: ex libris ritualibus. In Constitutionibus Apostolicis libro 8. cap: 12. laudatur Liturgia S. Jacobi Apostoli, quæ licet forte non sit genuinus fætus hujus Apostoli, est tamen antiquissima, quia eam jam Concilium Trullanum anno 692. celebratum laudavit, in ea vero Liturgia præscribitur mixtio aquæ vino consecrando. Ritus ergo vino consecrando aquam miscendi, est antiquissimus. Quod etiam probatur ex Liturgia S. Marco attributa, ex Capitularibus Ottonis Episcopi Vercellensis, & Theoduli Barelianensis. Quibus addi possunt SS. Chrysostomi, & Basilii, quæ apud Græcos invaluerant, in quibus vino consecrando, aquam admisceri præscribitur.

2do. Ex Patribus. S. Justinus in Apolog: 2. sic inquit:

quit. *Affertur deinde ei qui Fratribus præest, panis & calix aqua dilutus.* S. Irenæus lib: 4. Cap: 53 ait: *Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia.* S. Cyprianus Epist: ad Cæcilium scribit. *Vinum mixtum declarat, calicem Domini aqua & vino mixtum.* S. Ambrosius libro 4. de Sacram: cap. 4. ait. *Ergo didicisti, quod ex pane fit corpus Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sangvis consecratione verbi Christi.* Similia habent Hieronymus, Augustinus & alii.

3tio: Denique eadem veritas probatur ex definitionibus Conciliorum. Et quidem Concil. Carthagenense 3. anno 397. habitum, Can. 24. statuit. *ut in Sacramento Corporis, & Sangvinis Domini, nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panem, & vinum aqua mixtum.* Concil: Bracarense 4. anno 677. Can: 2. ita decernit: *Calix Dominicus vino & aqua permixtus debet offerri.* His accedit omnium Ecclesiarum consvetudo, non solum Orientis, sed & Occidentis. De Ecclesia quidem Latina ex allatis SS. Patrum & Conciliorum testimoniis, res est manifesta, sed idem constat de Ecclesia Græca, quod patet ex Theodoreto Dialogo 1. Theophilacto in Joannem, & aliis permultis. Idem attestantur Liturgiæ Coptarum, Maronitarum, atque Æthiopum. Quare Eugenius 4. in sua pro Armenis Instructione ingenue fatetur. *Romanam Ecclesiam, et antiquas omnes tum Latinorum, tum Græcorum Ecclesias, semper in Sacrificio obtulisse vinum aqua temperatum.*

Quæres 6to. Hæc aquæ vino consecrando mixtio, quo jure fieri debeat?

Resp: Fieri debet non ex jure divino, sed ex jure & præcepto Ecclesiæ. Quia præcepti divini, quo aqua vino misceri jubeatur, nullum est in Scripturis Sacris vestigium, quare sæpissime SS. Patres, & Concilia solius vini mentionem faciunt. Certe totalis Eucharistiæ materia est panis triticeus, & vinum de vite, quemadmodum constat ex Conciliis Lateranensi 4. Florentino atque Tridentino, aqua ergo vino miscenda non est de necessitate Sacramenti, non est ergo jure divino necessaria, sed jure solum Ecclesiastico, quod aperte docet Concilium Tridentinum Sess: 22. cap: 7. ubi hæc habet: *Monet S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino, in Calice offerendo miscerent, tum quod Christus Dominus ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus*

aquæ

aqua simul cum sangvine exierit, quod Sacramentum, hac mixtione recolitur.

Dices: Communis Theologorum opinio est, Christum Dominum in Eucharistia instituenda aquam vino miscuiſse. Putandum ergo est, ipsum exemplo suo necesſitatem nobis imposuiſse, ut idem faceremus.

Resp: Non omnia cadunt sub præceptum, quæ in ultima cæna Eucharistiam instituendo Christus fecit, nam & in azymis, & vespere, & post cænam Eucharistiam confecit, nihil tamen eorum ad Eucharistiæ consecrationem ex divino præcepto est neceſsarium, cum valide Eucharistia etiam in fermento consecretur, & nunc non nocte sed die, & a jejunis consecratur. Hinc omnium Miſsalium Rubricæ, aquam, si forte ante consecrationem omiſsa est, post consecratiónem immisceri vetant, quia non est de neceſsitate Sacramenti.

Quæres 7mo: Quæ sit forma consecrandæ Eucharistiæ omnino neceſsaria?

Resp: Nonnulli ex modernis Hæreticis putant, ad Eucharistiæ consecrationem verba haud eſse neceſsaria, sed sola benedictione consecrationem fieri. Alii ex adverso, verbis consecrationis preces adjungendas eſse censent. Sed & Græci plerique ad complementum formæ, precationem quandam neceſsariam eſse putant, quæ *invocatio* dicitur, & hæc apud Latinos consecrationi præmittitur, dum orat Sacerdos, *ut nobis Corpus, & Sangvis fiat dilectiſsimi Filii tui D. N. J. Christi*, apud Græcos vero, aliis verbis concepta, longe post consecrationem ponitur, dum postulat Sacerdos à Deo, *ut mittat Spiritum Sanctum suum, super proposita dona, & panem faciat Corpus Christi, vinum vero sangvinem ejus, immutans ea Spiritu Sancto suo.* Verum nunc communis est Catholicorum doctrina, Eucharistiam confici iis Christi verbis, quibus eam primitus instituit dicens: *Hoc est corpus meum. Hic est Sangvis meus*, sive *Hic est Calix sangvinis mei*, atque hæc verba adæquatam Eucharistiæ formam constituunt.

Probatur *1mo*: Ubique, & semper in Ecclesia retentum est, ut verbis Christi, quibus ipse corpus, & ſangvinem suum, Eucharistiam in ultima Cæna instituens, effecit, Eucharistia conficeretur, quare omnes omnium Orientis, & Occidentis Ecclesiarum Liturgiæ, ad panem & vinum consecrandum, hæc ipsa Christi verba præscribunt, & sine iis nunquam Eucharistiæ fiebat consecratio. Porro verba quibus Eucharistia conficitur, corpus & Sangvis Christi

sti consecratur, Eucharistiæ adæquatam constituunt formam. Nihil ergo amplius opus est.

2do: Et id quoque ex SS. Patribus evincitur, qui unanimi consensu verbis Christi Eucharistiam consecrari, corpus & ſangvinem ipsius confici docent. Sic Justinus Apolog. 2. ait: eonfici *Eucharistiam per preces ab ipso verbo Dei profectas.* Porro non aliæ sunt præces, à verbo Dei profectæ, per quas Eucharistia consecretur, nisi illa quibus ipse Christus Corpus & Sangvinem ſuum effecit, videlicet: *Hoc est corpus meum. Hic est ſangvis meus*, proinde statim ibidem Justinus eadem recitat verba, declaratque illa præcise eſse quibus Eucharistia consecratur, corpus, & ſangvis Christi efficitur. Certe præter memorata Christi verba, quæcumque aliæ præces, per quas orat Sacerdos ut nobis fiat Corpus & Sangvis Christi, ab ipso Verbo Dei non sunt profectæ, humanæ sunt, non ergo illis Eucharistia consecrari, Corpus & Sangvis Christi confici potest. S. Jrenæus Libro 3. cap: 2. sic inquit: *Quando & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Sangvis, & corpus Domini.* Eadem habet Tertullianus, Gregorius Nyſsenus, S. Ambrosius in libro de Mysteriis cap: 9. & alii quam plures. Et vero, indubitatum est, Christum illa proferendo verba *Hoc est corpus meum. Hic est Sangvis meus*, corpus & ſangvinem ſuum effecifse. Porro hæc eadem verba in consecrando Corpore & Sangvine suo, usurpari Apostolis præcepit. Cujus testis locupletiſsimus est S. Justinus Martyr, qui Apologia 2. recitans verba quibus Eucharistia consecratur, dicit illa ea eſse, *quæ Apostoli in Commentariis à se scriptis, præcepiſse sibi Jesum tradiderunt*, videlicet cum accepto pane dixit: *Hoc est Corpus meum*, & benedicto Calice pronuntiavit: *Hic est Sangvis meus.* Ex Christi itaque institutione & mandato, prædicta verba adæquatam Eucharistiæ continent formam. Quapropter, licet à nullo Concilio id fuerit institutum, ſemper tamen iisdem prænominatis Christi verbis Eucharistia ubique consecrabatur. Unde S. Joannes Chrysostomus Homil: 2. in 2. Epist: ad Timoth: sic ait: *Quemadmodum verba quæ locutus est Christus, eadem sunt quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita et oblatio eadem*, & Homil: de Judæ proditione ait: *Sacerdos dicit: Hoc est Corpus meum. Hoc verbo proposita dona consecrantur.* Quapropter & Augustinus libro 20 contra Faustum cap: 13. inquit: *Panis et calix certa consecratione mysticus fit nobis.* Ex quibus

bus manifestissimum efficitur Eucharistiam certa consecratione fieri, ad hanc consecrationem certa verba requiri, & illa non alia esse, quam ea, quibus ipse Christus Corpus suum, & Sangvinem effecit, hæc itaque adæquatam Eucharistiæ constituunt formam.

Hinc consequitur *invocationem*, aut quascunque alias præces ad Eucharistiæ consecrationem non esse omnino necessarias, sed verba Christi plene sufficere. Enimvero verba illa ad Eucharistiæ consecrationem sufficere debent, quibus realis præsentia Corporis, & Sangvinis Christi in Eucharistiæ Sacramento satis exprimitur, & designatur. Porro verba illa: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sangvis meus*, præsentiam realem Corporis & Sangvinis Christi in Sacramento Eucharistiæ satis exprimunt & designant, cetera, quæ ipsa præcedunt; vel subsequuntur; ad præsentiam Christi significandam nihil faciunt, ut consideranti patet. Ergo sola Christi verba ad Eucharistiæ consecrationem sufficiunt. Et sic semper creditum est in utraque Ecclesia Latina, & Græca. Namque in Ecclesia Latina Sacerdos pronuntiatis Christi verbis supra panem, æque ac supra calicem, ea fidelibus adoranda proponit; Jam ergo illico ac prolata sunt verba Christi, creditum est, adesse Corpus & Sangvinem Christi, ac proinde verbis Christi illud consecrari. Sed fidem, sensumque Ecclesiæ Latinæ hoc in puncto clarissime declarat S. Ambrosius, seu quivis alius Auctor ipsi coævus libro 4. de Sacram: cap: 5. ubi hæc habet: *Consecratio autem quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur in superioribus, à Sacerdotibus dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio, petitur pro populo, pro Regibus, pro ceteris, ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus utitur Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.* Quare Concilium Triden: Sess: 13. cap: 1. sic declarat. *Docet Sancta Synodus, & aperte, ac simpliciter profitetur in almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis, & vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum, atque hominem, vere, realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* Verum & Ecclesiæ Græcæ eadem semper fuit fides; idemque sensus. Siquidem & ipsorum Præsbyteri; ac Diaconi ex præscripto antiquissimarum SS. Chrisostomi; & Basilii Liturgiarum; post prolata à Sacerdote Christi verba supra sacra oblata; ter illa adorant; & adstans po-

 pulus

pulus Sacerdoti *Amen* respondet, quod ab Hebræis desumptum, *vere ita est* significat, persvasum itaque habuerunt statim post prolata Christi verba, longe ante *invocationis* orationem adeſse præsens Corpus & Sangvinem Christi, ac proinde solis ipsius verbis ea confici. Atque id Græci ad Concilium Florentiæ congregati confeſsi sunt his verbis in publica Seſsione recitatis. *Quoniam ab omnibus SS. Doctoribus, maxime ab illo B. J. Chrysostomo nos audivimus, verba Dominica eſse quæ mutant & transmutant, panem in Corpus Christi, & vinum in Sangvinem, & quod Divina illa verba Salvatoris omnem virtutem transubstantiationis habent, de neceſsitate ipsum Doctorem & eandem suam sententiam sequimur.* Orientales igitur una cum occidentalibus in unam eandemque fidem unionemque convenientes profeſsi sunt, Eucharistiæ consecrationem solis Domini verbis perfici & absolvi.

Objicies 1mo: SS. Patres Irenæus, Cyrillus Hierosolymitanus, docent *per invocationem Dei, per invocationem Spiritus Sancti*, per præces, & orationes Eucharistiam fieri, Corpus Christi consecrari. Ergo ad id præter verba Christi, neceſsaria est *invocationis* oratio. Et S. Basilius libro de Spiritu Sancto cap: 27. rem clarius explicat dicens: *Invocationis verba in confectione panis Eucharistici, & benedictione calicis, quis Sanctorum nobis reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum Apostolus, aut Evangelium mentionem facit, sed ante, & post alia dicimus, velut magnam vim ad mysterium habentia, quæ ex doctrina scripto non tradita accepimus.* 2do: in omnibus Orientalibus Liturgiis post prolata supra panem & Calicem Christi verba, Sacerdos hanc recitat orationem. *Emitte Spiritum tuum Sanctum in nos, & super proposita dona*, & deinde dicit. *Fac panem hunc pretiosum Corpus Christi*, dum ergo has orationes Græci fundunt, ſupponunt per præcedentia Christi verba nondum factam fuiſse mirabilem illam conversionem panis in Corpus Christi, & vini in Sangvinem.

Resp: Ad 1mum: Antiqui Patres per invocationem, benedictionem, per preces, & orationes, quibus dicunt Eucharistiam confici, verba Christi intelligunt, quæ licet si in se spectata nihil orationis habeant, respectu tamen Sacerdotis à quo pronuntiantur, haud immerito uti deprecatoria censentur, quia Sacerdos agens ut Ecclesiæ, Christique Minister, cum Christi verba profert, divinam virtutem censetur implorare. Quare etiam formam Baptismi

enti, quæ Græcis pariter & Latinis absoluta est, non deprecatoria; Cyrillus Hierosol: Catech: 3. de Baptismo *invocationem* nominat, & Augustinus libro 6. de Baptismo cap: 20. verba quibus etiam Baptisma conficitur *deprecationem* eſse dicit, cum tamen nihil veræ deprecationis in se contineant. Et certe S. Irenæus id, quod modo dicit *invocationem*, alibi, & non semel vocat *Verbum Dei*, quod quando panis percipit, fit Eucharistia. Corpus, & Sangvis Domini. Idem habet & S. Gregorius Nyſsenus Oratione Catech: cap: 37. *à verbo statim in Corpus transmutatur, sicut dictum est à Verbo: Hoc est Corpus meum.* Et S. Ambrosius libro de Mysteriis cap: 9. ipsa verba Christi, verba cælestia, quibus Corpus Christi conficitur, *benedictionem & consecrationem* vocat, dicens: *Ipse clamat Dominus Jesus, Hoc est Corpus meum. Ante benedictionem verborum cælestium, alia species nominatur, post consecrationem Corpus significatur, & tu amen dicis, hoc est: verum est.* Igitur dum aliqui Sanctorum Patrum docent, per preces, per orationem, invocationem, benedictionem Eucharistiam consecrari, semper verba Christi intelligunt, quibus & ipse in ultima cæna Corpus suum effecit, & Apostolis ad illud efficiendum ipsa præſcripsit.

Jam vero S. Basilius præter verba Christi in Evangelio posita, & ab Apostolo commemorata, alia etiam ad confectionem panis Eucharistici, & benedictionem Calicis requirit, sed non ut omnino ad consecrationem Corporis & Sangvinis Christi neceſsaria, *ſed veluti magnam vim ad mysterium habentia*, illa enim, ad mysterii intelligentiam, Sacrificii maiestatem multum conferunt, Sacerdotis, populique devotionem accendunt.

Ad 2dum: In Liturgiis Orientalibus post prolata verba Christi, orat Sacerdos ut Deus ex pane faciat prætiosum Corpus Christi non absolute, & simpliciter, quasi necdum extaret, sed ut iam sub propositis donis vere, & realiter existens, faciat salutare, atque suscipientibus proficuum. Sic profeſsi sunt Græci in Concilio Florentino. *Per Christi verba transmutari sacrum panem, & fieri Corpus Christi, sed postea quemadmodum ipsi*, idest Latini, *dicitis*, Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui ad sublime altare tuum, *ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus Sanctus descendat super nos, & efficiat in nobis panem hunc pretiosum Corpus Christi, transmutetque ipsa Spiritu Sancto suo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remiſsionem peccatorum.* Et hæc Sacris Orientalium

N2 Litur-

Liturgiis quam maxime conformia sunt, quia Sacerdos orat ut fiat Corpus Christi *suscipientibus*, in Liturgia Basilii, *ut nemo nostrum ad judicium vel condemnationem sit particeps S. Corporis, & Sangvinis Christi tui*, in Liturgia S. Chrysostomi, *ut fiat accipientibus in sobrietatem animæ, ad remissionem peccatorum, in communicationem S. Spiritus*. His similia nos Latini habemus in Liturgia nostra, in qua oramus, *ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum Filii tui Corpus & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur*. Tandem, ut omnes norunt, familiaris est hæc consvetudo apud Græcos in suis Liturgiis, ut quod factum est, quasi nondum factum supponunt, utque fiat, rursus orant. Ex eo igitur quod post prolata supra panem & Calicem Christi verba, orant ut Corpus Christi fiat, non est consequens eos credere non solis Christi verbis Corpus & Sangvinem Christi confici, cum contrarium aliquoties in Concilio Florentino palam professi fuerint.

CAPUT SECUNDUM

De Ministro, & usu Sacramenti Eucharistiæ.

Minister Eucharistiæ alius est conficiendæ, alius distribuendæ, & is iterum vel ordinarius est, vel extraordinarius. Usum autem Eucharistiæ spectant illius necessitas, ac modus eam suscipiendi sub unica scilicet, aut duplici specie.

ARTICULUS 1mus

De Ministro Sacramenti Eucharistiæ.

Quæres 1mo Quis sit Minister Eucharistiæ conficiendæ?

Resp: Gnostici hæretici, cuivis, etiam mulieri potestatem conficiendæ Eucharistiæ tribuebant. Pepusiani, & Collyridiani eandem insaniam adoptarunt. Waldenses Laicos, qui probi essent, Eucharistiam posse conficere autumna-

antumnabant. Lutherus Christianis omnibus Sacerdotium tribuebat, ad confusionem autem evitandam, iis tantum usum hujus potestatis concedit, qui *consensum Communitatis* habent, aut *vocationem majoris*. Calvinus ejusque asseclæ, etsi Præsbyteratus retineant nomen, tamen cum Episcopis careant, nec veros etiam Sacerdotes per legitimam ordinationem constitutos, habent. Sed prædictum Waldensium, Lutheranorum, ac aliorum Hæreticorum errorem Concilium Tridentinum damnavit Sess: 22. Can: 2. his verbis concepto: *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sangvinem suum, anathema sit.* Præiverat Concilium Lateranense 4. quod Can: 1. sic sancivit: *Hoc Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus.* Unde & Eugenius 4. in Armenorum Instructione docet, Sacerdotem hoc conficere Sacramentum. Is ergo solus Eucharistiæ conficiendæ est Minister.

Quæres 2do: Quibus argumentis evincitur, nulli alii, quam solis Sacerdotibus competere potestatem Eucharistiæ conficiendæ?

Resp: Id variis evincitur argumentis. Et quidem *1mo:* ex Sacris Scripturis. Enimvero secundum Lucam cap: 22 postquam Christus accepto pane gratias egit, fregit, & dedit Apostolis dicens: *Hoc est Corpus meum*, statim subjunxit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Porro his verbis Christus Apostolis suis & potestatem dedit conficiendæ Eucharistiæ, & præceptum ipsis imposuit, ut eadem faciendo, quæ ipsum fecisse viderant, Corpus illius consecrarent: *Hoc facite in meam commemorationem.* Jam vero hæc potestas & præceptum consecrandæ Eucharistiæ, solis Apostolis data est à Christo, quia eos solos tunc alloquebatur, eos solos respiciebat. Ergo soli Apostoli habuerunt consecrandæ Eucharistiæ potestatem, & post ipsos soli ea potiuntur Sacerdotes, qui illis in hoc Sacro Ministerio succedunt. Atque hoc fundamento innixus S. Justinus Martyr Apolog: 2. affirmat solum Præsbyterum seu *qui fratribus præest offerre Eucharistiam, juxta mandatum quod Apostolis dedit Christus, cum accepto pane dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Hoc est Corpus meum.* Hinc Concilium Arelatense 1. anno 314. celebratum etiam Diaconis vetuit, ne offerrent, & Nicænum 1. Can: 18. sic loquitur: *Pervenit ad S. Synodum, quod in*

nonnul-

nonnullis locis, ac Civitatibus Diaconi dent Præsbyteris Eucharistiam, quod nec Canon, neque consvetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt, dent Corpus Christi. Et certe perpetuus non minus Latinæ, quam Græcæ, & totius Orientalis Ecclesiæ usus ostendit, secundum Christi institutionem neminem potuiſse, aut poſse sacra celebrare mysteria, qui ab Episcopis ad id obeundum munus non fuerit rite ordinatus.

2do: Eadem veritas probatur ex SS. Patribus: Tertullianus libro de Corona cap: *3.* scribit, Eucharistiæ Sacramentum non ſumi de aliorum manibus, quam eorum, qui populo in Ecclesia præsidebant, & libro de præscriptione, ſugillat Hæreticos, quod quæ Sacerdotum ſunt, Laicis permittant. Unde Auctor Constit: Apostolicarum libro 5. cap: 10. sic inquit: *Sed nec Laicis permittimus quamlibet Sacerdotum functionem usurpare, nec enim quisquam ſumit sibi honorem. Nam per impositionem manuum Episcopi datur hæc dignitas.* Si autem quælibet Sacerdotum functio Laicis interdicta est, quanto plus Eucharistiæ consecratio, qua maior nulla cogitari potest. Præterea S. Epiphanius Epist: ad Joannem Hierosolymitanum, excusat se, quod in ejus Diæcesi, nimirum in Monasterio S. Hieronymi cuidam Diacono Præsbyteratum contulerat, *ne multitudo sanctorum Fratrum ibidem degentium sacris privaretur mysteriis, cum non haberent, qui sibi divina Sacramenta conficerent.* Porro excusatio isthæc, & ratio excusationis nullæ eſsent, si cuivis Laico, potiſsimum vere Sanctis fratribus licitum fuiſset in prædicto neceſsitatis casu Sacra Mysteria perficere. Creditum ergo tunc est, istud solis Præsbyteris licere. Quare idem S. Pater Hæresi 79. ubi Collyridianos impugnat, ostendit nequidem B. Mariæ Virgini neque Diaconis datam fuiſse sacra obeundi Mysteria facultatem.

Sed & SS. Basilius, Hieronymus, Augustinus, eandem veritatem aperte, & clare docent.

3tio: Tandem idem dogma multis factis historicis evincitur. Certe fideles persecutionis tempore sacram Eucharistiam â Præsbyteris confectam & de manibus eorum acceptam Domum secum asportabant. Id etiam faciebant Anachoretæ, qui diuturno etiam temporis spatio eam in ſuis cellulis conservare solebant. Hoc autem minime feciſsent, si cuilibet Laico Eucharistiam consecrare licuiſset. Denique ex S. Cypriano. Epist: 5. ad Martyres discimus Sacerdotes vitæ periculum minime veritos ad carceres perexiſse,

rexiſse, in quibus Christiani pro fide captivi detinebantur, eo consilio, & fine, ut divino Eucharistiæ pabulo illos reficerent. Soli ergo Sacerdotes Ministri eſse poterant Eucharistiæ conficiendæ.

Objicies 1mo: Verba Christi: *Hoc facite in meam commemorationem* licetsi ad solos Apostolos dicta sint, ita ad omnes fideles diriguntur, quemadmodum & illa ad solos Apostolos prolata *Docete omnes gentes baptisantes eos*. Sicuti ergo licet solis Apostolis dictum sit ut baptisarent, omnes tamen fideles poſſunt baptisare, ita etiam quamvis solis Apostolis præceptum sit ut consecrarent, omnes tamen fideles Corpus Christi consecrare poſſunt.

2do. Bene multa occurrunt facta historica desumpta ex libris Pratum spirituale Gemma animæ Honorii Augustodunensis, aliisque similibus opusculis, in quibus narratur Eucharistiam consecratam fuiſse à Laicis, idque miraculis confirmatum eſse.

Resp: ad 1mum: Verborum Christi optimus interpres est Traditio. Hæc autem, verba Christi: *Hoc facite in meam commemorationem* ita ad Apostolos directa fuiſse agnovit, ut iis solis, eorumque in Ministerio Succeſſoribus potestatem Eucharistiam consecrandi collatam fuiſse censuerit adeo, ut tota Ecclesia pro Hæreticis eos semper reputaverit, qui aliis, quam Sacerdotibus hanc potestatem attribuebant, & eorum, qui cum non eſsent Sacerdotes, aliquando illam sibi arrogarunt, audaciam severe corripuit. Sed illa *Docete omnes gentes baptisantes eos*, solis Apostolis dicta, ita ad illos directa fuiſse tota antiquitas censuit, ut per ea Christum Apostolos eorumque Succeſſores præcipuos, ac primarios Baptismi Ministros constituiſset persvasum habuerit, quare semper in Ecclesia Episcopi, & Præsbyteri pro ordinariis Baptismi Ministris reputati ſunt. Verum non ita censuit Ecclesia Apostolis datam fuiſse baptisandi facultatem, ut in casu neceſsitatis quisquis alius non poſsit baptisare, quia semper validum reputatum est baptisma à quocunque collatum, modo rite collatum fuiſset, consecrationem vero ita Apostolis solis eorumque Succeſſoribus attributam eſse reputavit, ut nunquam in nullo casu à Laicis eam fieri poſse putaverit. Unde in eo maximam Sacerdotum omnes SS. Patres, Concilia, Scriptoresque Ecclesiastici reposuerant dignitatem, quod iis solis divina Mysteria conficere concreditum sit. Cur vero Christus, cum in casu necessitatis permiserit quemlibet baptisare poſse, potestatem consecrandi

secrandi Corpus suum in obveniente necessitate cuilibet non contulerit, ratio est sapientissima ac benignissima ipsius providentia, qua saluti omnium, maxime Infantium consulere voluit. Cum enim ipse constituerit, ut nemo regnum Cælorum ingrediatur nisi fuerit renatus ex aqua & Spiritu Sancto, ne hoc salutis remedium Infantibus, aut cuicunque alio deesset, baptisandi obveniente necessitate unicuique facultatem fecit, alia vero Sacramenta & inter illa Eucharistia, licet etiam ad salutem necessaria sint; sed eorum necessitas cum non sit par, ac Baptismi indigentia, non itaque eandem alia conficiendi Sacramenta facilitatem fecit, ac Baptismi.

Ad 2dum: Scriptores illi, aliquando nimium creduli fuerunt, & absque examine, quidquid enarrari audierunt, historiis suis attexuerunt. Hinc tot fabellæ, resque inauditæ, & stupendæ sine judicio & delectu, in tenebrosis præcipue Sæculis litteris mandatæ, quæ innumeris aliis, & veris apud morosos & liberiores Criticos fidem detrahunt.

Quæres 3tio: Dispensandæ, ac distribuendæ Eucharistiæ, quis sit Minister?

Resp: Eucharistiæ distribuendæ Minister ordinarius est Sacerdos, qui enim potestatem habet Eucharistiam consecrandi, potestatem quoque habet eam distribuendi. Sed & Diaconi facultatem habent Eucharistiam distribuendi, at illam exercere non valent, sine scitu & permissione Episcopi, vel Præsbyteri, unde sunt nonnisi Ministri extraordinarii. Certe Diaconi instituti sunt Actor: cap: 6. ut Mensarum essent Ministri, non tam Mensarum profanarum, ad quas quilibet non selectus neque omnino plenus Spiritu Sancto, & sapientia, ministrare poterat, sed sacrarum. Unde natum est ex historia Ecclesiastica primævis Sæculis Eucharistiam sumi consvevisse à Diaconis, & ab ipsis eam fidelibus porrectam fuisse. Verum semper id Diaconi cum scitu & licentia Episcoporum, aut Præsbyterorum faciebant, sine hac licentia ac facultate hoc eis prohibitum erat. Quam in rem duo faciunt canones antiquissimi, quorum unus est 15. Concilii 1. Arelatensis his verbis conceptus: *Corpus Christi præsente Præsbytero tradere* (Diaconus) *non præsumat.* Alter vero est 38. Synodi 4. Carthaginensis, qui ita habet: *Præsente Præsbytero Corpus Christi populo si necessitas cogat,* (Diaconus) *jussus eroget.* Similia multa leguntur apud Alcuinum libro de Divinis Officiis.

Quæres

Quæres 4to: An, & quomodo Eucharistiæ receptio necessaria sit ad salutem?

Resp: 1mo: Eucharistiæ receptio non est ad Salutem omnibus necessaria necessitate medii. Enimvero sacræ litteræ docent per solum baptisma salutem æternam obtineri posse. Non ergo Eucharistia omnibus ad salutem necessaria esse potest necessitate medii. Sic Paulus ad Rom: cap: 8. scribit: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Ad Eph: cap: 5. dicitur quod Christus *mundavit nos lavacro aquæ in verbo vitæ* & ad Titum. cap: 4. *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Porro si Eucharistia omnibus esset ad salutem necessaria necessitate medii, Infantes baptisati qui eam non receperunt, & mortui sunt, Adulti qui eam non contempserunt, sed tamen post baptismum sine ea inopinato ex hac vita migrarunt, salutem non possent obtinere. Quod cum universalis Ecclesiæ sensui contrarium sit, admitti nequit. Certe Ecclesia perpetuo credidit, eos qui baptisati sunt, aut etiam baptisari non poterant, & casu mortem subierunt, ardens tamen illius desiderium habuerunt, salvari, quin Eucharistiam unquam percepissent, & multo magis credidit Ecclesia infantes è vita migrantes statim ac baptisma receperunt, salutem consequi, etsi Eucharistiam minime receperint. Præterea si Ecclesia existimasset Eucharistiam absolute omnibus esse necessariam, dubio procul, consvetudinem, quæ per tot sæcula jam invaluerat, conferendi illam simul cum baptismate, & confirmatione, minime abrogasset, sed ipsam retinuisset, sicut hucusque baptismum retinuit. At morem illum justis ac legitimis de causis, jam diu prætermittere Ecclesia Latina cæpit, neque istud ei crimini Ecclesia Græca imputavit, ceteroquin ad accusandum semper parata. Ex sensu ergo Ecclesiæ, Eucharistia non est omnibus ad salutem absolute necessaria.

Non minus autem eadem Ecclesiæ fides elucet ex SS. Patribus Græcis, & Latinis: ex Græcis laudantur Basilius, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, Chrysostomus, & alii, sed ex Latinis præcipue laudari meretur S. Augustinus, qui libro 1. de Peccat: merit: & remiss: Cap: 19. sic ait: *Verum tamen si parvulus percepto baptismate de hac vita migraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum justificatos præsentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola, separant inter homines & Deum, quæ solvuntur Christi gratia:*

gratia: & Epist: 90. sic ait de parvulo baptisato: *Valebit Sacramentum ad ejus tutelam, & tantum valebit, ut si ante rationis usum ex hac vita migraverit, per ipsum Sacramentum ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Christiano adjutorio liberetur.* In his autem textibus, liberatio à reatu Originis, & quæ ipsam consequitur gloriæ Cælestis participatio, uni Baptismo tribuitur. Sensit ergo Augustinus cum Baptismo, non recepta Eucharistia salvari poſse eos, maxime qui ante uſum rationis non recepta Eucharistia ex hac vita emigrarunt.

Nunquam ergo arbitratus est Augustinus, Eucharistiæ receptionem omnibus omnino ad salutem eſse neceſsariam. Atque ex his adductis momentis apparet æquiſsimam eſse Concilii Tridentini definitionem quod Seſs: 21. Can: 4. sic statuit: *Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, neceſsariam eſse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Et sane cum fide certum sit Eucharistiam non eſse institutam, ad justificationis gratiam elargiendam, hancque semel ab infante in Baptismate receptam amitti non poſse nisi per peccatum mortale, cujus infantes ante adeptum usum rationis capaces non ſunt, neceſsario concludendum est, infantes baptisatos, si non percepta Eucharistia ante uſum rationis ex hac vita decedant, salutem æternam aſsequi. Unde Concil: Trident Seſs: 21. Cap: 4. sic ait: *Sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari neceſsitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem, siquidem per baptismi lavacrum regenerati & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam amittere in illa ætate non poſsunt.*

2do: Adultis tamen receptio Eucharistiæ est ad salutem neceſsaria neceſsitate præcepti tum Divini, tum Ecclesiastici. Et quidem Divini, ut manifeste constat ex verbis Christi Joan: cap: 6. dicentis. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sangvinem, non habebitis vitam in vobis.* Ecclesiastici vero, siquidem Concilium Lateranense 4. statuerat ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, suscipiat reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, quod etiam à Concilio Tridentino Seſs: 13. Can: 9. confirmatum est, & huic ordinationi contradicentes damnati sunt.

Objicies 1mo: Illud est medium ad salutem omnibus absolute neceſsarium, sine quo nemo vitam habere potest. Porro

Porro nisi Eucharistia recipiatur, nemo vitam æternam habere potest. Expreſse siquidem dixerat Christus Joannis cap: 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, & *biberitis ejus ſangvinem*, *non habebitis vitam in vobis*. Unde Ecclesia per 12. Sæcula infantibus recens baptisatis Eucharistiam tribuebat, quia illam eis ad salutem neceſsariam eſse judicavit. *2do*: SS. Augustinus, Innocentius I. ac Gelasius Romani Pontifices censuerunt Eucharistiam pari modo, ac Baptisma omnibus ad salutem eſse neceſsariam. Cum itaque Baptisma ad salutem sit omnibus neceſsarium neceſsitate medii, pariter etiam neceſsaria est Eucharistia.

Resp: ad 1mum: Adducta Christi verba verum continent præceptum, quo iniungitur sub gravi comminatione, ut Carnem ejus manducemus, & sangvinem ipsius bibamus; ad eos igitur diriguntur, illos afficiunt, qui & præcepti intelligendi ac exequendi, & comminationis exhorrescendæ capaces sunt, quales sunt addulti non vero Infantes usu rationis destituti, adultis ergo receptio Eucharistiæ est medium ad ſalutem consequendam neceſsarium, quia maxime illis conducens est, & si contemnatur, culpabiliter omittatur, negligatur, sine eo salus obtineri nequit, non autem Infantibus, cum Ecclesia verborum Christi interpres, constanter iis Cælum aſseruit, quia cum gratia Baptismi, licet sine gratia Eucharistiæ ex hac vita exceſserint.

Quod vero Ecclesia per 12. sæcula Infantibus recens baptisatis Eucharistiam dederit, moram non facit, quia facile respondetur, cum Patribus Concilii Tridentini Seſs: 21. cap: 4. antiquos probabilem sui facti habuiſse rationem, causamque, sed sine contraversia credendum est, id eos sine salutis neceſsitate feciſse. Certe antiquitus post baptiſsma illico Confirmationis Sacramentum conferebatur, nemo tamen dixerit illud neceſsitate salutis factum eſse, aut modo fieri debere.

Ad 2dum: Horum SS. Patrum eadem est mens, idem sensus, Augustinus siquidem Innocentii sententiam multoties laudat, & Gelasius Papa doctrinæ Augustianæ studiosus ſectator fuit, eodem itaque modo singuli intelligendi, & interpretandi sunt. Porro mens horum SS. Patrum est, ad salutem neceſsarium omnibus eſse ut ſumatur Corpus Christi non Sacramentaliter, sed mystice, videlicet ut quisque incorporetur Christo, fiat membrum Corporis ejus mystici quod est Ecclesia, atque sic Christo, &

Cor-

Corpori ipsius conjungatus, in eoque maneat. Hunc sensum aperte indicant verba Innocentii I. ex quibus petita est obiectio, ad Patres siquidem Concilii Milevitani sic de Pelagianis scribit. *Illud vero, quod eos vestra Fraternitas asserit prædicare, parvulos vitæ æternæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est, nisi manducaverint Carnem filii hominis, & biberint ejus Sangvinem, non habebunt vitam in semet ipsis, qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptisma cessare velle, cum prædicant eos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum.* Illam ergo Innocentius manducationem Corporis Christi, & sumptionem Sangvinis ejus Infantibus quoque ad salutem dicit esse necessariam, quæ fit per baptisma. Per baptisma autem non manducamus Corpus Christi, nec bibimus Sanguinem ipsius sacramentaliter, sed mystice, quia per illud Christo incorporamur, membra ipsius efficimur, Corpori ejus mystico, quod est Ecclesia, adiungimur, sine his vero nemo, neque infans cuius vita unius est diei super terram salvari potest. Neque aliter sensit Gelasius aut Augustinus qui etiam sui interpres est, dum Tract: 26 in Joannem explanans illa verba. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam:* sic scribit. *Qui eam non sumit, non habet vitam, & qui eam sumit habet vitam, & hanc utique æternam. Hunc itaque cibum & potum, societatem vult intelligi Corporis, & membrorum suorum, quod est Sancta Ecclesia.* Atque ad robur hujus responsionis hoc adiici debet, quod S. Fulgentius eo modo Augustini, cuius erat discipulus mentem explicat, quomodo nunc explicata est, scilicet á Ferando Diacono interrogatus, quid statuendum est de anima cuiusdam adolescentuli Æthiopis, qui cum esset baptisatus, extremum diem clausit, antequam Eucharistiam sumeret, sic respondet. *Arbitror disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque Fidelium Corporis, Sangvinisque Domini participem fieri, quando in Baptismate membrum Corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis, calicisque consortio, etiamsi, antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in unitate Corporis Christi constitutus abscedat.*

Quæres 5to: Utrum communio sub utraque specie, ac proinde Calicis usus singulis fidelibus sit necessarius?

Resp: Nemo est qui ignoret ab Ecclesiæ exordio usque

usque ad ſeculum 12. Euchariſtiam Laicis quoque, etsi nec ſemper, neque neceſsario, ſub utraque ſpecie miniſtratam fuiſse. Verum creſcente Fidelium numero, cum Sangvis Chriſti quandoque effunderetur, uſus primo inductus eſt, ut ope tubuli, vel fiſtulæ alicujus ſumeretur, deinde cum hæc etiam conſvetudo haberet ſua incommoda, cæperunt Sacerdotes fideli populo diſtribuere Euchariſtiam panem pretioſo Sangvine intinctum, donec tandem cum incommodis non ſatis obvium iretur, calicis uſus Seculo 14. & generaliter abſoleſcere cæpit, & Laicis omnibus ſub ſolâ ſpecie panis Euchariſtia diſtributa eſt. Verum initio Seculi 15 Joannes Huſs contra Communionem ſub unâ ſpecie vehementiſsime declamare cæpit, docens eos, qui Calicis uſum negligerent, magno ſacrilegio teneri. Gliſcenti maxime in Bohemia errori ſeſe oppoſuerunt Patres Concilii Conſtantienſis, qui anno 1415 Seſs: 13. definiverunt, *integrum Chriſti Corpus, & Sangvinem tam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini veraciter contineri* & tamquam hæreticos damnaverunt eos, qui hanc Eccleſiæ conſvetudinem, laudabiliter, & juſtis de cauſis introductam erroneam, ac ſacrilegam appellare auderent; Lutherus initio ſui Schiſmatis, uſum Calicis tamquam rem indifferentem habuit, ſed poſtea & ipſe Bohemis aſsentitus eſt. Calvinus ferocius Catholicos aggreſsus eſt, atque in Diaboli officina procuſum dixit eſse decretum, quod populo Calicem ſubtraxit. Hos errores proſcripſit Synodus Tridentina Seſs: 21 tribus ſequentibus Canonibus. 1mo: *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel neceſsitate ſalutis, omnes, & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem Sanctiſsimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumi debere, anathema ſit.* 2do: *Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis de cauſis, & rationibus adductam fuiſse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, ſub panis tantummodo ſpecie communicaret, aut in eo erraſse, anathema ſit*, 3tio: *Si quis negaverit totum, & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem, & auctorem, ſub una panis ſpecie ſumi, quia ut quidam falſo aſserunt, non ſecundum ipſius Chriſti inſtitutionem ſub utraque ſpecie ſumatur, anathema ſit.* Ex his autem evidenter conſequitur, eſse dogma fidei catholicæ, Communionem ſub utraque ſpecie non eſse ſingulis abſolute neceſsariam ac proinde non erraſse Eccleſiam, dum juſtis de cauſis Calicis uſum Laicis ſubtraxit.

Quæſ-

Quæres 6to: Istud dogma quibus argumentis comprobatur?

Resp: Hoc fidei dogma variis argumentis comprobatur. Et *1mo*: validifsima ista ratione. Ideo utriusque speciei fumptio foret absolute singulis ad salutem necessaria, quia sub una specie non sumeretur totus Christus. Sed quævis fpecies totum & integrum continet Christum, fubtracto calice, fub una panis fpecie totus, & integer continetur & fumitur Christus. Namque Joan: cap: 6. inquit Christus. *Qui manducat me, vivet propter me.* Porro non manducatur Christus nisi fub fpecie panis, & tamen manducatur totus, neque enim de manducante folum Corpus fuum poterat dicere. *Qui manducat me* cum folum Corpus ejus, non sit ipse, fed nonnisi pars ipsius. Sub fola ergo fpecie panis totus & integer fumitur Christus. Certe ubi fumitur Corpus Christi vivens, ibi fumitur & fangvis, & anima Christi, sine quibus Corpus illius vivens efse nequit. Jam vero dum fub fpecie panis Corpus Christi fumimus, vivens corpus illius fumimus, Christus enim, ut inquit Apostolus ad Rom: cap: 6. *resurgens à mortuis, jam non moritur*, feparatione autem facta Sangvinis à Corpore, mors necefsario consequitur. Igitur fub una folum fpecie panis, & vivens Corpus, & vita præditum Sangvinem fumimus, ac proinde utrumque. Anima vivificata, quibus hypostatica unione ipsa etiam divinitas copulata est. Proindeque fub una panis fpecie totus, ac integer accipitur Christus. Unde etiam fola panis fumptione tota Sacramenti gratia, totalis illius effectus nempe vita æterna, juxta Christi oraculum percipitur ipso attestante falvatore. Joan: cap: 6. *Hic est panis, qui de cœlo descendit, qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Cum itaque fub una panis fpecie & integer Christus, & totalis fructus, effectusque Sacramenti percipiatur, nulla est ratio cur afseratur utriusque fpeciei fumptionem omnibus, ac singulis fidelibus absolute efse ad falutem necefsariam. Atque eo argumento utuntur Patres Tridentini ad corroborandam doctrinam catholicam, sic enim Sefs: 21 cap: 1. loquuntur. *Qui dixit, nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus Sangvinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque: qui manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Et qui dixit, qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sangvinem, habet vitam æternam, dixit etiam: Panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita. Et denique,*

nique, *qui dixit: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sangvinem in me manet, & ego in illo*, *dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ex ipsis ergo Christi verbis manifestissimum efficitur, æqualem, ac eundem esse fructum, sive Christus sub duplici panis, & vini specie sumatur, sive sub una tantum panis specie accipiatur. Utriusque ergo speciei sumptio ad salutem omnibus, & singulis fidelibus nequit esse absolute necessaria.

Et vero Actorum cap: 2. de primis fidelibus sic scriptum est. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Quibus edocemur primos fideles sæpius sacram Eucharistiam, tantummodo sub specie panis sumpsisse. Verisimile quoque est Discipulos Christi in Castello Emaus sub una panis specie de manibus ipsius Christi Eucharistiam sumpsisse, quod multi SS. Patres affirmant. Non igitur ex Christi institutione utriusque speciei sumptio est singulis ad salutem absolute necessaria, alioquî nec illam primi Christiani ignorare poterant, neque ipsam trangressi fuissent.

2*do*: Idem dogma probatur Ecclesiæ Traditione, ex qua perspectum est, prioribus Ecclesiæ Sæculis non raro Eucharistiam sub una tantum specie administratam fuisse, & id constat *1mo*: ex eo, quod Eucharistia Infantibus baptisatis sub sola specie vini præbebatur, quia propter teneram tatem consecratum panem recipere non poterant, cum vero grandiores facti essent, tunc nonnisi reliquias sacrati panis consumandas Diaconi ipsis dabant. 2*do*: ex domestica communione. Nempe multi fidelium, qui publicis Ecclesiæ Sacrificiis adesse non poterant, sive propter tyrannorum persecutionem, sive quia longius ab Ecclesia distabant, pront Solitarii, omnes Eucharistiam domum sibi sub specie panis tantum deferebant illamque diu conservabant, & sumebant. Atque hujus reî locupletissimum testem habemus S. Basilium, qui in Epist: ad Cæsarium Patricium sic scribit: *Quod autem tempore persecutionis nihil mali sit, si quis absente Sacerdote Eucharistiam propria manu sumat, superfluum est demonstrare, propterea quod longa consvetudo, id reipsa confirmavit, omnes enim qui in eremis solitariam vitam agunt, ubi Sacerdos nullus est, Communionem Domini servantes per seipsos participant, in Alexandria vero & Ægypto unusquisque etiam ex Laicis, ut plurimum domi suæ habet com-*

munio

munionem, & cum vult, per seipsum communicat, etenim in Ecclesia Sacerdos particulam tradit, detinet autem eam cum libertate, qui suscipit. Hic S. Basilius de sola particula à Sacerdote tradita loquitur, & cum hæc Communio sæpe diu Domi servaretur, aliquando ad integrum annum, non poterat esse sub specie vini, quod cito in calidissimis illis Regionibus acescit, sed sub sola specie panis, unde etiam Tertullianus libro 3. ad uxorem, cum hujus consvetudinis meminit, de solo pane loquitur, sic scribens: *Non sciet Maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum esse credit, qui dicitur.* *3tio*: Ex Communione Infirmorum, quia scilicet non raro moribundis sub una specie panis Eucharistia tradebatur, cujus rei duo clarissima habemus exempla, unum Serapionis senis, cui graviter decumbenti, ut ex Dyonisio Alexandrino refert Eusebius libro 6. Hist: Eccles: missus puer à Sacerdote pariter ægrotante: *exiguam Eucharistiæ partem in aqua intinctam in os instillavit.* Alterum S. Ambrosii cui moribundo S. Honoratus Vercellensis, ut scribit Paulinus Diaconus in vita ipsius: *obtulit Sanctum Domini Corpus, quo accepto, ubi deglutivit, emisit spiritum.* *4to*: Ex Missis præsanctificatorum, quæ ex antiquissima consvetudine in Ecclesia Græca singulis Quadragesimæ diebus, Dominicis, & Sabbativis exceptis, in Ecclesia vero Latina nonnisi Parasceves die in solo pane excluso Calice celebratur, & in qua antiquitus sub sola specie panis fideles communicabant, sic enim habet ordo Romanus, qui octávi Sæculi fætus est, in officio feriæ quintæ majoris Hebdomadæ: *Pontifex sumat oblatas integras ad servandum usque mane diei Parasceves, de quibus communicent absque sangvine Domini, Sangvis vero eadem die, penitus consumatur.* Ubi totus sangvis feria quinta absumi præcipitur, oblatæ vero, seu formulæ integræ in diem Parasceves servari mandantur, ut de iis fideles sine Sangvine Domini communicent. Ex his ergo luculentissime apparet, prioribus etiam Sæculis sæpius sub una tantum specie Sacram Eucharistiam fidelibus traditam fuisse.

3tio: Tandem compertum & indubitatum est, illis etiam temporibus, quando Eucharistia communiter sub utraque specie fidelibus distribuebatur, liberum semper fuisse fidelibus eam sive sub una, sive sub duplici specie sumere. Et id constat *1mo*: quia Manichæi, qui vinum fel draconis reputabant, ad Sacra Mysteria accedentes diu Romæ latuerunt; quia Eucharistiam sub sola specie panis sumebant

mebant, non latitaſsent certe, si omnino etiam ſub ſpecie vini, á quo illi abhorrebant, ſumenda foret. De quibus sic loquitur S. Leo Magnus Serm: 4. de Quadragesimæ *Ut interdum tutius lateant, ore indigno Corpus Christi accipiunt, Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines his manifestentur indiciis:* Non ergo tunc arbitratum est singulos fideles Divino præcepto stringi ad Eucharistiam ſub duplici ſpecie ſumendam, alias & tunc omnes urgerentur ad communicandum ſub utraque specie, quod tamen non est factum, & Gelasius Papa, Leonis ſucceſsor, non ad Divinum præceptum urgendum, ſed solum ad detegendos latitantes Manichæos primo mandavit, ut singuli aut Sacramenta ſub duplici specie ſumerent, aut ab utraque repellantur. Ex quo facto apparet minime rarum fuiſse, ut fideles ſub una tantum ſpecie communicarent, alioquin non diu latuiſsent Manichæi, neque tanta cautione atque circumspetione ad eos detegendos opus fuiſse. 2do: Idem adstruit Communio Abstemiorum, eorum scilicet, qui natura à vino abhorrent. Narrat siquidem S. Hieronymus Epist 12. ad Eustach: fuiſse Romæ Virgines, quæ sic abhorrebant á vino ut ſpeciem ejus in mysteriis declinarent, neque tamen tunc ſpecie panis Eucharistici privabantur, neque ullus eas violati Divini præcepti arguebat. Sed & istiusmodi Abstemii ubique, & semper reperiebantur, neque credibile est eos ab Eucharistia ſub ſola specie panis recipienda prohibitos fuiſse.

Ex his omnibus adductis momentis clarum efficitur, prioribus Ecclesiæ sæculis multis in casibus Eucharistiam fidelibus ſub una tantum specie ministratam fuiſse, fidelibus autem liberum fuiſse sive ſub una tantum, sive ſub utraque ſpecie communicare, nulla quoque ſuppetit ratio, quæ utriusqe speciei urgeat ſumptionem, nullum hac de re extat Divinum præceptum. Utriusque igitur speciei sumptio non est singulis fidelibus ad salutem omnino neceſsaria.

Quæres 7mo: Ergo Ecclesia non erravit cum Calicis usum Laicis ſubtraxit?

Resp: Ex hucusque adductis sequitur evidentiſsime minime erraſse Ecclesiam dum iustis de causis Calicis uſum Laicis denegavit. Namque uſus, qui non est Sacramento Eucharistiæ eſsentialis, neque Divino præcepto demandatus, qui propterea ſpectat ad disciplinam, quæ mutari potest, immutari potest, maxime si Ecclesia ad id faciendum

ciendum habeat graves, congruas, ac utiles causas rationesque. Porro usus Calicis omnibus fidelibus, neque jure Divino præceptus est, neque Sacramenti Eucharistiæ essentialis censeri potest, Ecclesia tandem congruas, graves atque utiles habuit rationes illum Laicis denegandi, in hoc igitur puncto, neque ipsa erravit, neque culpari meretur. Istiusmodi autem causæ & rationes sunt sequentes *1ma*: Periculum irreverentiæ ex effusione Sangvinis Christi, quod teste Tertulliano jam tunc egre admodum ferebant fideles, & quod vix caveri posset, si populo Calix distribuatur, hoc enim & nunc apud Græcos sæpius evenire solet, ut testantur illi, qui occulis suis viderunt. *2da*: Communio infirmorum ad quos omni diei, noctisque hora deferendum est viaticum, istud autem difficile etiam sub specie vini deferri posset. *3tia*: Multitudo Abstemiorum, & eorum qui non sine nausea vinum haurire possunt è calice, qui jam multis oblatus fuit. *4ta*: Vini pluribus in locis raritas. *5ta*: Tandem necessitas supprimendi errorem illorum, qui pertinaciter negabant totum Christum sub alterutra specie contineri. Unde Concilium Constantiense Sess: 13. sic statuit. *Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie asserere præsumant, populum Christianum debere Sacramentum sub utraque specie panis, & vini suscipere, præsens Concilium definivit, quod hæc consvetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, postea à conficientibus sub utraque, & Laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissime credendum sit, & nullatenus dubitandum integrum Christi Corpus, & Sangvinem, tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri.*

Obijcies 1mo: Joannis Cap: 6. inquit Christus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis.* Hic utraque species conjungitur, utraque expresse sumenda præcipitur. Jllud ergo Divinum præceptum violant, qui Calicem Laicis subtrahunt. *2do*: Verbis Christi fideliter respondet Apostolus, Divini Magistri inculcans præceptum I. ad Corinth: Cap: 11. dicens: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Sumere panem & bibere Calicem jubet Apostolus in mortis Christi memoriam. Jam vero sine utriusque speciei sumptione non recte mors Christi recolitur, ut

enim

enim recte illa recolatur, oportet exprimere separationem Sangvinis Christi à Corpore ejus, quod non fit nisi seorsiva utriusque speciei ſumptione. Quare etiam statim ſubjungit Apostolus, & rotundis verbis omnibus demandat utriusque ſpeciei ſumptionem: *Probet autem ſeipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat.* 3tio: Nonnullæ etiam rationes evincunt uſum Calicis quoque deberi, quia per tot Sæcula Laicis Calix semper concedebatur, & ex ſumptione utriusque ſpeciei majorem ſuscipientes reportant gratiæ fructum, eo igitur Laici non ſunt privandi.

Resp: ad 1mum: Præcipitur à Christo ſumptio utriusque speciei disjunctive, non copulative, scilicet præcepit Christus ut vel Carnem ejus manducemus, vel Sangvinem ipsius bibamus, quare pariter satisfaciunt Christi præcepto, qui Carnem ejus ſub sola ſpecie panis manducant, ac illi qui Sangvinem illius ſub ſola ſpecie vini biberent, maxime quia qui ſub ſpecie panis manducat Carnem Christi, una etiam ſumit Sangvinem illius, & qui ſub una vini ſpecie biberet Sangvinem illius, simul & Carnem ipsius acciperet. Certe ex bene multis sacræ Scripturæ locis compertum est, particulam & sumi disjunctive, & poni loco particulæ *vel*, sic inter alia: dum Exodi Cap: 21. dicitur: *Qui percuſserit Patrem, & Matrem, morte moriatur.* particula & ſumitur pro *vel* & ſensus est: *Qui percuſserit Patrem, vel Matrem, morte moriatur.* Pariter dum Actorum Cap: 3. dicit Petrus: *Argentum & aurum non est mihi* particula & ſumitur disjunctive & ſensus est: *Argentum neque aurum non est mihi.* Pari modo in verbis Christi: *Nisi manducaveritis, & biberitis* particula & ſumitur disjunctive & ponitur loco particulæ *vel*, acque inde sensus est: *Nisi manducaveritis, vel biberitis...*, unde etiam Ecclesia Eucharistiam distribuebat, aliis ſub sola ſpecie vini, velut Infantibus, aliis ſub ſola ſpecie panis velut Abstemis, aliis denique ſub utraque. Et vero verba Christi: *Nisi manducaveritis, & biberitis* disjunctive, non autem copulative eſse intelligenda, series totius Capitis 6ti S. Joannis evincit: quod enim Christus attribuit modo Carnis, & Sangvinis ſumptioni, idem mox tribuit solius panis manducationi dicens: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis quem ego dabo Cara mea est pro mundi vita..., Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ex quo manifestiſsime datur intelligi, hoc unicum fuiſse Christi intentum, ut nobis notum faceret, nos vitam æternam aſsequi sive manducando Carnem ejus, sive

bibendo Sangvinem illius, & vitam æternam nos habere non posse, si ingrati ejus beneficiis, neque manducemus Carnem ejus, neque bibamus Sangvinem ipsius.

Sed præterea oportet distingvere rem ipsam præceptam, à modo quo ipsa fieri debet, aliquando res ipsa præcipitur non modus rei: Sic Baptismus præceptus est, dictumque est à Christo *docete. .baptisantes...*non tamen modus baptisandi imperatus est, unde baptismus conferri potest sive immersione, sive aspersione, sive infusione, sic quoque præceptum est ut Corpus, & Sangvinem Christi sumamus, sed non est præceptum, ut illud sub bina vel sub unica specie sumamus.

Dices: Eo modo sumenda est Eucharistia, quo modo illam Christus instituit, atque Apostolis distribuit, ideoque dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Porro Christus, sub utraque specie Eucharistiam instituit & sub utraque illam distribuit. Sub utraque ergo sumenda est.

Resp: Multa Christus fecit, quæ non cadunt sub illius præceptum, æquum quidem est, ut ea quæ Christus in Sacramentorum institutione gesserat, & quæ ad illorum essentiam pertinent, fideliter observemus, sed non omnia quæ Christus Sacramenta instituendo gesserat, ad eorum essentiam pertinere voluit, non ergo hæc necessitate aliqua observanda sunt, cum ipse Christus Ecclesiæ potestatem dederit, illa pro temporum exigentia immutandi, prout docet Concil: Trident: Sess: 21. Cap: 2. Unde licet si Christus sub duplici specie Eucharistiam Discipulis suis tradiderit, non continuo præcepit ut omnibus, & singulis sic distribueretur. Verum est, præcepit Apostolis suis Christus: *Hoc facite in meam commemorationem.* Sed hoc præceptum spectat consecrandam Eucharistiam, non eam distribuendam, ut enim docet idem Concil: Trident: Sess: 22. Cap: 1, Christus *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sangvinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit, per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.* Certe in ultima cæna Christus & Sacramentum instituit, & Sacrificium, verum alia sunt quæ spectant ad rationem Sacrificii, alia quæ pertinent ad rationem Sacramenti, quod ergo & panem, & vinum benedixerit, consecraverit, maxime Sacrificium spectant atque

que ad illud verba Christi referuntur: *Hoc facite in meam commemorationem*: quibus Apostolos Sacerdotes instituendo, illis & sacrificandi, & consecrandi Corpus, ac Sangvinem ſuum potestatem dedit, quod vero illis dederit Corpus ſuum ad manducandum, & Sangvinem ad bibendum, hoc ad rationem pertinet Sacramenti, neque ad hoc appositum est Christi præceptum, ut & ipsi eodem modo facerent, omnibus ac singulis Corpus ipsius ad manducandum, & Sangvinem ad bibendum ſub ſeorsiva panis & vini ſpecie porrigendo.

At inquies: Math: Cap: 26. Christus porrigens Calicem dixit: *Bibite ex eo omnes*: & sicuti omnibus fidelibus præceperat Carnem ſuam manducare dicens: *Manducate*... ita etiam omnibus fidelibus præceperat bibere Sangvinem ſuum, dum ait: *Bibite*.

Resp: Omnia quæ in ultima Cæna Christus fecit. & dixit, ad ſolos Apostolos directa ſunt, ut manifestiſsime apparet ex tota rerum ſerie. Ut enim narrant SS. Evangelistæ, vespere facto discumbebat cum duodecim Discipulis ſuis. Cænantibus autem eis, accepto pane gratias egit, deditque discipulis ſuis, dicens: Hoc est Corpus meum, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cænavit dedit illis, dicens: Bibite ex eo omnes, & biberunt ex eo omnes. Cum solis itaque discipulis cænabat Christus, ipsis solis panem & calicem porrexit, ipsi soli & panem consecratum manducarunt, & de calice biberunt, ipsis solis juſsit, manducate, bibite, dividite inter vos, ipsis ſolis præcepit, hoc facite in meam commemorationem, ut scilicet Corpus & Sangvinem ipsius consecrarent, offerrent, manducarent, & biberent, quæ omnia Apostoli impleverunt, & modo adimplent illi, qui ipsis in Ministerio ſuccedunt, aliunde ergo repetendum est Christi præceptum, quo omnes fideles ad sacram Eucharistiam recipiendam, adstringuntur, non vero ex iis unice eruendum, quæ in ultima Cæna Christus constituit, mandavit, hæc enim cum maxime Eucharistiæ institutionem, atquæ novæ legis Sacrificium ſpectent, ad ſolos Apostolos directa ſunt, ad ceteros proinde fideles trahi nequeunt.

Ad 2dum: Apostolus Paulus rem á Christo in ultima Cæna gestam compendiose narrat, docetque fideles quod ea & ipsi facere debeant, scilicet *amo*: In Christi commemorationem, manducare panem, ac bibere calicem, mortem atque paſsionem ipsius sibi in memoriam revocando.

unde

unde statim ſubdit: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* 2do: Digne, quare statim inculcat ut quilibet ſeipsum probet, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, alias: *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.* Nullum vero hic Apostolus tradit præceptum de ſumenda ſub duplici ſpecie Eucharistia, imo non obscure insinuat, tunc etiam ſub una ſpecie sive panis, sive vini aliquando ſumi conſveviſse, manducationem panis, à ſumptione calicis dividens, ac discernens dum ait: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem indigne, reus erit Corporis & Sangvinis Domini.* Utrumque autem ſeorsive ex Christi facto, & dicto, & panem manducare, & calicem bibere jubet Apostolus in commemorationem Salvatoris, & ipse Christus Lucæ Cap: 22. distributo Apostolis pane consecrato dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ex quo patet, per ſumptionem etiam unius ſpeciei Eucharisticæ, mortem Christi in memoriam revocari.

Ad 3tium: Verum est quod per multa sæcula Laicis dabatur Calix consecratus, ſed 1mo. id non fiebat necesſitate ſalutis, quia & infantibus Eucharistia tradebatur, & tamen sine ea infantes, si ante uſum rationis moriantur, ſalvantur. 2do: Dabatur Laicis Calix consecratus, ſed non omnibus, neque ſemper, cum in variis circumstantiis, sine Calice ſub ſola panis ſpecie multis Eucharistia fuerit administrata. Præterea non omnia quæ facta ſunt, necesſario fieri debent, nisi ea facienda Christus præceperit: Sic per multa Sæcula Baptismus immersione conferebatur, quia tamen hoc Christus non præceperat, non omnino nunc etiam per immersionem baptisandi ſunt, ita pariter licetsi per plurima Sæcula Calix consecratus fidelibus tribuebatur, quia id nullibi Christus præceperat, non continuo nunc quoque illis tribui debet, & quemadmodum ex eo, quod prioribus Sæculis Baptismus variis modis conferebatur, immersione, infusione, aspersione, evidenter consequitur modum abluendi non fuiſse â Christo præceptum, dummodo vera eſset ablutio, & Ecclesiam habere potestatem ad baptisandum immersione, sive infusione, sive etiam aspersione, ita etiam ex eo, quod Eucharistia prioribus Sæculis variis modis distributa fuerit, modo ſub duplici distinctim specie, seorsive calicem consecratum, ſeorsive panem benedictum porrigendo, modo ſub duplici ſpecie conjunctim, panem ſanctum in consecrato vino intinctum

tinctum, modo ſub ſola ſpecie vini velut infantibus, modo ſub ſola panis ſpecie quemadmodum infirmis, neceſsaria consecutione inferendum est, modum distribuendæ Eucharistiæ non fuiſse à Christo ordinatum, neque præscriptum, Ecclesiamque habere potestatem, sive hoc, sive illo modo eam fidelibus distribuendi.

Nihil etiam Laici deperdunt, dum ſub una ſpecie panis sine Calice, Eucharistiam ſuscipiunt, quia & ſub una tantum ſpecie communicantes totum, & integrum accipiunt Christum, qui, ut docet Concilium Trident: Seſs: 21. Cap: 3. ſub unaquaque ſpecie totus est omnis gratiæ fons, ac largitor, atque sive una, sive duplex ſpecies ſumatur, unum idemque Sacramentum recipitur, eo modo, quo unum idemque est Sacramentum sive una Eucharistici panis particula, sive plures simul accipiantur, sive uno haustu, sive pluribus consecratus calix ebibatur, una proinde etiam eademque gratia recipitur nec minuitur sive una, sive duplex Eucharistiæ sumatur species.

CAPUT TERTIUM

De Missæ Sacrificio.

Sacrificium generatim acceptum omnes complectitur Religionis actus, quibus homo semetipsum, ſuosque actus Deo offert. Sed tunc Sacrificii nomen latius ſumitur pro omni actione quæ in gloriam Dei cedit, ut eleemosynæ largitio, Divinæ laudis decantatio, quare Psal: 49. dicitur: *Sacrificium laudis honorificabit me*, & iterum: *Immola Deo Sacrificium Laudis* ac etiam Psal: 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Aliquando autem Sacrificii nomen accipitur pro oblationibus quæ fiunt in usum templi, & Ministrorum, & sic primitiæ, ac decimæ nonnunquam Sacrificia vocitantur. Verum hæc non ſunt Sacrificia proprie dicta, ſed nonnisi latius accepta, hic vero inquiri Sacrificium proprie ac stricte tale, quod scilicet soli Deo, in recognitionem ſupremi ipsius in res omnes dominii offertur, & quod omnes Catholici, frustra contradicentibus Hæreticis, etiam in nova lege à Christo institutum eſse, firmiter confitentur.

ARTICU-

ARTICULUS 1mus

De natura & existentia Sacrificii novæ legis.

Quæres 1mo: Quid sit Sacrificium?

Resp: Hic inquiritur quid sit Sacrificium proprie dictum, atque stricte acceptum. Hujus autem alia est apud Catholicos, alia apud præsentis ætatis Hæreticos definitio. A Philippo Melanchtone Sacrificium dicitur: *Cæremonia, vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus.* Sed male: Namque stante ista definitione omne, quidquid in honorem Dei præstatur, omnia virtutum opera, erunt proprie dicta Sacrificia, quia Deo, ut eum honoremus offerri posſunt. Porro nec virtutum opera, nec omne id quod in honorem Dei præstatur verum ac proprie dictum eſse potest Sacrificium. Enim vero Scriptura Sacra multorum virtutum opera Sacrificiis opponit & ab illis discernit, sic Oseæ Cap: 6. *Misericordiam volo non Sacrificium* 1. Regum Cap: 15. *Melior est obedientia, quam victima.* Si autem opera virtutum forent Sacrificia proprie dicta, jam non staret ista oppositio, ac discretio, neque enim Sacrificium Sacrificio rite opponi potest, unde etiam Augustinus libro 8. de Civit: Dei Cap: ult: ait: *Unum est Sacrificium Christianorum.* Jam vero si, quæcunque ad colendum Deum fiunt, vera forent Sacrificia, non unum, sed innumera Christianis eſsent Sacrificia. Deus enim innumeris modis colitur. Tandem ad verum, & proprie dictum Sacrificium, prout ſemper in usu fuit, requiritur Altare, quare nullum uspiam creatum est altare, nisi ad Sacrificia offerenda. Constat vero non ad omnia, quæ in honorem Dei eliciuntur, non ad virtutum actus altare requiri. Non ergo eſse posſunt Sacrificia proprie dicta.

Calvinus Sacrificium eſse dixerat. *Quidquid omnino Deo offertur*; ſed & hæc definitio non est melior præcedenti, quia ipsum Sacrificii nomen mactationem ſonat, non omne autem id mactatur, quod Deo offertur, & Exodi cap: 25. ac 35. offerri dicuntur Deo lapides pretiosi, byſsus, cocus, quin & Levitæ in munus Domino offeruntur, vere etiam æris minuta duo obtulit illa vidua, de qua Lucas cap: 22, nullum tamen ex iis vere, & proprie Sacrificium dici potest. Igitur Calviniana Sacrificii definitio manca est, & vero Sacrificio minime quadrat.

Itaque omnes Catholici Sacrificium proprie dictum, sic definiunt. *Est oblatio rei externæ ac ſensibilis, mystice*

stico ritu consecratæ, cum illius destructione, vel immutatione, per legitimum Ministrum soli Deo facta in recognitionem supremi ipsius in res omnes creatas dominii. Sacrificium igitur proprie dictum debet esse *1mo:* oblatio rei sensibilis, quia Sacrificium, prout semper fieri consvevit, est actio, qua homines in ejusdem Religionis societatem coadunati, publicum Deo honorem, cultumque per manus delecti Ministri exhibent. Hæc autem actio sensibilis esse debet. Neque enim aliter homines inter se convenire possunt, nisi per signa sensibilia, aut publicum Deo exhibere cultum, nisi per aliquid sensibus subjectum. Res ergo sensibilis offerri debet. Unde Augustinus libro 14 de Civit: Dei cap: 5. Sacrificium definit. *Invisibilis Sacrificii Sacramentum,* hoc est, signum sacrum & externum. Sed Apostolus ad Hebr: cap: 8. sic inquit. *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur, unde necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat.* Quemadmodum ergo ad veri Sacrificii rationem prærequiritur Pontifex, ita & necessariæ sunt visibiles hostiæ, & munera, quæ per Pontificem offerantur.

2do: Soli Deo ista oblatio fieri debet, & quidem in ipsius cultum, atque recognoscendum supremum illius in res omnes creatas dominium. Soli quippe Deo debetur supremus latriæ cultus, quem Sacrificio exhibemus. Unde Exodi cap: 22. *Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli,* quare S. Augustinus libro 10 de Civit: Dei cap: 4 inquit. *Quis sacrificandum esse censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit.* Primarius itaque Sacrificii finis est, ut & infimam nostram erga Deum subjectionem protestemur, & Deum ipsum recognoscemus ut supremum nostrum Dominum, in cujus honorem, & cuncta nostra & nos ipsos sacrificare, ac immolari, in nihilumque redigere, si id ipse exigat, parati sumus, quod cum ipse non exigat, sed & prohibeat, loco nostri aliam rem ei offerimus, eamque immolamus.

3tio: Debet res illa sensibilis per legitimum Ministrum consecrari, & offerri, quia scilicet res, quæ Deo offertur, debet ex profana fieri sacra, quod & in antiqua lege certo aliquo fiebat ritu, scilicet vel manuum impositione super victimam, sive ejus in altum elevatione. Atque id vel ipsum verbum *sacrificare* denotat, quod idem est, ac rem sacram facere. Ad quod legitimus requiritur Minister. *Nec enim* ut docet Paulus Hebr: cap:

5.

5. *quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron*, unde Saul reprobatus fuit, Osias castigatus, quia cum non essent Sacerdotes, Sacrificium offerre præsumpserunt, & attentarunt.

4to: Res sensibilis oblata debet destrui, aut immutari sive igne, sive partium divisione, sive consumptione. Et id constat ex omnibus omnium nationum Sacrificiis Judæorum, Gentilium, in quibus aut animalia occidebantur, aut fruges terrebantur, aut liquores fundebantur, aut res odoriferæ cremabantur. Et hoc à simplici oblatione differt verum ac proprie dictum Sacrificium. Certe per Sacrificium contestamur Deum esse supremum vitæ & necis Dominum, qui sicut creare omnia potuit, sic & omnia destrure valet. Id autem optime fit, cum res Deo oblata destruitur, consumitur, immutatur ita, ut jam in alio sit statu, quam ante fuerit.

Quæres 2do: Utrum ad Dei cultum Sacrificio opus sit?

Resp: Ad cultum Dei Sacrificio opus est. Enimvero supremum latriæ cultum Dei exhibere necesse est, istiusmodi namque cultus ipsius Dei proprius est, nec ulli alii sine gravissimo idololatriæ crimine exhibere unquam potest. Porro nonnisi Sacrificio exhibetur Deo supremus latriæ cultus, qui cum Deo necessario præstari debeat, ad eum præstandum Sacrificio omnino opus est. Quare, omnes omnium temporum nationes Sacrificiis semper ad colendum Deum utebantur, quæ consvetudo ab ipso mundi cæpit exordio; unde S. Augustinus de Civit. Dei cap: 4. sic inquit. *Quam antiquus sit sacrificandi Deo cultus, duo illi fratres Cain & Abel satis indicant, quorum majoris Deus reprobavit Sacrificium, minoris aspexit*, quare Sacrificia mundo coæva sunt, tam in statu legis naturalis, quam in statu legis Mosaicæ à Deo præscripta, imperata, ipsique grata, & accepta fuerunt. Cultus igitur quem Deo debemus, exigit, atque expostulat ut ipsum Sacrificio honoremus, & colamus. Et certe viri quique sanctiores quicunquam in terris à primis sæculis floruerunt Abel, Noe, Abraham, Melchisedech, & alii innumeri, Sacrificia Deo obtulerunt, ipso vel inspirante, vel imperante, vel etiam approbante, & collaudante. Convenientissimum itaque, ac omnino competens est, ut Sacrificium Deo offeramus, per quod & divinam Majestatem honoremus, recognoscamus, supremum in nos Dei dominium, atque nostram erga ipsum

infimam

infimam subjectionem profiteamur, atque contestemur.

Hinc jam ab ipso principio luculentissime apparet in Religione Christiana debere esse quodpiam Sacrificium. Sacrificium namque est pars maxima cultus Divini, cum igitur in Christiana Religione cultus divinus vigeat, necesse itaque est, ut Sacrificium quodpiam habeamus, illudque Deo offeramus. Et certe Sacrificium est ordinatum ad cultum supremo Numini exterius demonstrandum, pertinet ergo ad ipsius Religionis essentiam, & necesse est, ut in ea aliquid existat, quo cultus Deo debitus præstetur, quod ita apud omnes Gentes, & per omnes ætates persvasum, ac receptum fuit, ut nulla unquam Religio extiterit, quæ externo careret Sacrificio. Neque aliam ob causam ab illusis, atque deceptis hominibus, tenebrarum Angelus sibi Sacrificia expetiit, nisi quia, ut observat S. Augustinus, compertum ipsi erat, hæc ab hominibus Deo præstanda esse. Æquum itaque est, ut & Christiana Religio aliquod Sacrificium haberet. Cumque ipsa sola vera sit, ac Divina Religio, ipsaque sola purum, ac immaculatum contineat Dei cultum, ipsi soli competit verum ac Deo gratum habere Sacrificium, sine hoc nec vera esset Religio, nec Deo dignum exhiberet cultum, quod cum dici nequeat, necesse omnino est, ut Christiana Religio verum habeat Sacrificium. Et revera ab initio statim Christianæ Religionis erant Pontifices, Sacerdotes, erant Templa, altaria, erant ergo & Sacrificia. Sacerdotes namque à sacrificando vocitantur, & *omnis Pontifex* ut inquit Paulus Hebr: cap: 5. *pro hominibus constituitur ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis,* Templa quoque & Altaria ad Sacrificandum nonnisi erecta sunt.

Quæres 3tio: An ergo reipsa est in Ecclesia Christi verum, ac proprie dictum Sacrificium?

Resp: Esse in Ecclesia Christi verum, ac proprie dictum Sacrificium negarunt Petrobusiani, Albigenses, & nonnulli alii vetustiores Hæretici. Cum vero semper Ecclesia Christi agnoverit Eucharistiam verum esse Religionis nostræ Sacrificium, ipsumque in Missa Sacerdotum Ministerio perfici crediderit, contra illud Lutherus, Calvinus, Zwinglius Oecolampadius cum suis asseclis magno furore declamati sunt. Sed non obstantibus prædictis Hæreticorum clamoribus, Concilium Tridentinum Sess: 22. Can. 1. definivit in Missa verum offerri Sacrificium, & contradicentes huic dogmati, anathemate damnavit, his verbis:

verbis: *Si quis dixerit in Mifsa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam Christum nobis ad manducandum dari, anathema sit.* Certe quoniam Christus novus erat legislator, legisque veteris Sacrificia abrogavit, voluit ipse novum instituere Sacrificium, quod utilitate, & excellentia omnia, quæ prius fuerant, longe antecelleret, istud vero aliud non est, nisi hoc, quod in Mifsa Deo offertur, quod si istud non sit, iam nullum in Christiana Religione erit Sacrificium, quod efse nequit.

Quæres 4to: Quibus evincitur dari in Christi lege verum ac proprie dictum Sacrificium?

Resp: Id evincitur Prophetarum oraculis. Et quidem *1mo*: Malachiæ cap: 1. sic habemus. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Ex quibus clare evincitur Mefsiæ temporibus novum, à veteribus diversum instituendum efse Sacrificium, illudque in universo terrarum orbe offerendum efse. Quod & ipse confirmat Christus tacite alludens ad verba Prophetæ, quando Joannis cap: 4. Mulieri Samaritanæ dicenti sibi, *Video quia Propheta es tu, Patres in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet*, respondit dicens: *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque Jerosolymis adorabitis Patrem*, ac statim subiungit. *Venit hora & nunc est, quando veri Adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* Certe dubium non est, hic per adorationem Sacrificia etiam intelligi, quia & in Monte Garizim Samaritani, & in Templo Jerosolymitano Judæi Deum adorabant Sacrificia offerendo. Quod ergo à longe Malachias prædixerat, iam prope implendum Christus annuntiat, ut fcilicet aboletis veteribus Sacrificiis novum longe à prioribus diversum, & sublimius instituendum efset, certis locis minime alligatum, & à veris adoratoribus in spiritu & veritate Patri offerendum. Efse igitur debet Mefsiæ temporibus novum Sacrificium, à veteribus Mosaicæ legis facrificii diversum, nulli loco adstrictum, per totum terrarum orbem in fpiritu & veritate offerendum, cuius oblatio munda, & incontaminata nomini Domini reddatur. Porro istiusmodi in lege Christi Sacrificium aliud non est, quam Mifsæ Sacrificium. Hoc enim ab

ab ortu ſolis usque ad occasum in omni loco offertur, offertur in ſpiritu & veritate, oblatio ejus est munda & incontaminata. Igitur in nova Christi lege & est verum ac proprie dictum Sacrificium, & illud aliud non est, nisi Miſsæ Sacrificium. Quare antiquiſsimi SS. Patres Justinus, Irenæus, Chrysostomus, Hieronymus, aliique vaticinium Malachiæ de Sacrificio Miſsæ Eucharistico intellexerunt. S. Justinus in Dialogo cum Tryphone Judæo, Malachiam Prophetam adducens sic loquitur. *De nostris, quæ in omni loco offeruntur, ſacrificiis, hoc est pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.*

Dices: Malachias Propheta loquitur vel de Sacrificio quod semel in cruce Christus perfecit, vel de ſacrificiis bonorum operum, quæ in omni loco Deo offeruntur. Nihil ergo hic de Miſsæ Sacrificio.

Resp: Propheta Malachias non loquitur de Sacrificio Crucis, quia ipse loquitur de Sacrificio quod inter omnes gentes, & in omni loco erat Deo offerendum. Sacrificium vero Crucis semel tantum Hierosolymis oblatum fuit.

Non etiam locutus est Propheta de Sacrificiis bonorum operum, quia hæc non ſunt proprie dicta Sacrificia, Malachias autem loquitur de proprie dicto, externoque Sacrificio, de eo scilicet: quod non ab omnibus, sed à solis Sacerdotibus & quidem super altare offerendum est, illud siquidem Propheta opponit veris, & proprie dictis Sacrificiis, atque oblationibus veteris legis, in quorum locum succedere debebat & quæ à solis Sacerdotibus super altare offeri poterant, ait enim ad eos: *O Sacerdotes qui despicitis nomen meum. Offertis super altare meum panem pollutum, Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est. Et si offeratis claudum, & langvidum nonne malum est*, post hæc autem prosequitur. *Non est mihi voluntas in vobis.* Sacrificia autem bonorum operum nec Altare, nec Sacerdotem requirunt, sed ubique, & à quolibet offeri poſsunt. Non itaque Malachias loquitur de ſacrificiis bonorum operum, quæ impropria ſacrificia vocitantur, sed de Sacrificio vero, proprie dicto atque externo, quod altare, atque Sacerdotem expostulat. Et vero juxta Malachiæ Prophetiam Sacrificia antiquæ legis abolenda erant, & Sacrificium novum illis substituendum. Porro Sacrificia bonorum operum semper & in lege

ge naturæ, ac etiam ab ipso conditi orbis exordio, ab iis qui Deo placuerunt oblata sunt, neque à Deo abolita sunt. Non sunt ergo illa oblatio munda, quæ Deo ab ortu solis usque ad occasum offerenda prædicitur.

2do: Psaltes Regius prædixit Christum Sacerdotem fore non ex Aaronis stirpe, sed juxta ordinem Melchisedech, sic enim in spiritu Christum alloquitur Psal: 109. *Tu es Sacrdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ex quibus sic licet argumentari. Christus est verus Sacerdos, & ut inquit Paulus ad Hebr: cap: 7. *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Sacrificium ergo offerre debuit, atque illud in perpetuum durans constituere, alioqui vel non eſset Sacerdos, vel Sacerdotium ipsius non eſset sempiternum, quia ut docet idem Apostolus Hebr: cap: 8. *Omnis Pontifex ad offerendum hostias constituitur.* Cum igitur Christus & Sacrificium obtulerit, & illud permanenter instituerit omnino consequitur eſse in Christi Ecclesia verum, ac proprie dictum Sacrificium. Jllud vero aliud non est, nisi Miſsæ Sacrificium. Enimvero, Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, obtulit ergo, atque instituit Sacrificium secundum ordinem, & morem quo illud Melchisedech obtulit, de eo autem sic legimus Genesis cap: 14 *Melchisedech Rex salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſsimi, benedixit ei*, hoc est Abrahamo, cui obiviam venerat. Atque secundum hunc ordinem & morem Christus ipse Sacrificium & obtulit, & offerendum instituit, ut prolixe narrant SS. Evangelistæ secundum hunc quoque ordinem, & morem in Miſsa Sacrificium persolvitur. Ergo Sacrificium â Christo Domino ſecundum ordinem & morem Melchisedech institutum, est ipsum Miſsæ Sacrificium.

Huic argumento robur maximum inde accedit, quod eo SS. Patres frequenter utantur S. Cyprianus Epist: 63. sic inquit. *Quis magis Sacerdos, quam D. N. J. Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem, & vinum, suum scilicet Corpus & Sangvinem*, & Augustinus libro 16. de Civit: Dei cap: 28. de oblatione Melchisedech hæc habet. *Jbi primum apparuit Sacrificium quod nunc à Cristianis offertur Deo toto orbe terrarum.*

Dices: Melchisedech Sacrificium nullum obtulit, quia in textu hebraico non habetur, quod ipse panem & vinum obtulerit, sed *exire fecit panem & vinum* Abrahamo nempe

nempe, ut eum, ipsiusque milites in prælio defatigatos reficeret. Et præterea in eodem textu hebræo verba *Erat enim Sacerdos*, quasi ea esset ratio & causa cur panem protulerit, non habentur, sed legitur. *Erat autem Sacerdos*, *& benedixit* Abrahamo.

Resp: Quocunque modo legatur textus, quo actio Melchisedech describitur, semper manifeste apparet Melchisedechum verum Sacrificium in pane & vino obtulisse. Namque tota ratio cur Melchisedech panem & vinum protulerit, ea est, quod esset *Sacerdos Dei altissimi*, & id in textu hebræo Samaritano præssius declaratur his verbis, *protulit panem & vinum, quia ipse erat Sacerdos Dei altissimi*. Hæc autem ratio nullatenus ad rem pertineret, nisi Melchisedech panem & vinum ad Sacrificandum protulisset. Igitur Melchisedech, *exire fecit panem & vinum*, hoc est, ut observat Clemens Alexandrinus, ad Sacrificandum protulit, ut scilicet Deo offerret Sacrificium in gratiarum actionem, pro parta de hostibus per Abrahamum victoria. quod etiam ex consequentibus apparet, cum ait: *Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum & terram. Et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Oblatio ergo illa panis & vini à Melchisedecho facta non fuit mere civilis, sed verum continebat Sacrificium. Neque dici potest Melchisedechum panem & vinum obtulisse Abrahamo ad refocillandos ipsius socios ex bello & itinere fatigatos, quia ex eodem Genesis Cap: 14. constat Abrahamum ingenti præda onustum reversum fuisse. Non itaque pane & vino Melchisedechi opus habuit ad suos refocillandos. Et vero in laudato Genesis Cap: 14. signanter additum est, Melchisedechum fuisse Sacerdotem Dei altissimi, ad quid vero ista additio si ibi non agebatur de Sacrificio offerendo, si Melchisedech Sacrificium ex pane & vino obtulerat, munus Sacerdoti proprium non exercuit, frustra additum est eum Sacerdotem fuisse Dei altissimi, neque enim Sacerdotio Melchisedecho opus fuit, ut Abrahæ benedictionem impertiret, cum etiam alii, qui non erant Sacerdotes, benedictionem largiti sunt, prout docet exemplum Salomonis, qui licet non fuerit Sacerdos, attamen 3. Regum Cap: 8. populo benedixit. Non ergo ideo Melchisedech Sacerdos dictus est, quia Abrahæ benedixit, sed quia munus Sacerdotale tunc peregit, sacrificium ex pane & vino offerendo. Sive itaque legatur: *Erat enim Sacerdos*: sive etiam *Erat autem Sacerdos* semper verum est, Melchisedechum

sedechum panem ac vinum protulifse, & obtulifse, quia Sacerdos erat, adque Sacerdotem ideo nominatum fuisse, quia panem & vinum obtulit. Tandem notum est omnibus particulas *enim, autem*, reciprocè fumi, unam pro alia, per illarum proinde mutationem, sensus dictionis non immutatur.

Quæres 5to: Quo præterea probari pofsit, in nova lege verum efse à Christo institutum Sacrificium?

Resp: Id solide probatur ex ipsa Sacrificii institutione à Christo facta tempore ultimæ Cænæ, quam pridie mortis suæ fecit. Rem sic narrat S. Evangelista Mathæus Cap. 26. *Accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis fuis, & ait, accipite, & commedite, hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes, hic est enim Sangvis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remifsionem peccatorum.* Ex hac autem brevi relatione certo constat, Christum cum hæc efficeret, ac præstaret veri nominis Sacrificium & obtulisse, & instituisse. Quæ enim ad constituendum Sacrificium concurrere debent, omnia illa in hac Christi actione reperiuntur, nimirum benedictio, gratiarum actio, fractio, divisio partium, Corpus à Sangvine si non reipsa, mystice tamen separatum. Adfuit præterea hostiæ participatio, res externa, ac sensibilis, qui denique hæc omnia præstabat Christus, Sacerdos erat secundum ordinem Melchisedech. Cum itaque Sacrificio efsentialia sint, ut res sensibilis mystico ritu consecrata, cum ejusdem immutatione, destructione, consumptione per delectum Ministrum, Sacerdotem nimirum Deo offeratur, & hæc omnia Christus in ultima fua Cæna perfecit, tunc ergo verum Sacrificium obtulit, illudque etiam pro semper instituit, dicens Apostolis fuis: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis & Apostolos, Sacerdotes instituit, sacrificandi potestatem illis dedit, & ut sacrificarent imperavit. Istud autem Sacrificium quod in ultima fua Cæna Christus instituit aliud non est, quam ipsum Mifsæ Sacrificium, quia & ipsum in pane & vino conficitur, in eo Corpus & Sangvis Christi sacrificatur, verbis Christi, & forma ac ordine ab ipso constituto persolvitur, denique Sacerdos personam Christi gerens illud perficit. Unde præclare S. Irenæus libro 4. adversus. Hæreses Cap: 32. sic inquit: *Novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo.*

Dices:

Dices: Iis, quæ Christus in ultima sua Cæna gessit; futurum mox Sacrificium Crucis prænuntiavit, nullum vero tunc ipse Sacrificium aut instituit, aut celebravit, quod vel inde patet, quia & de Corpore suo dixit, ut habet Apostolus 1. Corinth: Cap: 11: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, de Sangvine vero suo apud omnes tres Evangelistas inquit: *qui pro multis effundetur*. Cum igitur in ultima Cæna neque Corpus Christi traditum sit, neque Sangvis illius effusus, sed hæc nonnisi in Cruce facta sunt. Non ergo in Cæna Christus Sacrificium aut obtulit, aut instituit; sed nonnisi mox in Cruce offerendum prænuntiavit & præsignavit.

Resp: Christus in ultima Cæna Corpus, & Sangvinem suum conficiens, semper aut fere semper in præsenti loquitur, dicens Lucæ Cap: 22. *Hoc est Corpus meum quod pro vobis datur*, & quamvis SS. Mathæus, Marcus, secundum nostram vulgatam Scripturæ translationem habent in futuro Christum de Sangvine suo locutum fuisse: *Hic est Sangvis...qui effundetur* & Paulus de Christi Corpore, ab eo dictum refert, *quod pro vobis tradetur* attamen in græco Apostolus de Corpore suo Christum in præsenti pronuntiasse refert, *quod pro vobis frangitur*, ac de Sangvine SS. Mathæus, Marcus, & Lucas dicunt: *qui pro vobis effunditur*. Igitur in ultima Cæna dabat Christus Corpus suum, & frangebat, dabat, & effundebat Sangvinem suum, & quidem non solum dabat Corpus suum ad manducandum, & Sangvinem suum ad bibendum, sed dabat, & fundebat pro ipsis Apostolis, & pro aliis multis in remissionem peccatorum. Jam vero Corpus suum pro suis Apostolis, ac aliis multis dare, Sangvinem suum pro ipsis in remissionem peccatorum fundere, quid est aliud, quam Corpus, & Sangvinem suum pro eorum salute offerre. Igitur Christus in ultima Cæna sua verum Sacrificium instituit, & illud Ipse etiam obtulit. Unde præclare Patres Tridentini Sess: 22. Cap: 1. sic concludunt: *Christus sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sangvinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit.*

Et vero quemadmodum certum est ac indubitatum, Christum in Cruce verum Sacrificium obtulisse, quia in Cruce Corpus suum dedit, & Sangvinem suum fudit pro nobis in remissionem peccatorum, ita pariter credendum est ipsum in ultima Cæna verum Sacrificium obtulisse, quia sub speciebus panis, & vini Corpus suum dedit & Sangvinem

gvinem suum fudit pro multis in remissionem peccatorum. Neque incompetens est dicere, quod Christus sese immolaverit in mysterio priusquam se immolaret in effectu pendens in Cruce, dicit namque Apostolus Hebr: Cap: 10 de Christo: *Ingrediens in mundum dicit* (Patri) *Hostiam & oblationem noluisti, Corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio*, ex quo patet, quod Christus sese obtulerit & sacrificaverit statim ac mundum ingressus est, ac proinde priusquam sacrificaretur in Cruce, imo, jam in veteri lege in victimis fide Patriarcharum immolabatur, quod innuit S. Joannes Apocalip: Cap: 13. dicens de Christo *qui occisus est ab origine mundi.* Si ergo potuit Christus ingrediens mundum & ab ipso etiam mundi exordio sacrificari modo incruento, poterat & in ultima cæna immolari antequam modo cruento in Cruce immolaretur.

Quæres 6to: An non sunt præterea aliqua ex novo Testamento desumpta testimonia, quibus probetur esse in nova lege verum à Christo institutum Sacrificium?

Resp: Sunt non pauca. Et quidem *1mo*: 1. Corint: Cap: 10. sic inquit Paulus: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sangvinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est. Videte Israel secundum carnem, nonne qui edunt Hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico quod quod idolis immolatum est aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Hic ergo Apostolus Eucharistiam in ratione Sacrificii comparat cum Sacrificiis Judæorum, & Gentilium. Ita siquidem contendit Christianos per communicationem Corporis & Sangvinis Christi fieri participes victimæ in Altari, seu mensa Domini oblatæ, sicut Gentiles idolothyta manducando, fiunt participes altaris dæmoniorum, Judæi vero manducando hostias, participes fiunt altaris Levitici. Censet proinde Apostolus ita mensam Domini verum esse Altare, in eo veram victimam offerri, sicut & mensas Judæorum, ac Gentilium, in illisque veras offerri victimas ac propterea, ita Eucharistiam reputat esse Sacrificium, sicuti Judæorum ac Gentilium veræ, licet immunda erant Sacrificia. Merito itaque Concilium Tridentinum Sess: 22. Cap: 1. docet, mundam illam, de

qua

qua vaticinatus est Malachias Propheta oblationem, non obscure innui ab Apostolo, cum dixit non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri, per mensam utrobique Altare intelligens. Quare etiam idem Apostolus ad Hebræos scribens cap: 13. Altaris Christianorum meminit, illudque altari tabernaculi Moysis, in quo Sacrificia varia offerebantur comparat dicens: *Habemus Altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt, quorum enim animalium infertur sangvis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra, propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum Sangvinem populum, extra portam passus est:* Quamobrem in Ecclesia Christi Altare est, ubi autem Altare, ibi & Sacerdos & Sacrificium. Atque istiusmodi Altare, de quo loquitur Apostolus, in propria significatione accipiendum est, quia illud altari Tabernaculi, & victimas in eo oblatas, sacrificiis in veteri lege oblatis assimilat, atque sic non solum victimæ veritatem ostendit, sed etiam edendo, nos ejusdem participes fieri asserit, iis exclusis qui legalia adhuc Sacrificia offerebant. Cum itaque Altare Sacerdotem supponat, utrumque vero nec unquam fuit, nec esse potest sine victima & Sacrificio. Si ergo in nova lege est Altare, sunt Sacerdotes, est quoque & victima, & Sacrificium. Atque hæc confirmat præclarus Scripturæ textus, quem in Actibus Apostolorum cap: 13 legimu : *Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & doctores, quibus Barnabas, & Simon... & Lucius Cyrenensis. & Manahen, & Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus. dixit illis Spiritus Sanctus:' segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Hic Sacrificium populi fidelis per manus Sacerdotum Domino oblatum describitur. Erant siquidem ibi Sacerdotes qui & manus imponebant, & Prophetæ ac doctores dicuntur. Ii ergo Domino ministrabant, hoc est Sacrificabant, quemadmodum expresse in Græco habetur: *Sacrificantibus illis Domino.* Jam ergo tunc Sacrificium apud Christianos erat, illudque cum jejunio & orationibus frequenti populi concursu per Sacerdotes, & primos, qui in Ecclesia erant celebrabatur, & hoc aliud non erat, nisi Eucharisticum Missæ Sacrificium.

Quæres 7mo: Quæ adversus novæ legis Sacrificium ab Hæreticis objiciuntur?

Resp: Multa obijciuntur, graviora hæc ſunt. 1mo Epist: ad Hebræos Cap: 7. sic scribit Apostolus de Leviticis Sacerdotibus: *Plures facti ſunt Sacerdotes idcirco, quod morte prohiberentur permanere*; de Christo vero ait. *Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium* & cap: 10. de iisdem veteris legis loquens Sacerdotibus, inquit: *Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sepe offerens hostias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata*, mox autem de Christo ſubjungit. *Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextra Dei. Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ex quibus consequitur nullos modo eſse Sacerdotes præter solum Christum, nullum perconsequens modo Sacrificium. Unum à Christo in Cruce oblatum fuit, *semel ille*, ut inquit idem Apostolus *oblatus est ad exhaurienda multorum peccata*, una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, alio itaque non est opus Sacrificio, alioqui Sacrificium Crucis non fuiſset ſufficiens ad exhaurienda peccata, ad consummandos sanctificatos, quod impium est cogitare.

2do: Christus in ultima cæna Sacramentum tantum instituit non Sacrificium, quia ratio Sacramenti excludit rationem sacrificii, in Sacrificio namque homines aliquid dant Deo, in Sacramento vero accipiunt à Deo, reipsa autem tunc Christus Corpus & Sangvinem ſuum consecravit Apostolis distribuit, Sacrificium vero nullum obtulit.

Resp: *ad 1mum:* Solus Christus est Sacerdos principalis, ſummus, atque primarius, excelsior cœlis factus, ut inquit idem Apostolus, ſed alii non excluduntur Sacerdotes qui Ejus vices in terra gerunt, quos ipse loco ſui instituit, & qui propterea Ministri ipsius ſunt, & dispensatores mysteriorum ejus, atque pro Eo legatione funguntur. Neque etiam Sacerdotes qui modo ſunt, quidquam derogant sempiterno Christi Sacerdotio, quia & ipse ut docet Paulus Hebr: cap: 7. semper vivit in cælo ad interpellandum pro nobis, & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, ipsique non ſuo, ſed illius nomine Sacrificia offerunt, neque ſuam, atque à se constitutam, ſed ab ipso institutam offerunt victimam. Plures itaque & nunc in Christi lege, quemadmodum & in veteri constituuntur Sacerdotes, ſed diverso modo, in veteri lege unusquisque nomine ſuo Sacerdotium exercebat, ſuam quisque offerebat victimam, pleno que jure Sacerdotium poſsidebat, at in nova lege Sacerdo-

cerdotes, Christi Sacerdotio funguntur, ejus vices in terris gerunt, ejus nomine Sacramenta conficiunt, Sacrificia offerunt suntque Ministri Ejus & Dispensatores Mysteriorum Ipsius, ac tandem per eos Ille sempiternum in terris suum exercet Sacerdotium.

Victimam Christi, oblationemque ab Eo in Cruce factam opponit Apostolus victimis ac Sacrificiis antiquæ legis, ostenditque, magnam inter hæc diversitatem, quod scilicet illa quamvis multoties repeterentur, tamen per se peccata delere & auferre non poterant, quia infirma erant elementa, Christus vero unam nonnisi offerens in Cruce victimam *delevit chyrographum decreti quod erat contrarium nobis, affigens illud cruci* Colos, cap. 2. exhausit peccata nostra, una facta oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Et hæc certe victima cruenta nimirum in Cruce una erat, hanc semel perfecit, semel seipsum offerendo in Cruce, semelque tantummodo sic oblatus est, quia scilicet, ut docet idem Apostolus, ad Rom: cap: 6. *Christus resurgens â mortuis jam non moritur, mors Illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel*; Virtutem itaque hujus Christi victimæ, oblationisque semel in Cruce factæ deprædicat Apostolus, ostenditque illam iterari non debere, quia tanti fuit valoris ac prætii, ut & plene pro nobis satisfecerit, plenamque salutem nobis promeruerit, unde ipsam mille repetitis antiquæ legis Sacrificiis præponit. Sed hæc Sacrificium à Christo in ultima Cæna institutum, quod & nunc in Missa perficitur non evertunt, quia potuit Christus semel cruento modo in Cruce, pluries vero incruento & in mysterio sacrificari, quamvis enim ubique eadem est victima, & res oblata, diversus tamen offerendi, atque sacrificandi modus. Neque etiam Sacrificium, quod Christus in ultima Cæna & instituit, & obtulit, quodpiam derogat Sacrificio Crucis aut illud reddit supervaneum, ac otiosum, quia licetsi utrumque fuerit valoris ac pretii infiniti; noluit tamen Christus per illud, quod in ultima Cæna fecit, nostram salutem consummare, vel ipsum ad redemptionis nostræ consumationem Patri æterno offerre, hoc enim soli Sacrificio in Cruce perficiendo reservavit. Certe quamvis omnes Christi actiones, quas ab initio conceptionis suæ fecit, infiniti fuerint valoris, easque Patri obtulerit, tamen in Cruce nostram solum redemptionem, sanctificationem ac salutem consummare voluit, unde inquit:

quit Paulus Hebr: *Sanctificati ſumus per oblationem Corporis Christi ſemel.*

Ad 2dum: Christus in ultima Cæna & Sacrificium obtulit, & Sacramentum. Nulla enim est repugnantia, ut una eademque res ſub diverso respectu & Sacramentum sit, & Sacrificium. Sic idem verum Corpus & Sangvis Christi quod in ultima Cæna Apostoli comederunt & biberunt, erat Sacramentum, oblatum deinde in Cruce erat Sacrificium. Pariter & Eucharistia ſub diverso respectu est Sacramentum, & Sacrificium. Est Sacramentum prout fuit à Christo instituta ad hominis ſanctificationem procurandam, & prout ipsa confert homini gratiam. Est vero Sacrificium prout in ea offertur victima ad recognitionem ſupremi dominii, quod Deo in res omnes creatas competit, atque uberiorem impetrat homini gratiam.

Quæres 8vo: Igitur Miſsa, quæ in Ecclesiæ Catholica ex præscripto more celebratur, est verum Sacrificium?

Resp: Ita est. Enim vero dum in Ecclesia Catholica Sacerdotes Miſsam peragunt, id perficiunt quod Christus in ultima Cæna peregit, & quod Apostolos in ſui memoriam facere juſsit. Porro Christus in ultima Cæna & verum Sacrificium instituit, & illud Deo Patri obtulit. Ergo manifestum est, Miſsam quæ ex præscripto ordine in Ecclesia Catholica à Sacerdotibus perficitur verum eſse Sacrificium. Et vero quæcunque ad verum Sacrificium prærequiruntur, hæc omnia in Miſsa reperiuntur. Et quidem *1mo:* Minister ſeu Sacerdos, qui est, pro & ipsa consecrationis verba innuunt, primarius ipse Christus ſecundarius vero Miſsam celebrans, cujus visibili ministerio Jlle ſub ſpeciebus panis & vini Corpus & Sangvinem ſuum Deo Patri offert. *2do:* Adest res ſensibilis ſcilicet ſpecies panis, & vini, ſub quibus Corpus, & Sangvis Christi continetur. *3tio:* Adest mutatio victimæ quia ipsa consumitur, & dum ſpecies panis & vini ſeorsim consecrantur, effusio Sangvinis è Corpore Christi significatur, ac per hoc mactatio victimæ, qui est ipse Christus, repræsentatur. Est itaque Miſsa verum Sacrificium.

Id quoque probat unanimis ſensus totius Ecclesiæ omnium SS. Patrum constans doctrina, & Traditio, fides omnium Christianarum Nationum, universaliſsimus Liturgiarum usus quæ ab antiquiſsimis Patribus descriptæ ſunt, aut in vetustiſsimis Euchologicis libris continentur.

Eis

His accedunt Concilia, Nicænum I. Ephesinum I. Chalcedonense, Toletanum 12 anno 681 celebratum, Concilium Lateranense 4. ac tandem omnium novissimum Concilium Tridentinum, quod Sess: 22. tribus Canonibus, fidem Ecclesiæ Catholicæ circa Missæ Sacrificium luculenter exposuit.

Nequê hic opus est SS. Patrum adferre textus, sufficiet unius è Lutheranis Theologis, Ernesti Grabe ingenuam apponere confessionem, qui in suis annotationibus ad S. Irenæi contra Hæreses librum 4tum, sic scribit. *Certum est Irenæum, ac omnes, quorum scripta habemus, Patres Apostolis coævos, sive proxime succedentes, S. Eucharistiam pro novæ legis Sacrificio agnovisse, atque hanc non privatam particularis Ecclesiæ, vel Doctoris, sed publicam universalis Ecclesiæ doctrinam, atque praxim fuisse, quam illi ab Apostolis, Apostoli ab ipso Christo edocti acceperunt* post, hæc vero addit, quod postquam multi ex parte Protestantium Lutheri ac Calvini hac in re errorem, & veram circa Missæ Sacrificium doctrinam agnoverunt, *hujus quoque Sanctissimas formulas Liturgicas, à quibus dictum Sacrificium Deo offertur, ab illis male è suis cœtibus proscriptas, in usum revocent, & hunc summum Divinæ Majestati honorem debitum reddant.* Ingenua sane confessio, in viro heterodoxo maxime laudanda.

Obijcies 1mo: Missa institutionis est humanæ, nec enim Christus eam instituit, & Liturgiæ quibus illa peragitur suos habent auctores, Clementem, Basilium, Chrysostomum, Gregorium, tandem hodie longe alia ratione peragitur quam antiquitus, neque igitur antiquæ Ecclesiæ doctrinæ conformis est. *2do:* Ad Sacrificium requiritur oblatæ victimæ mactatio, atque occisio. Jam vero in Missa nulla fit mactatio, nequæ victimæ occisio, alias Christus, qui in Missa victima dicitur, occideretur, atque mactaretur, quod affirmare impium est. *3tio:* Unum est in nova lege Sacrificium à Christo institutum. Porro si Missa esset verum Sacrificium, tot erunt Sacrificia quot Missæ celebrantur. Ergo potius Missa est commemoratio Sacrificii à Christo in Cruce peracti, non vero ipsum Sacrificium, unde etiam Christus præcepit Apostolis ea in sui commemorationem facere, quæ Ipse in ultima Cæna fecit. *4to:* Tandem Missa multum derogat Sacrificio Crucis, quod cum fuerit valoris infiniti, plenam nobis attulit redemptionem, Missæ vero Sacrifi-

cium

cium peragendo. novam quærimus redemptionem quasi prior, quæ in Cruce facta est, insufficiens foret.

Resp: ad 1mum: Christus in ultima Cæna quam pridie ſuæ Paſsionis cum Apostolis manducavit, Sacrificium instituit, idem in Miſsa perficitur, cui Ecclesia varios ritus, ac Cæremonias adjecit, antiqui Patres preces Liturgicas composuerunt, atque ordinaverunt. Quemadmodum ergo Sacramenta Baptismi, Ordinis, Extremæ Unctionis, & alia Divinæ ſunt institutionis, licetsi iis humana auctoritate preces ritusque varii adjecti ſunt, ita pariter Sacrificium Miſsæ non desinit Divinæ eſse institutionis ex eo, quod ipsius celebrationi preces, ritusque varii ab Ecclesia, & Patribus fuerint adjecti. Quod vero in istiusmodi precibus ac ritibus, pro temporum circumstantiis mutatio facta sit, nil mirum, hæc enim Ecclesiæ ſubjacent ordinationi, ſed cum in his immutabilis fidei, & morum, Eccleiæ doctrina non consistat, ex earum mutatione, illam mutatam fuiſse, inferre non licet.

Ad 2dum: Ad Sacrificium cruentum requiritur oblatæ victimæ mactatio, atque occisio, ad Sacrificium vero incruentum ſufficit victimæ oblatæ quæcunque immutatio, & alteratio atque conſumptio, sive ipsius destructio. Duplicis siquidem generis erant Sacrificia, cruenta ſcilicet, in quibus oblata victima occidebatur, ſanguis fundebatur, & tale Sacrificium obtulerat Abel de primogenitis gregis ſui, Noe de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, talia etiam erant in veteri lege quam plurima Sacrificia, quæ ex animalibus mundis fiebant, præcipue vero Sacrificium Agni Paschalis, qui typus erat Christi, & Sacrificii cruenti quod ipse in Cruce Deo Patri obtulerat. Sed alia erant Sacrificia incruenta, quæ maxime ex fructibus terræ, liquoribus, panibusque odoriferis offerebantur. Sic Cain ex fructibus terræ munera obtulit Domino, Melchisedech panem & vinum in Sacrificium protulit, ex præscripto etiam legis Moſaicæ panis, ſal, thus, manipulus ſpicarum virentium, triticum, vinum, aqua, oleum, offerebantur. Et in istiusmodi Sacrificiis incruentis oblata victima ſemper aliquam mutationem ſubiit, quia liquores effundebantur, res odoriferæ cremabantur, alia vero in Sacrificiis oblata, diſsecabantur, torrebantur, coquebantur, consumebanturque ac proinde quodammodo destruebantur, atque annihilabantur. Et tale incruentum Sacrificium Christus obtulit in ultima Cæna pridie mortis ſuæ, tale quoque & in Miſsa offer-

offertur, cujus oblata victima est ipse Christus, Corpus, & Sangvis Ejus ſub ſpeciebus panis, & vini latens. Atque istiusmodi victima non quidem reipsa occiditur, non mactatur, quia cruentum Sacrificium non est, & Christus resurgens à mortuis, jam non moritur, ſed tamen immutatur, quia reipsa Corpus Christi manducatur, & Sangvis ipsius bibitur, atque vi verborum consecrationis ſeorsim ponitur ſub ſpeciebus panis Corpus, ſub ſpeciebus vini Sangvis Christi, quæ licet reipsa ſeparata abinvicem non sint, attamen in signum, quia reipsa in Cruce ſeparata erant, ſeorsim consecrantur, & ponuntur. Nihil ergo Miſsæ Sacrificio deest, quin rationem veri Sacrificii habeat. Quare Chrysostomus Homil: 52. ait. *Est Sacrificium etiam sine ſangvine, ſciunt hi, qui mysteriis initiati ſunt* & Gregorius Nazian: Carm: 12. Sacerdotes Christianos sic alloquitur.

O qui sacra Deo offertis non tincta cruore.

Ad 3tium: Revera unum est Christianis Sacrificium à Christo Domino institutum, & semel ab Eo modo cruento in Cruce oblatum. Sicuti enim Sacrificium quod in ultima Cæna Christus obtulit, idem erat ac illud quod ipse in Cruce moriens obtulerat, quia nimirum idem erat Sacerdos, eademque erat victima, offerendi nonnisi modo discrepabat, cum prius modo incruento, posterius cruento perfectum sit, ita pariter Miſsæ Sacrificium, non aliud est, sed idem cum Sacrificio Crucis, quia & hic idem principalis offerens nempe Christus, cujus personam gerit Sacerdos ad Altare celebrans, eadem quoque victima nempe Corpus & Sangvis Christi, seu totus ipse Christus, unde Gregorius Nyſsenus oratione 1. Paschali scripserat. *Arcani Sacrificii modo idem est Sacerdos, & Agnus.* modus nonnisi offerendi diversus, in Cruce cruentus, in Miſsa incruentus. Et quamquam Miſsæ repetantur, non Sacrificia multiplicantur, sed unum atque idem Sacrificium repetitur. Quare S. Chrysostomus Homil: 17. in Epistolam ad Hebræos sic scribit. *Quid vero nonne nos quotidie offerimus, offerimus quidem, sed ejus mortem in memoriam revocamus, & hæc oblatio una est, non multiplex, quia semel oblatus est,* & iterum *Unicum est Sacrificium. Quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? Nequaquam, sed unus est Christus, illam nunc quoque facimus hostiam, quæ tunc fuit oblata.* Præclare

igitur

igitur Concilium Trident: Sefs: 22. cap: 2. sic docet. *Una eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.*

Atque ex his luculentifsime apparet Mifsam non efse nudam Sacrificii Crucis commemorationem, aut puram repræsentationem, sed verum ac reale Sacrificium, quod in memoriam Sacrificii, tum ultimæ Cænæ, tum Crucis modo offerimus. Nuda siquidem commemoratio, pura repræsentatio, nihil illius in se continet, cuius est commemoratio, aut repræsentatio. Porro Mifsæ Sacrificium eandem habet victimam, quæ in ultima Cæna, & in Cruce oblata fuit, vere ipsa in Altari præsens est, vere Deo Patri sistitur, vere ejus mactatio exhibetur, verum igitur est Sacrificium, atque idem quoad substantiam, quod sive in ultima Cæna, sive in Cruce oblatum, atque perfectum fuit. Non est ergo pura Sacrificii repræsentatio aut nuda commemoratio. Unde Concil: Trid: Sefs: 22. Can: 3. sic definivit. *Si quis dixerit Mifsæ Sacrificium, tantum efse nudam commemorationem S crificii in Cruce peracti, anathema sit.* Equidem Christus instituto, & peracto in ultima Cæna Sacrificio, jufsit Apostolos ut hæc in sui commemorationem facerent, sed eadem jufsit illos facere, quæ ipse fecerat, cum itaque ille panem ac calicem accipiens, benedicens, vere Corpus & Sangvinem suum effecerit, vere illud facrificaverit, etiam nunc Sacerdotes, dum Mifsam celebrando, panem, & calicem accipiunt, benedicunt, vere illa consecrant, vere quoque facrificant.

Ad 4tum: Mifsæ Sacrificium nihil derogat Sacrificio Crucis, quia ex eo totam vim, efficaciamque habet, & quæ nobis Christus per Sacrificium Crucis promeruit, hæc eadem nobis per Mifsæ Sacrificium applicantur. Unde Concil: Trid: Sefs: 22. cap: 2. ait: *Oblationis cruentæ*, quæ scilicet in Cruce facta est; *fructus, per hanc incruentam*, quæ nimirum in Mifsa perficitur, *uberrime percipiuntur.* Plene ac perfecte per Christum in Cruce redempti sumus, plene & perfecte pro nobis satisfecit, gratias nobis promeruit, sed hujus redemptionis, fatisfactionisque fructus per Mifsæ Sacrificium in nos defluunt, per illud merita Pafsionis & mortis Christi nobis applicantur atque illorum participes efficimur. Et quemadmodum Baptismus, Pænitentia, ceteraque Sacramenta, per quæ efficimur participes meritorum Christi, nihil derogant

rogant Sacrificio Crucis, ita quoque Sacrificium per quod meritorum Mortis ac Pafsionis Christi efficimur consortes, nihil quidquam illius cruentæ derogat oblationi.

Quæres 9no: Quæ est Mifsæ facrificii victima, & quo illud perficitur?

Resp: 1mo: Victima Mifsæ Sacrificii, seu res quæ in Mifsæ Sacrificio Deo offertur, est Corpus, & Sangvis Christi. Enimvero, ut docet Concilium Triden: Sefs: 21. cap: 1. & Can: 1. Christus in ultima sua Cæna novæ legis Sacrificium instituens, Corpus, & Sangvinem suum, sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, atque Apostolis suis præcipiens. *Hoc facite in meam commemorationem*, ordinavit ut & ipsi, & alii post ipsos fuccedentes Sacerdotes Corpus fuum & Sangvinem offerrent. Quod autem in ultima Cæna Christus Deo Patri obtulit, quod ab Apostolis ipsisque in Ministerio fuccedentibus Sacerdotibus offerri jufsit, est Sacrificii ab ipso instituti victima. Corpus ergo & Sangvis Christi est vera Mifsæ Sacrificii victima. Res itaque in Mifsæ Sacrificio oblata est totus Christus, quia totus est sub speciebus panis & vini consecrati, & unanimiter docent SS. Patres eandem efse tum Sacrificii Crucis, tum Sacrificii Mifsæ victimam, & hostiam. Jam vero Sacrificii Crucis victima, atque hostia totus fuit Christus, unde inquit Apostolus. 1. Corint: cap: 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Ergo etiam in Sacrificio Mifsæ victima & hostia quæ offertur, est totus Christus.

Dices: Sacerdos in Mifsa panem offerens, vocat illum immaculatam hostiam. Patres quoque antiqui panem, & vinum dicunt offerri, facrificari. Ergo panis & vinum funt Mifsæ Sacrificii victima.

Resp: Sacerdos Mifsâm celebrans panem vocat immaculatam hostiam non eum attendendo prout in se tunc est, sed prout paulo post fiet Corpus Christi, & sub ejus fpeciebus facrificabitur Agnus immaculatus, qui est ipse Christus. Unde hostiam illam immaculatam offert pro peccatis & offensionibus suis, pro Christianis vivis, atque defunctis, ut illis proficiat ad salutem in vitam æternam, quæ â panis victima expectari nequeunt, fed ab ipso Agno Dei immaculato qui tollit peccata mundi, & pro salute nostra occisus est. Jam vero SS. Patres docent panem & vinum offerri, facrificari, quia sub fpeciebus panis & vini offertur, facrificatur Corpus & Sangvis Christi, atque

que totus ac integer Christus, qui vera est Sacrificii nostri victima, & immaculata hostia.

2do: Sacrificium Miſsæ perficitur ſola panis & vini consecratione. Enim vero per consecrationem oblatorum victima Sacrificii, quæ est Christus, mystice immutatur, immolatur dum nimirum vi verborum ſeorsive ſub ſpecie panis Corpus Christi ponitur, & ſub ſpeciebus vini Sangvis Ipsius, ac per hoc quasi Sangvis Jllius à Corpore ſeparatur, quæ mysticam Christi immolationem designant, & ut loquitur S. Cyprianus perficitur *gladio verborum*. Sola ergo panis, & vini consecratione Miſæ Sacrificium perficitur. Quapropter Sacrificium Miſsæ eſtentialiter consistit in consecratione oblatorum. Verumtamen communio, ſeu ſumptio oblatorum, quæ consecrata sunt, ad integritatem ejusdem Sacrificii requiritur. Hinc ex Traditione Ecclesiæ si Sacerdos Miſsam celebrans repertino morbo corripiatur, & consecrata oblata consumere nequeat, alius ſubstitui debet Sacerdos etiam non jejunus, qui consecrata oblata sumat, ut scilicet Sacrificium perficiatur.

An vero utriusque ſpeciei, panis ſcilicet & vini consecratio ita eſsentialis sit Sacrificio, ut illud subsistere & eſse nequeat, si in Miſsa nonnisi una consecretur ſpecies, disputant inter ſe Theologi. Hæc certa ſunt & indisputabilia, *1mo*: Ad Sacrificium conficiendum Divino jure requiritur utriusque ſpeciei panis, scilicet & vini in Miſsa consecratio. Et id expreſse docet Concçjlium Tridentinum Seſs: 22. cap. 2. ubi dicitur. *Christum Corpus, & Sanguinem suum, sub ſpeciebus Panis, & vini in ultima Cæna Deo obtuliſse, & Apostolis eorumque in Sacerdotio succeſsoribus, ut offerrent præcepiſse.* Hinc graviſsime peccaret Sacerdos, si in Miſsa unam tantummodo ſpeciem consecraret. *2do*: ad integritatem Sacrificii utriusque speciei consecrationem neceſsariam eſse, ut scilicet significatius exhibeatur ac representetur mors Christi, atque Sangvinis Ipsius effusio. Quare Rubricæ Miſsalis præcipunt, ut si Sacerdos loco vini, aquam in Calicem poſuerit, & ſumpserit, iterum vinum in Calicem ponat, consecret, & ſumat, ut scilicet integrum sit Sacrificium. Unde minime neceſsaria videtur eſse illa quæstio an subsistat Sacrificium, si unica solum in Miſsa species consecretur, quia jure Divino ſemper utraque species consecrari debet, & si hac in re defectus contingat, juxa Ecclesiæ praxim suppleri debet. Attamen probabile est, tunc Sacrificium stare, quia tota ac integra victima, Christus nem-

nempe etiam fub una specie offertur, ac immolatur, ubi vero adest victima, illiusque per Sacerdotem fit immolatio, ibi est Sacrificium. Ergo licet una solum in Mifsa consecretur species, stabit Sacrificium.

ARTICULUS 2dus

De Sacrificii novæ legis proprietatibus.

Quæres: 1mo: Quale sit Mifsæ Sacrificium?

Resp: Quadruplex à Theologis distingvitur: Sacrificium nimirum Lautrenticum, Eucharisticum, seu gratiarum actionis, Propitiatorium, & Impetratorium. *Lautrenticum* est illud, quod humiliter à nobis offertur ad honorandum Deum, & in signum nostræ erga ipsum submifsionis, atque in recognitionem fupremi Illius in nos dominii. *Eucharisticum* quod â nobis exhibetur ad gratias Deo agendas pro collatis nobis beneficiis *Propitiatorium* quod fit ad Deum nobis propitium conciliandum, ut scilicet peccatorum nostrorum remifsionem, pænarumque condonationem ab ipso obtineamus: *Impetratorium* quod fit ut uberiores gratias, & plura beneficia à Deo obtineamus. Sacrificium novæ legis, quod in Mifsæ celebratione perficitur efse Lautrenticum, Eucharisticum, feu gratiarum actionis etiam ipsi Hæretici, Lutherani, & Calvinistæ agnoscunt, fed quod sit Propitratorium, ac Impetratorium id negant, ideo quia per Sacrificium Crucis plenifsime fatisfactum sit Deo pro peccatis nostris, & Christus in Cruce omnia nobis promeruerit bona. At Catholici omnes unanimi sensu docent, & tenent Mifsæ Sacrificium propitiatorium efse, & impetratorium. Atque id Concilium Tridentinum Sefs: 22. Can: 3. definivit his verbis. *Si quis dixerit Mifse Sacrificium tantum efse laudis, & gratiarum actionis, non autem propitiatorium vel soli prodefse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necefsitatibus offerri debere. Anathema sit.*

Quæres 2do. Quibus argumentis evincitur Sacrificium Mifsæ efse vere propitiatorium?

Resp: Id evincitur 1mo: ex facris fcripturis. Namque Math: cap: 26. & Lucæ cap: 22. Christus novæ legis Sacrificium instituens inquit: *Hoc est Corpus meum quod pro vobis datur. Hic est Sangvis meus, qui pro multis efundetur*

detur in remifsionem peccatorum, & ut in Græco Lucæ textu habetur, *Hic est Calix novum testamentum in Sangvine meo, qui pro vobis funditur.* Ex quibus sic licet argumentari. Ubi Sangvis oblatæ victimæ effunditur in remifsionem peccatorum, ipsa hostia frangitur, pro adstantibus datur, ibi vere propitiatorium offertur Sacrificium. Porro in Sacrificio ultimæ Cænæ, oblata hostia frangebatur, dabatur pro adstantibus, fangvis victimæ pro multis in remifsionem peccatorum fundebatur. Erat ergo Sacrificium vere propitiatorium. Cum vero hæc omnia pariter in Mifsæ Sacrificio peragantur, & ipsa est vere propitiatorium Sacrificium. Et vero Sacrificium cruentum á Christo in Cruce peractum fuit vere propitiatorium, Deum peccatis nostris iratum placavit, eumque nobis reconciliavit. Sed Sacrificium Mifsæ idem quoad fubstantiam est Sacrificium ac illud fuit. Ergo Sacrificium Mifsæ est quoque propitiatorium, quemadmodum & Sacrificium Crucis propitiatorium fuit. Et hanc rationem Concilium Trid: Sefs: 22. cap: 2. adducit cur Mifsæ Sacrificium propitiatorium efse censuerit, quia nimirum *una, eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit.* Prætera Apostolus Paulus ad Hebræos scribens cap: 5. sic inquit. *Omnis Pontifex ex hominibus afsumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerrat dona & facrificia pro peccatis.* Porro Ecclesia etiam Christi habet suos Pontifices, & Sacerdotes. Et ipsi ergo constituti ad offerenda dona & Sacrificia pro peccatis. Quæ utem pro peccatis offeruntur, propitiatoria sunt.

2do: Probatur ex Ss. Patribus, & Ecclesiæ Traditione. Certe in antiquifsimis Sacramentariis libris Gelasiano, Gregoriano Eucharistia *hostia placationis* vocatur, præcesque Sacerdos fundit, ut Corpus & Sangvis Christi sit *peccatorum abolitio, & venia.* In Liturgia S. Joannis Chrysostomi legimus invocationem S. Spiritus ad immutandum panem & vinum, *ut fiant recipientibus ad remifsionem peccatorum.* Hæc autem Eucharistiæ convenire nequeunt ut est Sacramentum, quia sic considerata non ad remittenda peccata est ipsa á Christo instituta, sed in cibum, atque alimoniam fpiritualem animarum nostrarum ordinata. Quod ergo remittat peccata, sit peccatorum abolitio, & venia, id præstat, quia est placationis hostia.

Nobilifsimi quoque Ecclesiæ Doctores ejusdem fuerunt

runt ſententiæ, ut constat ex Origene, Chrysostomo, Ambrosio, Cyrillo Hierosolymitano, Hieronymo, Augustino. Cyrillus Catech: 5. sic ait: *Christum pro peccatis nostris mactatum offeramus, & nobis eum, qui benigniſsimus est, propitium reddamus.* Ambrosius in Exhort: ad Virg: cap: 14. Miſsæ Sacrificium vocat: *hostiam salutarem per quam peccatum mundi hujus aboletur.* Denique S. Augustinus quæst: 57. in Levit. loquens de Sacrificiis veteris legis, & Sacrificio Miſsæ, ait: *Illis sacrificiis unum hoc Sacrificium significabatur, in quo vera fit remiſsio peccatorum.*

3tio: His accedit argumentum rationis Theologicæ. Deum peccatis nostris iratum à nobis placari poſse indubitatum est, hinc tot in veteri lege pro peccatis, & ad illarum expiationem constituta fuerunt sacrificia, nihil autem magis opportunum eſse potest ad placandum Deum, propitiumque nobis reddendum, quam si eidem filium ejus unigenitum Jesum salvatorem nostrum in Miſsæ Sacrificio offeramus, ut enim inquit S. Joannes Epist: 1. cap: 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi,* ex quo etiam hauserunt, quidquid virtutis & antiqua sacrificia habebant.

Dices: Epistola ad Hebræos cap: 9. inquit Apostolus: *Sine sangvinis effusione non fit remiſsio* peccatorum; Porro in Miſsa non fit sangvinis effusio, non fit ergo ibi remiſsio peccatorum. Nec proinde Miſsæ Sacrificium est propitiatorium.

Resp: S. Apostolus loquitur de Sacrificiis antiquæ legis, in quibus ut plurimum, non tamen ſemper, sangvinis effusio fiebat, ait enim: *Et omnia pene in sangvine secundum legem mundantur, & sine sangvinis effusione non fit remiſsio.* Sed & in Miſsæ Sacrificio fit sangvinis effusio, quamvis mysticæ dumtaxat, cum & ſeorsive Corpus, seorsive Sangvis Christi consecratur, ac reponatur, atque etiam vere Corpus illius manducatur, & vere Sangvis ipsius bibitur.

Quæres 3tio: *Estne etiam Miſsæ Sacrificium impetratorium?*

Resp: Est indubitanter: Enim vero Miſsæ Sacrificium est propitiatorium, est ergo & impetratorium. Nam si per illud, & propter illud movetur Deus ad peccata nobis condonanda, multo magis movetur ad alia beneficia nobis elargienda. Certe quidquid benignitate ſua elargitur nobis Deus, id propter Christi merita nobis concedit

dit, ac proinde cum ipsum Mediatorem nostrum Deo Patri in Mifsa offerimus, dubium nullum inefse potest, quin Deus copiosifsimas gratias intuitu Filii fui unigeniti nobis concedat. Et vero Sacrificia antiquæ legîs figuræ erant Sacrificii nostri. Porro per Sacrificia antiquæ legis impetrabantur etiam bona temporalia, sic 2. Reg. Cap:24. David pro sedanda peste, *obtulit holocausta, & pacifica, & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga* 2. Machab: Cap. 3. Onias summus Sacerdos, pro Heliodori salute hostiam obtulit, & homini impio vitam impetravit. Ergo ut figuram vincat veritas, necefsum est, ut Sacrificium novæ legis ad impetranda bona tum fpiritualia, tum temporalia valeat. Unde in omnibus antiquis Liturgiis, Jacobi scilicet Apostoli, Chrysostomi, Basilii oratur pro pace, pro salute infirmorum, pro fructuum ubertate, quod & Cyrillus Hierosol: Catech: 5. confirmat, dum ait: *Obsecramus Deo pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro ægrotis, & afflictis, & in summa pro omnibus, qui egent auxilio, hoc Sacrificium offerimus.* Quare Concil: Trident: Sefs: 22. Cap: 2. docet: *Sacrificium hoc facere, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Canone autem 3. definivit, illud offerri non solum pro peccatis, pænis, satisfactionibusque, fed & *pro allis necefsitatibus*, quæ ultima verba, cum indefinita sint, quamcumque veram fecundum Deum necefsitatem denotant. Præclare igitur Bellarminus, Tom: 3. Controv: libro 6. de Mifsa Cap: 3. sic inquit: *Si oblatio Eucharistiæ pro peccatis dimittendis valet, certe etiam pro aliis necefsitatibus, quæ ex peccato funt, valere debet. Et si Deus hoc Sacrificio placatus in gratiam cum inimicis suis redit, quanto facilius ob idem Sacrificium adducetur, ut amicis & reconciliatis bona temporalia tribuat, si id eis utile fuerit.*

Quæres 4to Qua ratione Mifsæ Sacrificium peccata dimittit, & pænas relaxat?

Resp: Per Mifsæ Sacrificium vere peccata dimitti, & pænas relaxari, etiam ex continua Ecclesiæ praxi constat appertifsime, continuo siquidem Mifsæ Sacrificium offertur pro impiis, & pro justis, quia credit Ecclesia per illud & culpas impiis vere pænitentibus remitti & pænas justis relaxari. Verum Mifsæ sacrificium ea nonnisi ratione peccata remittit, quatenus certas in anima parit dispositiones, & per illud singulares à Deo impetrantur gratiæ, quarum ope peccatores delictorum fuorum remifsionem

conte-

consequuntur. Ita docet Concilium Trident: Sefs: 22. cap: 2 ubi Sacrificium Mifsæ dicitur vere efse propitiatorium, quia *hujus oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, peccata etiam ingentia dimittit*, quare per illud fieri eadem Synodus docet, ut à Deo *misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

Pænas vero temporales peccatis nostris debitas Mifsæ Sacrificium ea ratione relaxat, quia per illud nobis applicatur meritum, & prætium mortis, ac pafsionis Christi, atque præstitæ pro nobis per ipsum satisfactionis. Sacrificium itaque Mifsæ modo impetratorio & peccata remittit, & pænas relaxat, quatenus & gratias nobis obtinet, quibus á peccatis mundamur, & Christi merita nobis conciliat, quibus debita peccatorum nostrorum exsolvimus.

Fructus ergo Mifsæ Sacrificii desumuntur *1mo*: ex vi, & efficacia ipsiusmet Sacrificii, pretio, valore ipsius victimæ, quare Concil' Trid: Sefs: 22. Cap: 2. docet ideo nos per Mifsæ Sacrificium misericordiam à Deo consequi, & gratiam invenire, quia in eo *idem ille Christus continetur & incruente immolatur, qui in ara Crucis seipsum cruente obtulit*, quare semper, & independenter à pietate, devotioneque offerentis, inest huic Sacrificio vis, & efficacia ratione scilicet victimæ, quæ Deo acceptifsima est, & quæ, ut inquit Concilium Trident: Sefs: 22. cap: 1. *nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest.* Et certe Hebr: Cap: 9. de Christo inquit Apostolus: *Introivit in ipsum cœlum ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*, quare nemo Christianorum ambigere potest Christi præsentiam efse apud Deum efficacifsimam ad impetranda & obtinenda nobis quæcunque gratiarum auxilia. Porro per sacrificandi actionem Christum in Altari præsentem sistimus, dumque Illum in Mifsæ Sacrificio offerimus, ipse vultui Patris apparet, ut pro nobis intercedat, mortem ac pafsionem fuam Divino conspectui ipse exhibet. Ipsa ergo Mifsæ Sacrificii actio apta, & efficax est, ad Deum nobis propitium reddendum, atque gratiarum auxilia ab ipso obtinenda. *2do*: Desumitur etiam & dependet â pietate, ac devotione sive offerentis, sive illius pro quo offertur, atque pro gradu eorum pietatis, devotionis, rectæque dispositionis, fructus hujus Sacrificii augentur, atque multiplicantur, unde iterum Concil: Trident: Sefs: 22. Cap: 2. docet, per Mifsæ Sacrificium

fieri, *ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Et vero quæcunque justorum opera bona eo uberiorem fructum ſpiritualem producunt, quo cum maiore fervore perficiuntur. Miſsæ vero Sacrificium, est opus præstantiſsimum, pro gradu ergo fervoris, ac dispositione sive offerentis, sive illius pro quo offertur, fructus ſpirituales producit. *3tio*: Tandem Miſsæ Sacrificium vim quamdam, & efficaciam habet quatenus ab Ecclesia per Ministerium Sacerdotum, qui ejus ſunt Ministri, & ejus nomine orant, sacrificant, perficitur. Semper enim Ecclesia Sancta, & immaculata, ac proinde ab ispa oblatum Sacrificium ſemper Deo gratum, atque acceptum est.

Quæres 5to. Cujus valoris sit Miſsæ Sacrificium?

Resp: Miſsæ Sacrificium in se ſpectatum est valoris infiniti, quia idem est cum Sacrificio Crucis, quod infiniti valoris ac prætii fuit, ſufficientiſsimum ad delenda omnia mundi peccata, ad promerenda quæcunque beneficia, atque impetranda gratiarum dona; pariter ergo Miſsæ Sacrificium in se ſpectatum, ratione scilicet oblatæ victimæ, & principalis offerentis, qui est Christus, dignitatis, prætii & valoris est infiniti. Spectatum vero ſecundum efficaciam illius, & applicationem fructuum ejus hominibus, Deo sic volente, atque statuente est valoris finiti, quod vel ex eo manifeste constat, quod pro eodem sive vivente, sive defuncto homine, pro eadem necesſitate, pro eadem impetranda gratia plures Miſsæ Sacrificia offerantur, quod prorsus non eſset necesſarium, si fructus ac affectus infiniti quolibet Miſsæ Sacrificio applicarentur. Quare quantitas effectus Miſsæ, & applicatio fructus illius dependet. *1mo*: à Deo, ab ipsius voluntate, & beneplacito, qui dona distribuit, prout vult. *2do*: Ab intentione Ministri Sacrificium Miſsæ pro uno, aut altero offerentis, semper enim ſpecialis oratio, & oblatio plus prodest quam communis, unde in Concilio Constantiensi sequens Wiclefi damnata est propositio. *Speciales orationes applicatæ uni personæ, non plus prosunt eidem quam generales.* Et vero dum Miſsæ Sacrificium diversos fructus & effectus producere poſsit, & de se non est determinatum ut hos potius quam illos, in hoc vel illo producat subjecto, per intentionem ergo Ministri determinari debet, & ſpecialis gratia, ſpecialiter à Deo per Ministrum Sacrificantem peti debet. *3tio*: Tandem à dispositio-

ſitionibus, pietate, atque devotione illius, pro quo offertur, quia quævis gratia, & gratiæ causa pro capacitate ſubjecti, cui applicatur, ac conceditur, operatur.

Quæres 6to: Quis sit Minister Sacrificii Miſsæ?

Resp: Soli Sacerdotes ſunt Miſsæ Sacrificii Ministri, quia ipsis ſolis, ut docet Concil: Trid: Seſs: 22. Can: 2. in persona Apostolorum, Christus consecrandi Corpus, & Sangvinem ſuum, atque Sacrificandi dedit potestatem, dicens Lucæ cap: 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Id ipsum docent SS. Patres Justinus, Cyprianus, Hieronymus, & Tertullianus Libro de Præscript: arguit Marcionitas *quod Laicis ſacerdotalia munia injungant.* Ipse tamen Christus est principalis offerrens, atque ſeipsum per manus Sacerdotum Deo Patri offert, quia ipse est Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchisedech, ergo & nunc etiam per manus Sacerdotum in Miſsæ Sacrificio panem & vinum offert, unde Sacerdos Miſsam celebrans in persona Christi verba Consecrationis profert, quibus Sacrificium ſubstantialiter perficitur. Hinc in Concilio Lateran: 4to. dicitur, quod *idem ipse Sacerdos est, & Sacrificium*, & Concilium Trident: Seſs: 22. cap: 2. docet: *Idem nunc offerens Christus Sacerdotum ministerio, qui ſe ipsum in Cruce obtulit.* Verum & adstantes fideles, Miſsæ Sacrificium ſuo modo offerunt, quod ex Miſsæ ritu constat apertiſsime, Sacerdos siquidem Miſsam celebrans nomine populi Deum orat, *ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat.... Memento famulorum; qui tibi offerunt Sacrificium Laudis.*

Quæres 7mo: Pro quibus Miſsæ Sacrificium offerri poſsit?

Resp: Sacrificium Miſsæ pro omnibus viventibus hominibus etiam Gentilibus, Hæreticis, atque Schismaticis offerri potest. Namque Miſsæ Sacrificium idem est quoad ſubstantiam ac Sacrificium Crucis, hoc autem oblatum est pro omnibus omnino hominibus, quia Christus pro omnibus mortuus est, & Sangvinem ſuum effudit. Igitur & Miſsæ Sacrificium pro omnibus viventibus hominibus offerri potest. Et reipsa Apostolus Paulus ſcribens ad Timoth: Epistola 1. capite 2. obsecrat *fieri orationes pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt*, qui tunc infideles erant. Licet ergo pro infidelibus orare, & consequenter etiam Miſsæ Sacrificium offerre. Et id ſemper in Ecclesia usitatum fuiſse SS. Patres testantur. Tertullianus libro ad Sca-

pulam capite 2. inquit. *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris.* Dyonisius Alexand: apud Eusebium libro 7. hist: cap: 21. de Galieno. & Valeriano Imperatoribus ait. *Deo continuas preces offerrimus pro imperio illorum, ut stabile & inconcuſsum permaneat* & S. Athanasius in Apolog: ad Constantium refert, in Ecclesia Alexandrina, cui ipse præerat, nomen Imperatoris, licet Hæretici mediis in Litaniis recitatum fuiſse. Et certe pro conversione infidelium, hæreticorum, ac ſchismaticorum Ecclesia ſpeciales ad Deum fundit preces in die Parasceves. Quamquam vero liceat Sacerdoti, & cuivis fideli privatim orare pro infidelibus, hæreticis, ſchismatis, atque etiam excommunicatis, ſecundum tamen præsentem Ecclesiæ disciplinam pro iis nominatim Miſsæ Sacrificia non licet offerre, quia in pænam suæ pertinaciæ privati ſunt communibus fidelium suffragiis, inter quæ, primum locum tenet Miſsæ Sacrificium.

Quæres 8vo. Utrum etiam pro defunctis Miſsæ Sacrificium offerri poſsit?

Resp: 1mo: Pro defunctis damnatis nec potest, nec debet Miſsæ Sacrificium offerri. Enim vero status damnatorum immutabilis est, atque æternus, unde tritum illud omnium fidelium sensu confirmatum adagium. *In inferno nulla est redemptio*, quod cum fide Catholica certum sit, nec poſsunt, nec debent pro damnatis Sacrificia offerri, quia vana, & inutilia forent. Et vero ut inquit S. Augustinus libro 1. de origine animæ cap: 9 *Quis offerat Corpus Christi, nisi pro iis, qui membra sunt Christi.* Damnati autem membra Christi dici nequeunt. Ergo pro iis Miſsæ Sacrificium offerri nequit.

Pariter etiam pro Beatis in Cælo iam regnantibus Miſsæ Sacrificium non offertur, quia ipsi incommutabili felicitate jam perfruuntur. Unde Sacrificium Miſsæ Sanctis nihil prodeſset, neque ad gratiam, neque ad gloriam, quia gratia iam non indigent, & gloria eorum non augetur. Neque etiam ulla aut peccati macula inquinati ſunt, à quo mundari & expiari, aut pæna excruciantur, à qua Sacrificiis liberari indigeant. Unde S. Augustinus Tract: 84. in Joannem de Beatis sic inquit: *Non sic eos commemoramus quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi orent pro nobis.*

2do: Jam vero pro pie defunctis, quibus in Purgatorio aliquid luendum ſuperest, utiliter, & laudabiliter

Miſ-

Mifsæ facrificium offertur. Et id probatur: *1mo:* ex insigni facto Judæ Machabæi, qui ut habetur libro 2. Mach: cap: 12. *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum facrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans.* Patet inde Judæos Sacrificia pro mortuis obtulifse, atque istud inter eos commune, atque usitatifsimum fuifse, quod vel ipsa pecuniæ tam grandis collatio probat. Cum igitur Mifsæ Sacrificium Mosaicis Sacrificiis adumbratum fuerit, & in illorum locum fuccefserit, Christiani pie & laudabiliter illud pro Defunctis, qui dormitionem cum pietate acceperunt, offerunt. Et certe ut ibidem dicitur *Sancta & Salubris est cogitatio pro Defunctis exorare,* quibus non solum factum Judæ collaudatur, sed & absolute decernitur, fanctam & salubrem efse cogitationem pro defunctis exorare. Ergo & laudabiliter agunt, qui religiose de resurrectione cogitantes, Sacrificia pro mortuis offerrunt, & fancte ac falutariter faciunt, qui pro iis Deum exorant ut à peccatis, feu potius à pœnis iis promeritis falvantur.

2do: Ex constanti, ac perpetua Ecclesiæ Catholicæ Traditione, usu, atque praxi, juxta quam femper â temporibus Apostolorum pro Defunctis Mifsæ Sacrificia offerebantur, quod confirmat unanimis Ss. Patrum de fæculo in fæculum consensus Quare merito S. Chrysostomus Homil: 69. ad populum Antioch: dixit: *Non temere hæc ab Apostolis fancita fuerunt, ut in tremendis Mysteriis agatur defunctorum commemoratio, sciunt enim illis inde contingere multum lucrum, multam utilitatem.* Et certe Liturgiæ omnes pervetustifsimæ, Latinæ, Græcæ & Orientalis Ecclesiæ in Sacrificio Mifsæ preces habent pro defunctorum folatio, & requie, qui mos adeo universalis, & antiquus est, ut illius initium quoniam afsignari nequeat, Apostolicæ est Traditionis. Quare cum circa annum 351. Aerius fpargere cæpifset, quod preces, eleemosynas, & fanctum Sacrificium inutilia Defunctis efsent, id, ceu turpis in fide error, explosum ubique fuit, quemadmodum testantur Ss. Epiphanius & Augustinus. Merito itaque Concil: Trid: Sefs: 22. cap. 2 declaravit. *Sacrificium Mifsæ pro defunctis rite juxta Apostolorum Traditiones offerri,* & Canon. 3. definivit. *Si quis dixerit Mifsæ Sacrificium pro vivis & defunctis offerri non debere, Anathema sit.*

Objicies 1mo: Si valeret factum Machabæi, tunc etiam

etiam pro damnatis sacrificia offerre liceret. Namque pro quibus Judas sacrificium offerre curaverat, sub eorum tunicis post mortem inventa sunt idolorum donaria, à quibus lex prohibet Judæos. 2do: Si sacrificiis juventur animæ in Purgatorio detentæ, attenta Missarum multitudine, vix fieri posse, ut non quotidie Purgatorium evacuetur.

Resp: ad 1mum: Cum varia sint genera peccatorum, alia mortalia, quæ homines Dei inimicos constituunt, alia venialia, quæ non totaliter hominem à Deo separant, non continuo pro damnatis habendi sunt illi, qui aliquo modo contra legem delinquentes, mortui sunt. Sed poterant etiam ejusmodi culpam sincero cordis dolore diluere, & id præsumendum omnino est de iis, pro quibus Judas Machabæus offerri Sacrificia curaverat, de ipsis namque dicitur: *quod dormitionem cum pietate acceperant.*

Ad 2dum: Dispensatio, & applicatio fructuum Missæ Sacrificii, dependet, & à beneplacito Divinæ voluntatis, & à dispositionibus eorum, pro quibus Sacrificia offeruntur. Hæc porro cum ignota nobis sint, nihil hac de re statuere possumus. Interim juxta monitum Christi satagere debemus, ut culparum nostrarum veniam ante nostrum obitum obtineamus. *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum eo in via, ne forte mittaris in carcerem. Amen dico tibi non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem. Math: cap: 5.*

Quæres 9no: Quibus Missæ Sacrificium offertur, & offerendum est?

Resp: Missæ Sacrificia non Sanctis sed soli Deo offeruntur quamvis in memoriam Sanctorum. Namque Sacrificium principaliter offertur ut homines conditorem suum, tamquam rerum omnium supremum dominum venerentur, ipsique cultum & proprium & debitum exhibeant. Nemo autem ita unquam desipuit, ut cultum qui summus est, & soli Deo debetur, Sanctis tribuat. Soli ergo Deo non vero Sanctis Missæ Sacrificia offerimus, quamvis eorum recolendo memorias sacrificemus. Unde Augustinus libro 20. contra Faustum cap: 21. sic inquit: *Nulli Martyrum, quamvis in memoriis Martyrum constituimus Altaria, quod offertur, Deo offertur qui Martyres coronavit*, idem habet lib: 22. de Civit: Dei cap: 10. *Deo non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum, quia Dei Sacerdos est, non illorum.* Præclare itaque Concilium Triden: Sess: 22. cap: 3. sic inquit: *Quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum*

dum Mifsas Ecclesia celebrare consveverit, non tamen illis Sacrificium offeri docet, sed Deo soli, qui eos coronavit. Et vero vetustifsimas omnes Latinæ, & Græcæ Ecclesiæ pervolvendo Liturgias, Sanctorum memoriæ in illis habentur, nullibi vero ipsis Sacrificium offerri invenitur. Quamobrem Mifsæ Sacrificium soli Deo offertur, in memoriam & honorem Sanctorum & quidem multis de causis, quas Concilium Tridentinum loco mox laudato adducit, scilicet ut pro illorum victoriis Deo gratias agamus, ut illorum patrocinium imploremus, & illi pro nobis intercedant in Cælis, quorum memoriam agimus in terris. Sanctos vero commemoramus in Mifsa, ut eorum exemplo excitati, illorum intercefsionibus adjuvemur, ad percipiendum fructum pafsionis ac mortis Christi. Unde Augustinus libro 8. de Civit: Dei cap: 27. de Mifsæ Sacrificio quod apud Martyrum memorias offerebatur, ita inquit: *Apud eorum memorias offertur Deo, qui eos & homines, & Martyres fecit, & Sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit, ut ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad immitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoriæ renovatione adhortemur.* Rem ultimato definivit Concilium Triden: Sefs: 22. Can: 5. *Si quis dixerit, imposturum efse Mifsas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercefsione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

Objicies: Christus Sacrificium Mifsæ instituens non dixit. *Hoc facite in Sanctorum commemorationem*, sed *hoc facite in meam commemorationem.* Præterea hoc multum derogat; quod postulando in Mifsa dicimus, ut Sanctorum meritis & precibus in omnibus protectionis Divinæ inuniamur auxilio.

Resp: Totam Mifsæ Sacrificium in Christi commemorationem perficimus, ejus mortem repræsentamus, atque ea omnia peragimus, quæ ipse in ultima Cæna gefsit. Sed insuper cum Deo istud Sacrificium persolvimus, Sanctos etiam commemoramus, pro beneficiis ipsis collatis ei gratias agendo, & illorum ad Deum pro nobis intercefsionem implorando. Hinc S. Cyrillus Hierosoly: Catech: 5. sic inquit. *Cum hoc Sacrificium offerimus, mentionem facimus eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras.* Neque etiam Sanctorum meritis ita innitimur, ut

ut Christi pafsionem, Crucisque Sacrificium haud nobis fufficere judicemus, sed cuncta Sanctorum merita, preceesque ex Christi pafsione atque eius gratia descendere, precesque illorum inde vim impetrandi habere, confitemur, ac proinde eorum ad Deum pro nobis intercefsionem invocando, Deum per Christi merita & Sanctorum preces exoramus, ut suæ protectionis auxilio nos communire dignetur.

Quæres xomo: Quid de Mifsis privatis sentiendum est?

Resp: Mifsæ privatæ illæ dicuntur, quæ vel in privatis facellis, vel in Ecclesiis, sed sine cantu, & absque folemnitate peraguntur, atque illæ etiam privatæ nominantur, in quibus solus Sacerdos communicat, & nulli alii.

Contra hoc Mifsarum genus maxime exarsit Lutherus, easque abrogare conabatur. Jllius, atque sequacium ipsius errorem damnavit Concilium Trident: Sefs: 22. Can: 8vo. his verbis *Si quis dixerit, Mifsas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas efse, ideoque abrogandas, anathema sit.* Itaque Mifsæ, quæ privatæ dicuntur, licite ac legitime peraguntur, neque reprehendi pofsunt. Et id constat ex vetustifsima Ecclesiæ consvetudine, cujus testes sunt SS. Patres Cyprianus, Gregorius Nanzianzenus, Augustinus, Gregorius Magnus & alii. Certe ex vitis multorom Sanctorum maxime S. Amplii qui vixit circa annum 300. SS. Joannis & Pauli, S. Cafsiani Narinensis Episcopi, S. Joannis Eleemosynarii, S. Paulini Nolani & aliorum constat, Mifsas in privatis Cellulis celebratas fuifse, quod etiam Tertulliani, S. Ambrosii, Teodoreti testimoniis facile est comprobare. Multa quoque ex Historia Ecclesiastica afferri pofsunt, quæ evincunt, Mifsas privatas semper celebratas fuifse, eorumque usum primis etiam Ecclesiæ fæculis viguifse. Et certe in Mifsis privatis nihil deest eorum, quæ ad rationem Sacrificii prærequiruntur, ac necefsaria funt. Præterea proprie loquendo, & in rigore rem considerando, nulla Mifsa privata est, quia à publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, pro communibus necefsitatibus offertur, & in qualibet præsentes, & adstantes fpiritualiter communicant, & facramentaliter quoque, si velint, communicare pofsunt. Præclare Concilium Tridentinum Sefs: 22. cap: 6. sic inquit, *Mifsæ in quibus solus Sacerdos facramentaliter communicat,*

nicat, vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim quod à publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus celebrentur.

Dices: In perficiendo Missæ Sacrificio ea observanda sunt, quæ Christus illud instituendo perfecit. Porro Christus Missæ Sacrificium instituendo de consecrato pane, & calice omnibus adstantibus dedit dicens. *Accipite, & manducate... Bibite ex hoc omnes.* Idem ergo faciendum est in qualibet Missa, & in qua illud non fit, contra Christi institutionem fit. Præterea ut docet Apostolus S. Corinth: cap: 11. Cæna Domini convenientibus omnibus celebrabatur, & ab omnibus manducabatur, ait enim: *Convenientibus vobis in unum iam non est Dominicam Cœnam manducare, unusquisque enim Cœnam suam præsumit ad manducandum*, ubi etiam Paulus Cænam Dominicam privatæ opponit, & privatam non esse dominicam cænam asserit. Cum igitur in Missa Dominica Cæna representetur, hæc privatim fieri non debet, sed omnibus convenientibus, ut ex illa omnes manducare possint.

Resp: In perficiendo Missæ Sacrificio ea omnia facienda, & absolvenda sunt ad Christi immitationem, quæ nimirum ad Sacrificii essentiam, constitutionemque spectant. Quæ autem illa sunt, Ecclesiæ est definire, quam Christus mentis suæ interpretem esse voluit. Cum itaque Sacrificia privata licita esse semper Ecclesia agnoverit, illaque à primis sæculis in usu fuerint, non est verisimile ipsa institutioni Christi contraria esse.

Apostolus autem non loquitur de Cæna Eucharistica, sed de Cæna quadam profana, ac civili, quæ à fidelibus in memoriam ultimæ Cænæ, quam Christus cum Apostolis fecit, fiebat quæ Agape dicebatur. Ita censet, Tertullianus, Chrysostomus, Æcumenius, ac alii. Neque aliter allata Apostoli dicta intelligi & exponi possunt. Addit enim Apostolus, *alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Ex consecrato vero calice modica portio fidelibus præbebatur, quæ ebrietatem causare non poterat. Dum autem dicit Paulus *esurire alium*, divites reprehendit, qui in illis Cænis exquisitis, copiosisque, cibis domo asportatis utebantur, & ad illorum participationem pauperes minime admittebant, unde statim subjungit, *Numquid domos non habetis ad manducandum ac bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis & confunditis eos qui non habent,*

habent, quasi diceret expedire ut domi soli manducent, & bibant, quando nolunt pauperes ad ciborum participationem admittere. Cæna itaque, de qua loquitur Apostolus, quæ convenientibus in Ecclesia fiebat, non est Eucharistica & ſacra sed communis & profana, quod ex ipsis etiam obiectis Pauli verbis manifestum est, dicit enim Apostolus. *Unusquisque suam Cœnam præsumit ad manducandum*, quod nonnisi de Cæna profana intelligi, & accipi potest. Eucharistica siquidem Cæna pro nobis parabatur, atque consecrabatur, de ea omnibus distribuebatur, non unusquisque sibi illam parabat, & ad manducandum afsumebat. Ex modo igitur, quo istiusmodi profanæ fiebant Cænæ, de quibus in obiecto textu loquitur Apostolus, non licet inferre, eodem modo & Cænam Eucharisticam peragi debere, maxime quia Paulus eodem in capite, ex occasione profanæ illius Cænæ, sermonem de Cæna Eucharistica instituens, hoc unum ad illius dignam manducationem expostulat, ac præscribit, ut quilibet se ipsum probet, atque sic de consecrato pane edat, & de calice bibat, tandem priorem de profana Cæna resumens sermonem concludit. *Cum convenietis ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis.* Neque mirum est Apostolum in uno eodemque Capite modo de sacra, modo de profana loqui Cæna, id enim & aliis Scriptoribus frequens est, ut in uno eodemque Capite de rebus diversis ſermonem instituant.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO PŒNITENTIÆ ET INDULGENTIIS.

Pænitentia ſpectari potest ut virtus, & ut novæ legis Sacramentum, circa illam multipliciter erraruut Hæretici, eorum errores convellere, atque iis contraria fidei Catholicæ dogmata stabilire neceſse est.

CAPUT PRIMUM

De nomine & notione Pænitentiæ, quid illa ut virtus sit, quid ut Sacramentum, quæ eius vis, efficacia, & quis illius Minister

---

ARTICULUS Imus

De notione Pænitentiæ ut est virtus, & quid illa sit ut Sacramentum.

Quæres 1mo. Quid Pænitentiæ nomen significet?

Resp: Pænitentiæ nomen, quod ſæpe in ſacris Scripturis occurrit, nihil aliud significat nisi dolorem, ac merorem ob commiſsa peccata, quem plerumque externis quibusdam signis exprimere, ac ostendere ſolemus. Hanc veram, atque germanam eſse hujus vocis significationem, ipsæ Scripturæ Sacræ declarant. Sic Job cap: ultimo ait. *Ipse me reprehendo & ago pænitentiam in favilla & cinere*. Sapient: cap: 5. impii *dicent intra se pænitentiam agentes, & præ angustia ſpiritus gementes*. Mathæi capite 11. dicitur. *Si in Tyro, & Sinode factæ eſsent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in*

in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſsent & cap: 12 hæc habentur: *Viri Ninivitæ pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.* At vero ex cap: 3. Jonæ discimus Ninivitas *jejunia, ſaccum, & cinerem* ad placandam Divinam indignationem adhibuiſse. Eadem est nominis hujus significatio apud SS. Patres S. Augustinus Serm: 351 ſcribit quod ad pænitentiam non ſufficiat *mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium,* & Isidorus Hispalensis libro 2. Sent: cap: 13 sic inquit. *Ille pœnitentiam digne agit, qui reatum ſuum ſatisfactione legitima plangit, condemnando scilicet & deflendo quod poſsit.*

Dices. Nihil aliud Latinis est *Pænitentia* quam Græcis *Metanoia,* hæc autem ſolam resipiscentiam, & vitæ novitatem importat. Unde Tertull: libro 2. contra Marcionem cap: 14. inquit. *In græco ſono penitentiæ nomen, non delicti canfeſsione, ſed ex animi demutatione compositum est.* Pænitentia igitur ſolam resipiscentiam, & vitæ novitatem significat.

Resp: Verum est per *Metanoiam* ſæpe & nudam vocis originem ſpectando, resipiscentiam intelligi, sic eam ſpectavit Tertullianus, & post ipsum Lactantius libro 6. Instit: cap: 24. ſed vocis communem significationem, ac usum attendendo non pro ſola resipiscentia ſumitur, ſed & pro criminis patrati dolore, detestatione, atque punitione, sic Math: cap: 11. & Lucæ cap: 20, ubi de futuribili Tyriorum & Sidoniorum pænitentia agitur, uterque Evangelistæ *Metanoiæ* voce utitur. Porro illa pænitentia quæ in cilicio & cinere reponitur, non nudam resipiscentiam, ſed acrem peccatorum commiſsorum dolorem, odium, ac detestationem, illorumque vindictam denotat, ac importat. Unde compertum est vocem *Metanoia* ſæpius significare, *expetere, exposcere pœnas pro delicto,* quo ſensu apud profanos etiam Auctores, veluti apud Ciceronem in Trocal: 4. & alios ſumitur, quare Ethnici Deam quandam *Metanœam* finxerant, quæ pænas malefactorum exigebat, de qua Auxonius sic loquitur.

Sum Dea, quæ facti non factique exigo pœnas.
Nempe ut pæniteat, sic Metanœa vocor.

Quæ-

Quæres 2do: Si ergo Pænitentia spectetur ut virtus, in quo ipsa consistit?

Resp: Lutherus voci græcæ *Metanoia* qua pænitentia apud Græcos designatur, nimium confisus, Pænitentiam, in sola resipiscentia, & novæ vitæ inchoatione reponebat, dolorem animi pro commissis delictis, eorumque detestationem, pænas denique punitivas, atque prorsus satisfactorias, non necessarias esse arbitratus est, sed perperam, Pænitentia namque non solum importat resipiscentiam, aut mali animi mutationem, sed & peccati detestationem, congruamque ipsius exigit expiationem. *Probat:* id ex Scripturis. Libro 3. Regum cap: 21. sic describitur Achab Regis pænitentia *Scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite.* Joelis etiam cap: 2. describitur pænitentia qualem Deus à peccatoribus exigebat. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Hic ergo pænitentia non reponitur tantum in resipiscentia, neque in solo novæ vitæ proposito, sed in profundo de commissis peccatis cordis dolore, in cilicio, planctu, pænisque aliis criminum punitivis. Hæc itaque ad veram pænitentiam omnino sunt necessaria. Et ita docent SS. Patres, audiatur Ambrosius apud Gratianum de Pænitentia Dist: 3. cap: 1. ubi sic ait. *Pænitentia est & mala preterita plangere, & plangenda non admittere* quam sententiam exscripsisse videtur S. Gregorius Magnus Homil: 34. in Evangelia. Et vero *pœnitere* à pæna, & punitione derivatur, unde Isidorus Hispalensis libro 6. Originum cap: ultimo sic inquit. *Pænitentia appellatur quasi punitentia, eo quod ipse homo puniat pœnitendo inse, quod male admisit*, & Augustinus. *Pænitere est pœnam tenere.* Sed & profani Auctores pænitentiam pro patrati criminis dolore atque angore acceperunt, hinc illud Ovidii libro 1. de Panto Elegia 1.

Pœnitet: oh, si quid miserorum creditur ulli.
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.

Certe ipsum naturale lumen dictat neminem posse vitam pristinam per pænitentiam mutare, quin malum quod relinquit, quodque sibi in posterum declinandum proponit, aversetur, detesteturque, & quemadmodum idea

ad

ad bonum convertimur, quia illud amamus, pariter etiam ideo à malo avertimur, quia illud odio prosequimur. Merito itaque Concil: Trident: Seſs 14. Can: 13. constituit. *Si quis dixerit, optimam pœnitentiam eſse tantum novam vitam, anathema sit.* Hinc pænitentia si ſpectetur ut virtus ex doctrina Catechismi Romani Parte 2. de Pænit: Sacram: recte sic describitur. *Est virtus, qua homo movetur ad odium & detestationem peccati ſui, ad firmum melioris vitæ propositum, & ad ſui vindictam in compensationem injuriæ Deo illatæ.* Et hæc ſemper ad obtinendam à Supremo Numine peccatorum veniam neceſsaria fuit, atque nunc est, Sacramentique hujus partem constituit.

Quæres 3tio: Pænitentia estne verum novæ legis Sacramentum?

Resp: Quamvis Gnostici, Montanistæ, Novatiani, Manichæi, Waldenses, aliique veteres hæretici circa Pænitentiæ Sacramentum graviter erraverint, eam tamen Sacramentum eſse agnoverunt. Sed Lutherus, Calvinus, Zwinglius, Pænitentiam é numero Sacramentorum craserunt, & quamvis nonnulli modo ex Lutheranis ore tenus profiteantur Pænitentiæ Sacramentum, Confeſsioneque peccatorum apud ſuos Pastores fieri ſolita utantur, reipsa tamen illud destruunt, quia à Sacerdote remitti peccata negunt, & abſolutionem ab ipso datam nihil aliud eſse contendunt, quam nudam declarationem remiſsa eſse pænitenti peccata, erraneè censentes per solam fidem hominem justificari. At Calviniani, atque Zwingliani constanter Pænitentiæ Sacramentum repudiant, docentes peccata post Baptismum commiſsa, illius virtute per fidem in memoriam revocata, deleri, arbitrantes in Baptismate obsignari remiſsionem peccatorum non præteritorum dumtaxat, præsentium, ſed & futurorum, unde in maximo errore versantur dum Pænitentiam Sacramentum eſse à Baptismi Sacramento omnino distinctum perfracte negant. Hos errores Cocilium Tridentinum Seſs: 14. sequentibus Canonibus damnavit: 1mo: *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non eſse vere, & proprie Sacramentum pro Fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* 2do: *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum pœnitentiæ Sacramentum eſse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufra-*

naufragium tabulam appellari, anathema sit. 3tio: *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remituntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt, non eſse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, anathema sit.* 4to: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis, non eſse actum judicialem, ſed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remiſsa eſse peccata confitenti, modo tantum credat se eſse absolutum, anathema sit.* Pænitentia itaque est Sacramentum à Christo Domino institutum, quo commiſsa post Baptismum peccata, per Sacerdotis absolutionem, contritis, confeſsis, & satisfactionem ſpondentibus vere remittuntur ac delentur.

Quæres 4to: Quibus argumentis evincitur Pœnitentiam eſse verum novæ legis Sacramentum.

Resp: Sequentibus: Et quidem *1mo*: ex Sacris Scripturis. Math: Cap: 16. dixerat Christus Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris ſuper terram, erit solutum & in cœlis*; quæ iterum Cap: 18 omnibus Apostolis repetit. Potestatem itaque solvendi, ac ligandi, dimittendi, ac retinendi peccata, Apostolis se daturum appromiserat Christus, & reipsa post ſuam Resurrectionem illam eis contulit, aliis communicandam. Joan: cap: 20. dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Cum igitur ampliſsimam Christus remittendi, ac retinendi peccata, Apostolis dederit potestatem ad eorum ſucceſsores transmittendam, Episcopi ergo & Sacerdotes utpote Apostolorum ſucceſsores, habent potestatem dimittendi, ac retinendi peccata. Hanc vero potestatem Pænitentiam administrando exercent, pænitentes alios à peccatis solvunt, alios ligant, aliis peccata remittunt, aliis retinent. Est ergo Pænitentia verum novæ legis Sacramentum. Certe ad Sacramentum requiritur, signum ſensibile, & gratiæ collatio: Porro in Pænitentia utrumque reperitur. Est signum sensibile, quia ex una parte est peccatorum declaratio, cum exterioribus doloris signis, ex secunda autem parte est Sacerdotis velut judicis ſententia aut ſolventis, aut ligantis. Est collatio gratiæ, quia peccata remittuntur, & sine collatione gratiæ illa non remittuntur. Quare ſemper in Ecclesia Catholica peccatores, ut à peccatis ſolverentur à Ministris

Eccle-

Ecclesiæ absolutionem postularunt, quia per eam peccata dimitti, & gratiam conferri existimarunt. Est itaque Pænitentia verum novæ legis Sacramentum.

2do: Probatur ex Patribus, qui Pænitentiam Sacramenti, ac Mysterii nomine cohonestarunt, eodemque modo de Pænitentia, ac de Baptismo locuti sunt, pari ergo modo Pænitentiam ac Baptismum Sacramentum esse censuerant. Et certe Tertulianus de Pænitentia Cap: 12. ita scribit: *Cum scias adversus gehennam post prima illa institutionis Dominicæ munimenta esse adhuc in exhomologesi* (hoc est confessione) *secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? Quid ergo ultra de istis duobus humanæ salutis quasi plangis?* S. Hieronymus libro 1. contra Pelagianos ait: *Redimatur sangvine Salvatoris, aut in domo Baptismatis aut in Pænitentia, quæ imitatur Baptismatis gratiam:* & S. Ambrosius libro de Pænit: Cap: 3. dicit de Baptismo & Pænitentia: *Idem in utroque mysterio est.* Præterea unanimiter Ss. Patres docent in Confessione per Sacerdotis Ministerium peccata remitti, hanc remissionem apud Deum valere, peccatores à sordibus animæ purgari, ipsos reconciliari, & in suorum peccatorum cofessione medicinam inveniri. Sic Origenes Homil: 2. in Levit: de peccatore ait: *Non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam.* Cyprianus Tract: de lapsis Cap: 11. inquit: *Confiteantur singuli, dum satisfatio & remissio facta per Sacerdotes apud Deum valeat.* S. Chrysost: libro 3. de Sacerdotio, ait: *Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatam probare Judæorum Sacerdotibus solis licebat. At vero nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, séd purgare prorsus concessum est;* tandem S. Leo magnus Epist: 83. sic præclare scribit: *Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pænitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum, per januam reconciliationis admitterent.* Ex quibus apparet manifestissime Pænitentiam verum esse novæ legis Sacramentum.

3tio: Evincitur idem dogma ex unanimi consensu omnium Ecclesiarum. Certe ante exortos Lutheri ac Calvini errores nemo ullus Pænitentiæ Sacramentum negavit, Ecclesia Latina, & Græca constanter illud retinebant, & hucusque retinent, quod non solum ex eorum antiquissi-

quifsimis libris Pænitentialibus, fed & ex recentioribus Scriptoribus Græcis, Gabriele Ppiladelphiensi, Arcudio, Leone Allatio, ceterisque apparet, fed & Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus publice Pænitentiam Sacramentum efse à Jesu Christo institutum profefsus est. Tandem Ecclesiæ Orientales, quæ jam pridem ab utraque Ecclesia Latina, & Græca feparatæ funt, Pænitentiæ Sacramentum agnoscunt, quod ex eorum Ritualibus libris constat evidentifsime. Hæc vero tot Christianarum Ecclesiarum per omnia sæcula servata consensio, ineluctabile est veritatis, & Apostolicæ fidei argumentum.

Obijcies 1mo: Apud Scriptores Ecclesiasticos priorum fæculorum Sacramenti Pænitentiæ nulla legitur mentio. *2do:* Si Christus Apostolis judiciariam dedifset potestatem ligandi atque solvendi, ejus ufus in Apostolorum historia appareret, at nullatenus apparet. *3tio*: Neque etiam ex illis Christi verbis: *Quorum remiseritis...* hujus Sacramenti institutio depromi potest, nam statim additum est: *Quorum retinueritis...* nemo autem dixerit Sacramentum ligare, & ad ligandum institutum efse. *4to*: Hebr: Cap: 10. inquit Apostolus: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam* (in Baptismo videlicet) *notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Porro si extaret in Ecclesia Sacramentum Pænitentiæ ad delenda peccata institutum, jam post Baptismum extaret pro peccatis hostia, modusque illa diluendi. Non est ergo Pænitentia Sacramentum.

Resp: ad 1mum: Id falsum est, namque Tertulianus, Cyprianus, Chrysostomus, Pacianus, Ambrosius, Augustinus, 2. 3. & 4ti sæculi Auctores de hoc Sacramento verba faciunt, item libri Rituales, ac Liturgici antiquifsimi. Sed etiamsi illorum temporum Patres de hoc Sacramento siluifsent, non ideo negandum efset, quia multa creduntur, quæ à Patribus priorum sæculorum non memorantur, aurea etiam 1mi & 2di sæculi pietas, Sacramentum hoc infrequens reddebat, & ideo Ss. Patres raro de illo sermonem faciebant.

Ad 2dum: Argumentum unum negativum contra plura positiva, nihil valere potest. Quod nullibi in historia Apostolorum appareat vestigium, ipsos judiciaria ligandi & solvendi usos fuifse potestate, est argumentum negativum; positivis vero argumentis probatur, Christum Apostolis ligandi, atque solvendi contulifse potestatem, eorumque fuccefsores ea constanter in dimittendis, ac retinen-

dis peccatis usos fuiſse, hoc ergo prævalet. Et vero Paulum Apostolum judiciaria ligandi, ac solvendi potestate usum fuiſse constat ex facto Corinthii incestuosi, quem enim Epist: 1. Cap: 5. anathemate perculit, illum Epist: 2. Cap. 2. ab anathemate solvit.

Ad 3tium: Vi Divinæ institutionis Sacerdotes Pænitentiæ Sacramentum administrando, judiciariam exercent potestatem, quæ ligandi & solvendi requirit facultatem, & quamquam Sacramentum hoc non conficiatur nisi remittendo peccata, quia tamen remitti non debent peccata, nisi iis, qui hac gratia digni ſunt, & ut á peccatis solvantur, ad id recte dispositi inveniuntur, ideo Christus hoc Sacramentum instituens utramque ligandi, & solvendi contulit potestatem.

Ad 4tum: Apostolus non de quoquomodo post baptismum peccantibus loquitur, sed de iis ſermonem instituit, qui suscepto baptismate, deinceps ſpreta Christi religione ad Judaismum reversi sunt, de iis namque ibi loquitur, qui ut cap: 6. dixerat, cum iam illuminati eſsent, gustaverunt etiam donum cæleste, Spiritus ſancti participes facti sunt, prolapsi ſunt, rursum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei & ostentui habentes. His docet Apostolus non relinqui pro peccatis hostiam, non quia ipsa desit, ſed quia eam spreverunt, conversi retrorsum, Christum Dominum, qui una est ſalutis victima, abjicientes, quare de iis etiam Petrus Apostolus Epist: 2. cap: 2. ait: *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est ſancto mandato*, hos rursus ad Pænitentiam renovari imposibile eſse dicit, non quidem absolute, aut quasi desit medium, modusque renovationis, cum toties peccantes ipse ad pænitentiam, & renovationem ſpiritus adhortetur, sed quia veluti terra ſæpe venientem ſupra se bibentes aquam, & ſpinas ac tribulos tantum proferentes reprobi, & maledicto proximi facti sunt, ac postquam sua perversitate filium Dei conculcaverint, & sangvinem testamenti, in quo Sanctificati erant, pollutum duxerint, ſpiritui gratiæ contumeliam fecerint, jam eis propterea manet terribilis judicii expectatio, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.

Quæres 5to. Estne Pænitentia reipsa distinctum Sacramentum á Sacramento Baptismi?

Resp: Est reipsa distinctum. Enimvero differt unum Sacramentum ab altero penes materiam, formam, Ministrum

nistrum, finem, atque subiectum cui applicatur. Porro in his Pænitentia à Baptismo omnino differt & discrepat. Namque Baptismi materia est aqua, Pænitentiæ vero materiam constituunt actus pænitentis: Baptismi forma ex Christi verbis deprompta hæc est: *Ego te baptiso...* Pænitentiæ; *Ego te absolvo...* Minister Baptismi omnis homo vivens esse potest. Pænitentiæ solus nonnisi Sacerdos. Baptismus fuit institutus ad delendum originale peccatum, & cetera ante baptismum commissa peccata, Pænitentia ad delenda post Baptismum commissa scelera. Baptismus non solum peccata delet, sed & omnem remittit pænam æternam & temporalem, non item Pænitentia, siquidem quilibet pænitens scelus suum in se ipso punire debet. Tandem Baptisari potest omnis homo, qui illud expostulat. Pænitentia sacramentalis nonnisi homini baptisato concedi potest. Cum itaque materia, forma, Minister, finis, effectus alii omnino sint in Pænitentia, alii in Baptismate, evidentissimum est hæc duo Sacramenta inter se differre. Merito itaque Concilium Tridentinum Sess. 6. cap: 14. censuit eos, qui accepta per Baptismum justificationis gratia prolapsi sunt, & per peccatum ab illa exciderunt, per Sacramentum Pænitentiæ pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur à Christo institutum, rursus justificari, ac renovari, illorumque Pænitentiam multo aliam ac diversam esse. Et vero ex ipsa Christi institutione apparet, hæc duo Sacramenta esse à se invicem distincta, magnumque inter ea discrimen reperiri. Baptismum siquidem instituens dixit: *Euntes docete, baptisantes eos in nomine Patris &c.* Pænitentiam vero constituens in Apostolos insufflavit, & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt*, & quemadmodum aliud est hominem lavare, abluere, aliud illum solvere, ligare, peccata ipsi dimittere, vel judiciaria potestate retinere, ita aliud Pænitentiæ, aliud Baptismi est Sacramentum. Et vero qui post Baptismum peccarunt, non ad Baptismum, ejusque reminiscentiam, sed ad Pænitentiam per quam Divina ira placari, & qua misericordia obtineri possit in Scripturis Sacris remittuntur. Sic Actor: cap: 8. S. Petrus Simonem Magum ad Pænitentiam exhortatur: *Pænitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*, & S. Joannes Epist: 1. cap: 1. inquit: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet*

det nos ab omni iniquitate. Unde SS. Patres Pænitentiam, uti singulare Sacramentum, à Baptismo distinctum agnoscunt, & ideo *secundam post naufragium tabulam*, illam appellare solent, docentes peccata post Baptismum commissa, non per Baptismi reminiscentiam, sed per Pænitentiam deleri. Sic Tertullianus libro de Pænit: cap: 7. inquit: *Collocavit in vestibulo Pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat*, S. Augustinus in Enchiridio cap: 46. ait de baptisatis: *Peccata quæ male agendo postea committuntur, possunt & pœnitendo sanari, sicut post baptismum fieri videmus.*

Objicies 1mo: Potestas dimittendi peccata conjuncta fuit â Christo cum potestate baptisandi, namque secundum S. Augustinum eodem tempore utraque Apostolis data fuit. Pænitentia igitur non potest esse Sacramentum à Baptismo distinctum, unde etiam in Actis Apostolorum pluries legitur, illos prædicasse baptismum Pænitentiæ in remissionem peccatorum. *2do:* Paulus in Epist: ad Ephes: cap: 5. de Ecclesia dicit, quod Christus eam mundet *lavacro aquæ in verbo vitæ.* Omnis ergo peccatorum remissio Baptismati aut semel suscepto, aut in memoriam revocato referri debet, quare & S. Augustinus libro 1. de Nuptiis & Concupis: cap: 32. docet, eodem regenerationis lavacro mundari, & sanari, *non solum peccata quæ omnia remittuntur nunc in baptismate, sed etiam quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, quia ipso quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* *3tio*: Pænitentiæ Sacramentum ad diluenda peccata nullius est necessitatis, quia hæc per veram contritionem, & actus charitatis, obtineri potest, unde Psal: 50. legitur: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*, & Lucæ cap: 11. dicitur: *Date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis.*

Resp: ad 1mum: Quamvis concedatur eodem tempore â Christo concessam fuisse Apostolis potestatem & baptisandi & peccata dimittendi, non tamen sequitur utramque potestatem eandem esse, quia & diverso modo datur, & ad diversa datur, potestas scilicet baptisandi datur abluendi eos omnes, qui crediderint, potestas vero remittendi peccata datur, ut judicium exerceatur, & re perspecta, aut ligentur, aut solvantur, quare potestas baptisandi respicit infideles, qui crediderint, potestas remittendi peccata respicit fideles, & qui jam Ecclesiæ

siæ subiecti sunt, quos etiam peccantes Ecclesiæ deferre Christus jussit, & si ipsam non audierint, velut Ethnicos, & publicanos habendos esse præcepit.

Prædicabant equidem Apostoli baptismum Pænitentiæ in remissionem peccatorum, & tunc Ethnicos, Judæos, Catechumenos, ceterosque baptisandos alloquebantur. His Baptismus necessarius erat in remissionem peccatorum, sed quia Baptismus impeccabiles non efficit homines, ideo & baptisatos peccantes ad Pænitentiam exortabantur, pro ipsisque qui post Baptismum laberentur, hoc Pænitentiæ Sacramentum Christus instituit. Præclare hac de re loquuntur Patres Concilii Trident: Sess: 14. cap: 1. *Si ea in generatis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo, ipsius beneficio, & gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pænitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur.*

Ad 2dum: Loquitur eo in loco Apostolus de prima Ecclesiæ fundatione, cujus fundamenta Christus fecit tradens *se ipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam.* Sed & nunc etiam omnes in eam cooptantur baptismate purgati, & lavacro aquæ in verbo vitæ mundati. Dum vero S. Augustinus dicit, peccata etiam post Baptismum commissa, per Baptisma deleri, illud considerat tamquam causam remotam hujus emundationis, non autem veluti proximam, quæ ipsa est Pænitentia. Baptismus siquidem est janua omnium Sacramentorum, & inutilis est omnis Pænitentia, quam baptismus non antecedit, quare ibidem sic loquitur Augustinu: *Quid prodesset vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea nisi, præcederet.* Igitur omnis nostræ justificationis, sanctitatis, quam post baptisma per alia Sacramenta acquirimus, fons, ac prima radix causaque est Baptismus, quia sine eo cetera Sacramenta nihil nobis prodessent, ipsi ergo remote omnia, quæ cetera Sacramenta in nobis efficiunt, attribuuntur.

Ad 3tium: Raro admodum per contritionem actusque charitatis diluuntur peccata, hoc enim non fit, nisi con-

contritio, charitasque perfecta sit, quæ difficile & raro habetur, facilius ergo Christus nobis ad emendanda peccata nostra, in Sacramento Pænitentiæ providit remedium, ubi cum initiali etiam charitate, atque imperfecta contritione justificamur.

Quæres 6to: Quis, & quando Pænitentiæ Sacramentum instituit?

Resp: Pænitentiæ Sacramentum ipse Christus instituit. Verum enim est quod dixerunt Judæi Marci cap: 2. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus.* Cum vero Christus & verus Deus sit, &ipse miraculis comprobavit datam sibi fuisse potestatem in terra dimittendi peccata, proindeque quemadmodum missus fuerat in mundum à Patre, ita quoque post Resurrectionem suam in omnem terram mittens Apostolos suos, Joannis cap: 20. *insufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, quibus verbis Pænitentiæ Sacramentum instituit. Et ita docet Concilium Tridentinum Sess: 14. cap: 1. his verbis: *Dominus Sacramentum Pænitentiæ tunc instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.* Cum itaque Christus Math: cap: 16. Petro dixerat: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cælis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in Cælis*, capite vero 18. Apostolis omnibus: *Quæcunque alligaveritis super terram, erant ligata et in Cælo, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in Cælo*, appromisit quidem se illis daturum potestatem solvendi, & ligandi, sed tunc illam reipsa non dedit, quare & Petro nonnisi in futuro dixit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, actu vero illam ipsis contulit, cum post Resurrectionem suam in eos insufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum &c.*

Quæres 7mo: An, et quomodo Sacramentum Pænitentiæ sit ad salutem necessarium?

Resp: Concilium Tridentinum Sess: 14. cap: 2. sic decernit. *Est hoc Sacramentum Pænitentiæ, lapsis post Bap-*

Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus. Enim vero, qui Divinis beneficiis ingratus graviter deliquerat, in gratiam Dei redire nequit, neglectis à Christo Salvatore institutis mediis, quibus peccatorum veniam impertiri ipsi placet. Cum itaque Christus Dominus peccata remittendi, solvendi, ac ligandi potestatem legitimis Ecclesiæ suæ Ministris contulerit, atque appromiserit se ratum habiturum in Cælis, quod ipsi in terris solverint, remiserintque, consequens est, ut qui ab iis peccatorum vinculo solutus non est, nec veniam à Deo, nec æternam salutem consequi valeat. Unde sapienter Augustinus scripsit Epist: 228. ad Honoratum. *Si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati, quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt.* Sacramentum igitur Pænitentiæ in re, seu actualis peccatoris per Pænitentiam reconciliatio, est ad salutem necessaria necessitate medii, cum actu haberi potest; si actu haberi nequeat, necessarium est illius suscipiendi desiderium cum vera atque perfecta contritione connexum.

ARTICULUS 2dus

De vi, efficacia Sacramenti Pœnitentiæ, & de illius Ministro.

Quæres 1mo: Utrum omnia quantumvis gravissima peccata per Pœnitentiæ Sacramentum remittantur?

Resp: Nullum est quantumvis grave crimen, quod per Sacramentum Pænitentiæ remitti nequeat. Et id constat, *1mo:* ex generalibus Christi verbis Math: cap: 18. *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in Cælo*, & Joannis cap: 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, quæ cum nullam contineant exceptionem, nullam limitationem, ad certa nonnisi peccata restringi nequeunt, sed ad omnia extendi debent. Igitur Apostoli amplissimam à Christo acceperunt dimittendi peccata facultatem, quæ eorum etiam competit Successoribus, quam in Pænitentiæ tribunali ipsi continuo exercent. Omnia itaque quantumvis gravissima peccata per Pænitentiæ Sacramentum remitti possunt.

Et vero Ecclesiæ suæ Christus in persona Petri summam

mam potestatem, cuius claves ſymbolum erant, largitus est, istud adiiciens: Math: cap: 16. *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum et in Cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*, atque post Resurrectionem suam quasi parem ei, qua á Patre deeoratus fuerat, Apostolis suis conceſsit facultatem, dicens: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*.... quibus authoritatem remittendi peccata nullis limitibus definitam, aut circumscriptam illis contulit. Delirarunt itaque quotquot affirmare ausi sunt, Ecclesiæ minime competere potestatem graviora dimittendi facinora. Unde statim ac Montanistæ & Novatiani istiusmodi pestiferum errorem ſpargere cæperunt, undique multis præclariſsimorum virorum operibus impetitus fuit, & Episcopi variis in Regionibus coactis Conciliis illum proscripserunt, & Cornelius Romanus Pontifex in Synodo Romana damnavit.

2do: Ineſse Ecclesiæ potestatem graviſsima etiam indistincte peccata remittendi, Ss. Patres constanter docuerunt. Tertullianus ipse antequam ad partes Montanistarum deflecteret, hanc veritatem firmiſsimis argumentis defenderat libro de Pænitentia. unde Cap: 4. ait: *Omnibus delictis ſeu carne, ſeu spiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſsis, qui pœnam per judicium destinavit Deus, idem & veniam per Pœnitentiam ſpopondit.* Eadem S. Cyprianus cum Concilio Carthaginensi, Hieronymus, Ambrosius, Hilarius, Augustinus docuerunt. Coronidem imponet celeberrimus S. Chrysostomi locus libro 3. de Sacerdotio, ubi affirmat, Sacerdotes accepiſse potestatem, *quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta & in cœlo. Habent quidem ii, qui in terra imperant, potestatem ligandi, verum corpora solum, hoc autem vinculum ipsam attingit animam, cœlosque transcendit, ac quæcunque inferne Sacerdotes faciunt, eadem Deus ſuperne confirmat, servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud eis dedit, quam omnium cœlestium potestatem? Nam quorum, inquit, remiseritis peccata remittuntur, quorum retinueritis, retenta ſunt. Quæ major hac potestas fuerit? Omne judicium dedit Pater Filio, video que ipsum omne ipsis traditum á Filio eſse.* Nihil certe hanc in rem præstantius, ac validius afferri potest.

Obi-

Obijcies 1mo: Nonnulli Pænitentiam agentes, veniam suorum peccatorum impetrare non poterant, de Esau id affirmat Paulus Hebr: Cap. 12. de Antiocho palam fit ex libro 2. Mach: Cap: 9. Sed & Deus ipse in multis Sacræ Scripturæ locis protestatur, se aliquando peccatorum Pænitentiam non fuscepturum, iisque parcere nolle, sic Prov: Cap: 1. *Invocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent: & non invenient me*. *2do*: Nonnulla in Scripturis recensentur peccata irremissibilia, sic Math: Cap: 12. blasphemia in Spiritum Sanctum, dicitur non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro; juxta S. Paulum Hebr: Cap: 6. qui illuminati sunt, & participes facti sunt Spiritus Sancti, ac deinceps prolapsi sunt, impossibile est eos ad Pænitentiam renovari. S. Joannes quoque Epist: 1. Cap. 5 dicit esse quoddam *peccatum ad mortem* & pro sic peccante etiam orare prohibet. *3tio:* Tandem constat ex Tertuliano, & Cypriano à quibusdam Ecclesiis, videlicet Romana, Hispanica, Carthaginens, gravissimis quibusdam peccatis onustis, veniam & absolutionem etiam in mortis articulo denegatam fuisse.

Resp: ad 1mum: Esau, & Antiochus veniam non obtinuerunt, quia ficta & falsa eorum fuerat pænitentia, Esau siquidem tunc, cum pænitebat, vindictam erga Jacob fratrem suum spirabat, dicebat enim Genesis Cap: 27. *Venient dies luctus Patris mei, & occidam eum*. & Antiochus ut inquit S. Thomas Doctor in 4. dist: 20. quæst: 1. *Non ex amore justitiæ de peccatis commissis dolebat, sed timore pœnæ, quam expectabat, vel dolore pœnæ, quam sustinebat*, unde de illo in prædicta Machabeorum historia concluditur: *Igitur homicida, & blasphemus, pessime percussus, miserabili obitu vita functus est*, quod certe de vere pænitente, & tot bona opera sincere appromittente, non diceretur, quia ergo ficte, fraudulenterque & orabat, & bona appromittebat, misericordiam à Deo non est consecutus. Hinc etiam sequitur fieri aliquando ut peccatores invocent Deum, & ab ipso non exaudiantur, quia nimirum non in veritate, non ex toto corde eum invocant, atque inquirunt, propterea dicit Dominus Jeremiæ Cap: 29. *Quæretis me & invenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro* & contra Judæam apud eundem Prophetam Cap: 3. conqueritur Deus: *Non est reversa ad me peccatrix in toto corde suo, sed in mendacio*. Sed & quandoque justo Dei judicio contigit, ut obduratos peccatores Deus derelinquat, ut nullum Pænitentiæ locum amplius inve-

inveniant quemadmodum dicitur Prov: Cap: 1. *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo:* inde tamen non est consequens, esse aliquos peccatores, qui etsi vere pæniteant, eos tamen Ecclesia à peccatis propter illorum gravitatem absolvere nequeat, aliud namque est, Deum interdum sceleratis hominibus ob illorum obdurationem, atque impænitentiam, gratiæ suæ efficacia auxilia subtrahere, aliud est, peccata quædam tantæ esse gravitatis, ut ab Ecclesia remitti non possint, primum verum est, alterum autem omni veritatis fundamento destituitur.

Ad 2dum: Nonnulla peccata in Scripturis sacris dicuntur irremissibilia, non ratione suæ gravitatis, atque enormitatis, quasi, qui iis onusti sunt, si sincere pæniteant, veniam suorum delictorum obtinere nequeant, quia ut contestatur S. Petrus Epist: 1. cap: 3. Deus *patienter agit, nolens aliquos perire, sed omnes ad Pœnitentiam reverti*, sed irremissibilia dicuntur ratione illorum, qui illa perpetrant, quia propter cordis in malo obstinationem mentisque cæcitatem vel nunquam Pænitentiam agunt, ac proinde in finali impænitentia misere pereunt, vel raro & difficulter illam agunt. Et quidem 1mo: Quantum attinet peccatum blasphemiæ in Spiritum Sanctum, quod juxta doctrinam Ss. Athanasii, Hilarii, Ambrosii, aliorumque plurium, in eo positum est, cum quis ex mera malitia, agnitæ refragando veritati, Divina opera diabolo attribuit, & tale erat Scribarum, ac Phariseorum peccatum, qui videntes Christi miracula dicebant Math: Cap: 12. *Hic non eijcit dæmones, nisi in Beelzebub principe demoniorum.* Hoc itaque peccatum dixit Christus neque in hoc sæculo neque in futuro remitti, quia qui sic Spiritui Sancto dura cervice resistunt, occulos claudunt, ne lumen videant, magis tenebras diligunt quam lucem, raro & difficulter convertuntur, ac frequentius in malo obstinati, atque obdurati, pereunt, at absolute per gratiam Dei & pænitere possunt, & veniam consequi. Unde Athanasius Tractatu de communi essentia Patris, Filii, & Spiritus Sancti sic scribit. *Hoc observandum est, non dixisse Christum, blasphemanti, & pænitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti, id est in blasphemia perseveranti. Quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum illis, qui vere ex animo, & ut par est, Pœnitentiam agunt.* His concinnit S. Chry-

so-

sostomus Homil: 24. in Mathæum ubi hæc habet: *Spiritusne inquies, blasphemiæ non dimittetur pœnitentibus?* *quod omnino falsum eſse patet, nam & hoc p c atum dimiſsum scimus, cum multis eorum, qui talia in Spiritum Sanctum dixerant, ignotum eſse constet. Quid igitur est, quod dicit? significare voluit, multo minus cœteris eſse ignoscibile, ac veniale.* Et reipsa Judæi, maxime Sacerdotes eorum, Scribæ, ac Pharisæi, qui gravi hoc ſcelere contaminabantur, ac ipsum Christum morti tradiderunt, Actorum cap: 2. à Petro Apostolo ad Pænitentiam vocantur, & reipsa multi ex illis compuncti corde, receperunt sermonem ejus, quare etiam cap: 6. dicitur, *multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.* 2do: pari modo peccatum illorum, qui semel illuminati fuerunt, & prolapsi sunt, quasi irremiſsibile aſserit Paulus, affirmatque impoſsibile eſse, ut rursus ad Pænitentiam renoventur, quia qui, sicut in eadem Epistola cap: 10. describit Apostolus, voluntarie peccant, Filium Dei conculcantes, & ſangvinem testamenti, in quo ſanctificati sunt, pollutum ducentes, atque ſpiritui gratiæ contumeliam irrogantes, raro ac difficulter ad Pænitentiam revertuntur, pars eorum maxima in malo obfirmata è vita decedit. Et vero consvetum est sacris Scripturis, ut quod valde difficile est, ac raro contingit, quasi poſsibile non foret, illud verbis absolutis enuntiare. Sic Hieremiæ cap: 13. dicitur: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum,* Christus quoque Math: cap: 19. dixit: *Facilius est Camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in Regnum Cœlorum.* Certum tamen est, & illos qui didicerant male facere, poſse bene agere, & divitem salvari poſse, unde statim ibidem adjecit Christus. *Apud homines hoc impoſsibile est, apud Deum autem omnia poſsibilia sunt.* Ita pariter cum arduum sit, ac maxime difficile, ut qui semel illuminati sunt, gustaverunt donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, ac deinceps ſumma cordis sui perversitate prolapsi sunt, rursus ad pænitentiam renovari, id tamen absolute non est impoſsibile, sed apud Deum omnia poſsibilia sunt. 3tio: tandem *peccatum ad mortem*, de quo S. Joannes loquitur, & pro quo orare prohibet, S. Augustinus libro de corrept: & gratia, putat illud eſse, in quo quis obduratus ex hac vita decedit, & pro tali merito dicit S: Joannes non eſse orandum, cum ei oratio nihil prodeſse

poſsit

poſsit, quare ibidem subdit Apostolus: *Omnis iniquitas, peccatum est, & est peccatum ad mortem.*

Ad 3tium: Si verum hoc est, factum id fuit ex rigore disciplinæ, ut à gravioribus deterrerentur fideles peccatis, non ex desperatione indulgentiæ. Sed multi negant id verum eſse, quod ex uno solum Concilio Neo-cæsariensi palam ostenditur, in cujus can: 2. constituitur debere abiici, nec ad Pænitentiam admitti usque ad mortem Mulierem, quæ duobus fratribus nupserat, sed statim additum est, *in exitu propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis hujus conjunctionis vincula diſsolvat, fructum Pænitentiæ consequatur.*

Quæres 2do: Utrum in Sacramento Pœnitentiæ per Sacerdotalem absolutionem vere remittantur peccata?

Resp: In Sacramento Pænitentiæ per Sacerdotalem absolutionem, non nude declarantur remiſsa eſse peccata, sed vere, & proprie coram Deo remittuntur. Et id Concilium Trident: Seſs: 14. Can: 9. his verbis narravit: *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis, non eſse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remiſsa eſse peccata, Anathema sit.* Et proposita veritas ex verbis Christi clare evincitur. Math: cap: 16. & 18. dixit Christus Petro: *Tibi dabo claves Regni Cælorum, quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*, & iterum omnibus Apostolis: *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo*, & tandem Joannis cap: 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Enim vero claves dantur, ut ostium vere aperiatur, non ut apertum declaretur, & qui active solvit vincula peccatorum, illa efficienter remittit, non nudum exercet ministerium declarandi, denuntiandi, remiſsa eſse peccata, quempiam ab iis solutum jam eſse. Porro Sacerdotes, utpote Apostolorum Succeſsores in Sacramento Pænitentiæ active à peccatis solvunt, unde dicunt. *Ego te absolvo...* efficienter remittunt peccata, quia nonnisi consequenter ad factam ab ipsis in terris peccatorum remiſsionem, in Cælis quoque ipsa remmittuntur. Quod si nude solum denuntiarent remiſsa eſse peccata, prius ipsa in Cælis remitti à Deo deberent, quam à Sacerdote remiſsa eſse declararentur in terris. Quod cum non fiat, quia Sacerdotis judicium, Divinum judicium consequitur, non antecedit, non remiſsa à Deo eſse peccata declarant, ſed ipsi ea remittunt, eorum judicium in Cælis ratificat, & approbat. Unde Cyprianus libro de Lapsis.

Remiſ:

Remiſsio facta per Sacerdotes, apud Deum grata est: & Chrysostomus libro 3. de Sacerdotio: *Quæcunque inferne Sacerdotes faciunt, eadem Deus ſuperne confirmat servorumque sententiam ratam facit.*

Eadem veritas constat manifestiſsime ex Patribus, S. Chrysostomus libro 3. de Sacerdotio cap: 6. docet, Sacerdotes novæ legis, *non lepram corporis, sed immunditiam animæ, non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt.* & S. Ambrosius libro de Pænit: cap: 2. ait: *Impoſsibile videbatur per Pœnitentiam peccata dimitti, conceſsit hoc Christus Apostolis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmiſsum est.* Ex mente igitur SS. Patrum, Sacerdotes novæ legis non jam purgatam animæ immunditiam probandi, declarandique potestatem habent, sed ipsam efficienter purgandi, mundandi, tollendi, talemque potestatem dimittendi peccata Christus dedit Apostolis, talemque illorum Succeſsores Sacerdotes habent, qualem mortalium cuipiam, concedere impoſsibile videbatur. Hæc autem non est potestas declarandi solum remiſsa eſse peccata, quia illa nulli impoſsibilis videri poterat. Per ſacramentalem igitur absolutionem Sacerdotes non remiſsa peccata tantum declarant, sed illa vere, ac proprie remittunt.

Quæres 3tio: An deleta per Sacramentum Pœnitentiæ peccati culpa, etiam pœna per illud contracta tollatur?

Resp: Quoties per Pænitentiæ Sacramentum tollitur peccati culpa, tollitur etiam ac remittitur pæna æterna, quæ gravioribus debetur delictis. Ut enim inquit Paulus Apostolus Epist: ad Rom: cap: 8. *Nihil damnationis est iis, qui ſunt in Christo Jesu.* Quibus autem per Pænitentiam gravior etiam dimiſsa est culpa, ii per gratiam justificationis sunt in Christo Jesu, nihil ergo in ipsis est damnationis, ac propterea liberi à quovis gravi peccato, per hoc etiam ab ipsa damnatione immunes eſse censentur. Et certe ut docet Concil: Triden: Seſs: 14. cap: 7. nullum unquam grave remittitur peccatum, quin gratia justificans, atque ſanctificans infundatur, qua *homo ex injusto fit justus, ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.* Qui autem justus, Dei amicus, & vitæ æternæ hæres constituitur, is pænæ æternæ obnoxius eſse nequit. Igitur cum per Sacramentum Pænitentiæ graviorum etiam peccatorum delentur culpæ, pæna quoque æterna illis debita remittitur, & à Deo condonatur.

At

At non tollitur pæna temporalis, quæ ſemper dimiſsis peccatorum culpis, luenda ſuperest. Certe bene multis exemplis, quæ nobis ſacræ Scripturæ referunt, constat apertiſsime, Deum dimiſsa culpa, ac æterna pæna condonata, plerumque temporalem pænam haud condonare. Sic Adamum post lapsum, in gratiam à Deo receptum fuiſse nemo dubitat, at à diuturnis afflictationibus, ac miseriis, quas ob peccatum incurrit, Deus illum non exemit. Moysis precibus exoratus, populo Jsraelis idololatria inquinato pepercit quidem, sed temporalem pænam non omnem condonavit, ipseque Moyses & Aaron à terra promiſsionis excluduntur in pænam incredulitatis. Grave Davidis ſcelus Dominus transtulit, ſed filius adulterio conceptus, mortuus est, aliasque ei inflixit calamitates. Quare Divino etiam præcepto constitutum est, ut peccatores scelerum suorum agant Pænitentiam, in semetipsis sua plectentes crimina, hinc Joannes Baptista sic alloquitur Judæos Math: cap: 3. *Quis ostendit vobis fugere à ventura ira, facite ergo fructus dignos Pænitentiæ.*

Et hanc doctrinam unanimiter tradunt SS. Patres Cyprianus, Ambrosius, Chrysostomus & alii. Audiatur Augustinus, qui in Psalmum 50. scribens sic ait: *Veritatem dilexisti, idest impunita peccata, etiam eorum, quibus ignoscis, non reliquisti. Sic prorogasti misericordiam, ut servares & veritatem*, & S. Gregorius Magnus libro 9. Moral: cap: 34. *Delictum sine ultione non deserit Deus, aut enim ipse hoc homo in se pænitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.* Sed præclare rem hanc explanat Concil: Trident: Seſs: 14. cap: 8. his verbis. *Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui semel à peccato, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum S. contristare non reformidaverint. Et Divinam clementiam decet, ne ita nobis sine ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta leviora putantes velut injurii, & contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurisantes nobis iram in die iræ.*

Quæres 4to: Utrum Pænitentiæ Sacramentum bona merita per peccatum mortificata, reparet, & per eam ipsa reviviscant?

Resp: Bona merita per peccatum mortificata, redeunte per Pænitentiam gratia, reviviscunt. Namque Eze-

Ezechielis cap: 33. dicitur. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit.* Porro si bona merita per peccatum mortificata, atque amifsa, per Pænitentiam non recuperarentur, neque illa reviviscerent, plurimum, & quidem tota æternitate pænitenti peccatori sua noceret impietas, cum propter eam magna mercedis parte, quam ante suum lapsum bonis operibus promeritus est, careret. Quare Joelis cap: 2. postquam versu 12. dixerat Deus. *Convertimini ad me...* statim versu 21. conversionis hujus subjungit mercedem. *Reddam vobis annos quos comedit locusta, brachus, & rubigo, & eruca,* id est: ut post Hieronymum inquit Glofs: *Non patiar perire meritum bonorum operum, quod per peccatum fuit perditum.* Unde S. Ambrosius libro 1. in Evangelium Lucæ scribens, ait: *Vide quam bonus Deus, & facilis indulgere peccatis, non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit.* Qui autem ablata restituit, merita per peccatum amifsa, per Pænitentiam redintegrat.

Quæres 5to: Quis est Sacramenti Pænitentiæ Minister?

Resp. Hæretici Albigenses, atque Waldenses senserant, quod probus quisque, etsi Laicus confefsiones Fidelium excipere, eosque absolvere pofsit, contra vero improbis Sacerdotibus id juris efse denegabant. Wiclefsus quoque, & Hufsitæ, idem senserunt. Moderni Hæretici, quibusvis Fidelibus Clavium potestatem à Christo concefsam efse putant, sed actu exercendam efse arbitrantur ab iis dumtaxat, qui à Communitate, vel à Magistratu ad id sunt deputati: Hos errores Concilium Tridentinum Sefs: 14. Canon: 10. damnavit his verbis. *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere, aut non solos Sacerdotes efse Ministros absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi fidelibus efse dictum: Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo, et quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, quorum verborum virtute quilibet absolvere peccata pofsit, Anathema sit.* Igitur soli Episcopi, ac Presbyteri absolvendi à peccatis habent potestatem à Christo sibi concefsam. Et id constat *1mo:* ex Scripturis sacris. Verba siquidem. *Quæcunque solveritis super terram... Quorum remiseritis peccata...* quibus solvendi, remittendique peccata continetur potestas, ad solos

Apo-

Apostolos, & in ipsorum persona solis Episcopis & Præsbyteris à Christo dicta sunt, quemadmodum ex Evangelica patet historia. Jllis ergo solis, non aliis solvendi, & remittendi peccata data est à Christo potestas, ii soli eam habent. Quare ex perpetuo Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ usu, quemadmodum ex ritualibus libris constat, manifestissimum est, auctoritatem hanc ad solos Episcopos, Sacerdotesque semper pertinuisse.

2do: Idem evincitur ex SS. Patrum testimoniis, atque continua Traditione. S. Cyprianus Epist: Synodica ad Cornelium Rom: Pontificem, ad Sacerdotes spectare affirmat, lapsis tribuere *pacem, et spei salutaris auxilium.* Basilius in Regulis brevioribus, inde probat solis Sacerdotibus nostra pandenda esse peccata, quia *iis credita est dispensatio Divinorum mysteriorum.* S. Ambrosius libro de Pænit: Cap: 11. scribit, officium esse *Sacerdotis* remittere, aut retinere peccata, & subdit, Sectas illas ab hoc jure excidisse, quæ Sacerdotibus carent. Augustinus ad delenda peccata opus esse ait, ut veniatur *ad Antistites, per quos in Ecclesia claves administrantur.* Tandem Innocentius I. Romanus Pontifex in Epist: ad Decentium ita habet: *Ceterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem pœnitentis.* Eadem mens est Chrysostomi libro 3. de Sacerdotio cap: 5. Leonis Magni Epist: 8. & aliorum. Recte ergo iterum dixit Ambrosius libro 1. de Pænit: absolvendi, ac retinendi peccata: *Jus, solis permissum esse Sacerdotibus.*

3tio: Eadem veritas duplici theologico probatur argumento. *1mo:* Juxta Apostolum Epistola ad Hebr: cap: 5. Pontifex, Sacerdosque ex hominibus assumptus *constituitur in iis, quæ sunt ad Deum*, & nemo hunc honorem arrogare debet, *nisi qui vocatur à Deo tamquam Aaron*: unde patet, Sacerdotes versari inter Deum & homines tamquam mediatores, atque reconciliatores. Iis ergo duntaxat reconcilliatio nostra commissa est, quique propterea Dei ministerio & legatione in terris perfunguntur. *2do:* Notum est, quanti gemitus, & ploratus antiquorum fidelium fiebant adversus Episcopos, & Sacerdotes, qui persecutionis tempore profugiebant, gregemque derelinquebant, unde apud Victorem Vitensem libro 2. de persecutione Vandalica sic aiunt: *Qui nobis Pænitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est: quæcunque solveritis super terram...* Cyprianus etiam Episto-

stola ad Cornelium, & Augustinus scribens ad Honoratum Episcopum, Sacerdotes hortantur, ne propter persecutionis metum Fideles deserant, magnumque sequatur exitium, si aliqui eorum ex hac vita ligati decedant. Quod indubie supponit, à solis Sacerdotibus veniam, & absolutionem fidelibus dari potuisse.

Objicies 1mo: in Epistola S. Jacobi cap: 5. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Hæc autem verba indicant æque Sacerdotibus, ac Laicis confessionem fieri posse. Certe possunt Laici Baptisma conferre, etsi solos Apostolos allocutus est Christus, cum dixit: *Euntes docete.... baptisantes*, idem ergo dici debet de administrando Sacramento Pænitentiæ, quamvis solis Apostolis dixerit Salvator: *Quorum remiseritis peccata* &c. *2do:* S. Cyprianus Epist: 12. ad Præsbyteros, & Diaconos Ecclesiæ Carthaginensis sic ait: *Si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud Præsbyterum quemque præsentem, vel si Præsbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possunt, ut manu eis imposita veniant ad Dominum cum pace.* Ex Concilio quoque Iliberitano, Toletano 1. atque Ordine Romano constat, in casu necessitatis Diaconis eandem potestatem tribui. Tandem sive in SS. Patribus, sive in Synodis legitur, pro Confessione facienda, ad Laicum recursum haberi posse.

Resp: ad 1mum: Sensus Apostoli est, non soli Deo peccata confitenda esse, sed etiam hominibus, verum non quibuslibet indiscriminatim, sed præordinatis ad id Ministris Præsbyteris videlicet, de quibus paulo superius dixerat Apostolus: *Infirmatur quis in vobis, inducat Præsbyteros Ecclesiæ.* Aliud autem est de Baptismo, aliud vero de Pænitentiæ Sacramento, illud enim in Infantibus ita ad salutem necessarium est, ut eo prætermisso nullo alio medio salus obtineri possit, unde bonitas Dei, qui neminem vult perire, expostulabat, ut etiam mulieres, ac omnis generis vivens homo baptisare possit. Sacramentum vero Pænitentiæ, cum solos respiciat Adultos, non tantæ est necessitatis, illius namque defectus, cum haberi nequit, cordis contritione suppleri potest.

Ad 2dum: In casu necessitatis Confessio etiam apud Diaconos fiebat, atque sic confitentes, manuum impositione pacem recipiebant, sed hæc non erat Sacramenta-

lis, verum tantum cæremonialis, qua lapsi se reos esse profitebantur, & imminente agone pacem Ecclesiæ, indulgentiamque recipiebant, quæ ad instantiam Martyrum concedebatur, ut ibidem iniquit Cyprianus, *ut manu ejus imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt.* Hæc igitur pax, indulgentiaque, cæremonialis ac Canonica nonnisi erat reconciliatio, quam ex permissione Episcopi, deficiente Præsbytero, etiam Diaconi dabant, non vero Sacramentalis. Et vero exomologesis, seu Confessio Sacramentalis, semper Pænitentiam, cui lapsi subijciebantur, præcedebat. Cyprianus vero loquitur de Confessione quæ Pænitentiam subsequebatur, & quam ad præces Martyrum abreviando propter imminens mortis periculum, pax Ecclesiæ, canonicaque reconciliatio ipsis concedebatur. Hoc modo etiam Concilia intelligenda sunt, non Sacramentaliter à peccatis absolvendi potestatem Diaconis ipsa concedunt, sed in casu necessitatis, cæremonialem atque canonicam largiendi reconciliationem, facultatem illis indulgent, quæ nonnunquam etiam Clericis minoribus concedebatur. Quod vero SS. Patres & aliquando Synodi, in defectu Sacerdotis pro Confessione facienda ad Laicum recursum haberi posse insinuant, id fieri non jubent ad obtinendam Sacramentalem à peccatis absolutionem, sed id fieri commendant in signum sinceræ pænitentiæ, & ad profundæ humilitatis exercitium, ut ea gratiam veræ compunctionis, contritionisque obtinere à Deo possint, qui humilibus semper dat gratiam suam. Quare antiquitus sæpe contingebat, ut morte approximante, qui non poterant Sacerdoti confiteri, Laico etiam confiterentur, quia ut inquit S. Thomas Doctor. Suppl: quæst: 8. art 2. qui non est Sacerdos, *quamvis Sacramentum efficere non possit, defectum tamen Sacerdotis summus Sacerdos supplet.*

Quæres 6to: Quæ in Ministro Pænitentiæ requiruntur, ut à peccatis absolvere possit?

Resp: In Ministro Pænitentiæ, ut à peccatis absolvat non sufficit potestas Ordinis, sed præterea necessaria est potestas jurisdictionis. Ut enim docet Concilium Tridentinum Sess: 14. cap: 7. *Quoniam natura & ratio judicij illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persvasum semper in Ecclesia Dei fuit, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Cum vero jurisdictio in quempiam

vi

vi Ordinis Sacerdotalis minime acquiratur, ſed aliunde ipsa habetur, evidentiſsimum est, Sacerdoti Sacramentum Pænitentiæ conficienti, ut valide à peccatis absolvat, non ſufficere potestatem Ordinis, ſed præterea neceſsariam eſse potestatem jurisdictionis.

Et vero ſapienter idem Concilium rem prosequitur: *Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctiſsimis Patribus visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non à quibusvis, ſed à ſummis Sacerdotibus absolverentur*, unde ſemper creditum est, potestatem casus reservandi, Romanis Pontificibus, aliisque Episcopis competere, à quibus absolvendi potestas aliis Sacerdotibus non competit. Si ergo conceſsa etiam jurisdictio reservatione Casuum limitari potest, & hæc limitatio impedit ne Sacerdos valide confitentem absolvat, evidens est, ad valide absolvendum Sacerdoti Sacramentum Pænitentiæ conficienti, jurisdictionis potestatem omnino neceſsariam eſse. Unde iterum Concilium Tridentinum Seſs: 14, Can: 11. sic statuit: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo caſuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos à peccatis reservatis vere absolvat, anathema sit.* Certe jam anno 303. in Concilio Illiberitano Can: 32. constitutum fuit: *Apud Præsbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam morbi inciderit, placuit agere Pœnitentiam non debere, ſed apud Episcopum*: & in Londinensi anno 1200. Can: 7. ordinatum est, *ut qui in dispendium cujuslibet scienter pejeraverint, non absolvantur, nisi ab Episcopo, aut ejus authoritate.* Jam ergo tunc gravis lapsus Episcopis reservatus erat.

CAPUT SECUNDUM

De partibus Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæres: *Quæ ſunt partes Sacramentum Pænitentiæ constituentes?*

Resp: Lutherus. & Calvinus non solum in eo errarunt, quia Pænitentiam Sacramentum eſse negarunt, ſed etiam circa ipsam Pænitentiæ ſubstantiam peſsime hallucinati ſunt. Lutherus duas Pænitentiæ partes statuit, ter-

 rores

rores nimirum ex agnitione peccati conscientiæ incufsos, & fidem conceptam, qua quis credit sibi per Christum dimifsa efse peccata. Calvinus vero Pænitentiam totam reponit in mortificatione, & vivificatione, per priorem exuitur vetus homo, & vitia mortificantur, per posteriorem excitatur pium bene vivendi desiderium, bonorumque operum amor. Sed hæc Lutheri, Calvinique doctrina fidei & rationi adversatur. Enim vero *1mo*: quod attinet Lutheri opinionem, nec conscientiæ terrores, nec concepta fides pofsunt efse partes Pænitentiam constitutivæ. Terrores namque conscientiæ incufsi, pofsunt quidem ad agendam Pænitentiam excitare, eam promovere, fed propter hoc dici non pofsunt partes illius. Sic Ninivitæ tremore concufsi Pænitentiam egerunt, fed illam egerunt per varia virtutis exercitia, nimirum prædicaverunt jejunium, induerunt fe saccis, prostraverunt se in cinere, averterunt se à via mala. Non ergo in terroribus eorum Pænitentia sita erat Præterea licet terrores animum peccatoris nonnunquam concutiant, non semper tamen ad Pænitentiam excitant, cum sæpe peccatores terroribus steriliter concutiuntur, ut videre est in Felice, qui Actorum Cap: 24. Paulo Apostolo *disputante de justitia & castitate, & de judicio futuro, tremefactus est*, nec tamen conversus. Tandem potest quis ex solo Dei, & justitiæ amore Pænitentiam agere. Fides vero, qua quis certo credit sibi remifsa efse peccata, nunquam haberi potest, hæc enim sine Divina revelatione efse nequit, quæ nullibi in Scripturis sacris reperitur. Certe istiusmodi fides, vel illa est, per quam rebus à Deo revelatis afsentimur, eaque Pænitentiam parit, & antecedit, non illam constituit. Hinc Jonæ Cap: 3. *Crediderunt Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt pœnitentiam*, vel etiam est fiducia, qua homo confidit sibi remifsa efse peccata, & hæc Pænitentiam præsupponit. Merito itaque Concilium Trident: Sefs: 14. Can: 4. statuit: *Si quis dixerit, duas tantum efse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incufsos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remifsa efse peccata, anathema sit.*

2do: Neque melior est sententia Calvini. Etenim veteris hominis expoliatio, vitiorum mortificatio, ac bene vivendi studium, est effectus fructusquè Pænitentiæ, non vero ipsius constitutivum. Quare Actorum Cap: 3. dicitur: *Pœnitemini, ut deleantur peccata vestra*: & cap: 11. *Pœniten-*

nitentiam *Gentibus dedit, & vitam.* Sicut ergo Lutherani errant, quia Pænitentiam in iis reponunt motibus, actibusque, qui Pænitentiam præcedunt, ita & errant Calvinistæ, quia Pænitentiam in iis constituunt, quæ ipsam consequuntur.

3tio: Pænitentiæ igitur partes ipsius constitutivæ, ſunt actus pænitentis, nimirum Contritio, Confeſsio, & Satisfactio, unde etiam materiam hujus Sacramenti constituunt. Ita docet Concilium Trident: Seſs: 14. Cap: 3. his verbis: *Sunt quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſsio, & Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam, & perfectam peccatorum remiſsionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur:* & Can: 4. statuit: *Si quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remiſsionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confeſsionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes ſunt, anathema sit.* Neque aliter eſse potest. Cum enim Sacramentum hoc per modum judicii constitutum sit, in quo peccator, uti reus intendit per Sacerdotem cum Deo reconciliari, neceſse est, ut ipsum peccatorum ſuorum pæniteat, illa fateatur, atque Deo pro ipsis satisfaciat. Et bene hos tres actus, in Homilia de Pænitentia complectitur S. Chrysostomus dicens: *In corde ejus Contritio, in ore Confeſsio, in opere toto humilitas.* Longe autem ante ipsum Augustinus in Psalmum 146. sic scripsit: *Sanat contritos corde, sanat confitentes, sanat ſeipsos punientes.*

ARTICULUS 1mus

De Contritione.

Quæres 1mo: Quid sit contritio?

Resp: Melius definiri Contritio non potest, quam verbis Concilii Tridentini Seſs: 14. Cap: 4. ubi ipsa dicitur eſse: *Animi dolor ac detestatio de peccato commiſso, cum proposito non peccandi de cetero,* & hæc definitio eam contritionem exprimit, quæ ad impetrandam à Deo peccatorum veniam, omni tempore neceſsaria fuit. Si vero consideretur contritio prout est pars Sacramenti Pænitentiæ, ad illiusque integritatem omnino prærequiritur, ita definiri

definiri debet: *Est animi dolor & detestatio commissorum peccatorum cum sincero proposito, ea confitendi, pro ipsis satisfaciendi, nec amplius illa committendi.* Cum enim Confessio peccatorum, & pro iis congrua satisfactio, ex ipsa Sacramenti Pænitentiæ institutione, ad illius integritatem necessaria sint, illa contritio continere debet, ut vera, ac sincera sit, alias larvata erit.

Porro Contritio duplex est, *Perfecta*, & *Imperfecta*: *Perfecta*, est animi dolor, ac peccatorum detestatio ex motivo charitatis perfectæ concepta, oritur ergo ex charitate Dei perfecta, intensoque illius amore. *Imperfecta*, quæ etiam *attritio* dicitur, est animi dolor ac peccati detestatio ex aliquo motivo supernaturali concepta, veluti timore gehennæ, amore gloriæ cælestis, peccati turpitudine. Et hæc vel includit aliquem saltem initialem Dei amorem, dum horrentur æterna supplicia, detestantur scelera, prout sunt offensa Dei, optimi Patris, ac summopere diligibilis, atque talis attritio *formata* dicitur, vel oritur ex solo pænarum æternarum metu, timore amittendæ gloriæ cælestis, proculque distat, a benevolo Dei amore, ista *informis* aut formidolosa vocatur. Timor autem ex quo attritio communiter oriri solet, triplex est, *simpliciter servilis*, *serviliter servilis*, & *filialis*. Timor est *simpliciter servilis*, cum quis peccatum detestatur, illudque fugit unice, quia pænam inducit, nullum tamen ad peccatum habet affectum, neque aliquam voluntatem illud committendi, etsi abesset pæna. Timor est *serviliter servilis*, cum quis exterius quidem dolet de peccato, atque ab illo se abstinet, quia pænam timet, ita tamen interius saltem tacite affectus est, ut si abesset pæna, illud committeret. Timor *filialis* est ille, quando quis peccatum timet, & exhorrescit, non ideo solum, quia pænam inducit, sed magis ideo quia est offensivum Dei, Patris optimi, & summe amabilis.

Jam vero *Contritionis* nomen in Ecclesia vetustissimum est, quoniam & in Scripturis sacris, & in SS. Patribus memoratur. Non idem dici potest de *Attritionis* voce, cujus nullum extat vestigium, neque in Divinis Litteris, neque in SS. Patribus, & nonnisi circa medium 13. Sæculi adinventa fuit, usurpari tamen deinceps cæpit, & Patres Concilii Tridentini illa usi sunt.

Quæres 2do: Qualis est vis, & efficacia contritionis perfectæ?

Resp: Contritio perfecta etiam extra Sacramentum Pæni-

Pænitentiæ peccatorem justificat. Ita docet Concilium Trident: Sefs. 14. Cap: 4 his verbis: *Et si contritionem hanc aliquando charitate perfectam efse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu fuscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem, ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non efse adscribendam.* Ex quibus manifestifsime apparet, Contritionem, quando charitate perfectam illam efse contigerit, etiam ante actualem Sacramenti Pænitentiæ susceptionem, hominem peccatorem justificare, & cum Deo reconciliare. Hinc etiam damnata fuit sequens Baii propositio: *Per contritionem etiam charitate perfectam, & voto fuscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur Crimen, extra casum necefsitatis, aut martyrii, sine actuali fusceptione Sacramenti.* Et certe variis in locis Scripturæ facræ cuicunque perfecte converso, promittitur remifsio peccatorum, statim & instantanee concedenda, sic Ezechielis Cap: 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die*, (seu phrasi hebraica, in quocunque momento) *conversus fuerit.* Unde S. Leo magnus Epist: 84. sic ait: *Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam. Cum conversus ingemueris, salvus eris.* Atque sic mulier peccatrix de qua Lucæ Cap. 7. scribitur, vi suæ ex multa dilectione contritionis, illico justificata fuit, quare à Christo dictum fuit: *Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum.* Hinc manifeste consequitur Contritionem perfectam, ad Sacramentum Pænitentiæ non omnino requiri, hæc enim femper & extra Sacramentum, peccatorem justificat, & sanctificat, debet tamen includere & adjunctum habere votum, feu sincerum propositum illud suscipiendi, cum reipsa fuscipi poterit.

Quæres 3tio: Utrum metus, timorque gehennæ bonus, ac utilis sit?

Resp: Omnes conveniunt, timorem *filialem* bonum ac laudabilem efse, quia benevolum erga Deum amorem complectitur, ab eoque proficiscitur, qui enim sic timet, exhorrescit peccata primario quia funt offensa Dei, secundario, quia gravifsimam gehennæ inducunt pænam. Pariter consentiunt omnes metum timoremque *serviliter servilem* malum ac damnosum efse, quia qui tali timore concutitur, manum quidem à peccato cohibet, cor autem illius peccato adhæret, propter pravum igitur cordis affectum, peccandique voluntatem, istiusmodi timor malus

ac

ac damnosus est. Quæstio itaque tota est, utrum Metus, timorque *simpliciter*, seu pure *servilis*, bonus ac laudabilis sit. Lutherus metum hujusmodi, ac pænarum gehennæ timorem, non esse bonum docuit, sed peccatum, hominemque hypocritam, ac magis peccatorem efficere affirmavit. Errorem hunc Concilium Tridentinum Sess: 6ta Can: 8. damnavit his verbis: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores facere, anathema sit.* Certe timor qui saluberrimos parit effectus, bonus ac utilis est. Porro timor, metusque gehennæ, saluberrimos parit effectus, qui enim hoc timore affecti sunt, præparant corda sua ad serviendum Deo, animosque suos sanctificânt in conspectu illius, atque ad agendam Pænitentiam extimulantur, sic enim scriptum est Eccles: Cap: 2. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas, dicentes: si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.* Et vero quod â Christo commendatum, præceptumque est, non potest non esse bonum ac salutare. Jam vero timorem pænarum gehennæ Christus commendat, & præcipit, Math: Cap: 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam.* Hinc S. Augustinus in Psalmum 127. scribens ait: *Bonus est & iste timor, est utilis quo quis præsentiam Domini, & pœnas timet, quo timet, ne mittatur in gehennam.*

Quæres 4to: Igitur attritio ex timore pure servili concepta, bona ac salutaris est?

Resp: Reipsa bona ac salutaris est. Et ita declaravit Concilium Trident: Sess: 14. cap: 4. his verbis: *Illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pænarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccati excludat, declarat* (Sancta Synodus), *non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat.* Certe hic sermo est de attritione ex timore pure servili concepta, quia illa oritur ex metu pænarum gehennæ & supponitur excludere voluntatem peccati. Hæc autem attritio bona, ac utilis est, quia donum Dei est, & impul-

sus

sus Spiritus Sancti, illaque sibi pænitens viam ad justitiam consequendam parat, ac tandem ut in eodem Concilio dicitur, *quamvis ipsa sine Sacramento Pœnitentiæ, per ſe ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Donum autem Dei, impulsum Spiritus Sancti, bonum eſse nemo inficiabitur. Jllud quo pænitens peccator ad justitiam consequendam viam sibi parat, & ad gratiam Divinam consequendam disponitur, quis ſalutare eſse negabit. Attritio igitur ex pure ſervili metu concepta, bona, utilis, ac ſalutaris est. Sane tali timore utiliter concuſsi Ninivitæ, dolore compuncti, ad Jonæ prædicationem terroribus plenam pænitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt.

Et vero si quid huic attritioni deeſset, ut ipsa bona, utilis, ac ſalutaris censeri nequeat, hoc unicum erit, quia ipsa non à benevolo Dei amore procedit, ſed à metu, timoreque gehennæ, ſed id non obstat, *1mo:* quia ipse metus, timorque gehennæ etiam pure ſervilis, bonus, ac laudabilis est, ac proinde etiam ea, quæ ex eo proveniunt, atque profluunt, bona ſunt. *2do:* Sunt opera bona, ac laudabilia quæ à benevolo Dei amore non profluunt, alioqui omne opus, quod à Divina non procedit charitate, malum atque peccatum eſset, quod in Baio, aliisque Novatoribus damnatum est. Hinc etiam ab Alexandro 8. reprobata fuit ſequens propositio: *Attritio, quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus metus ac ſupernaturalis.* Sed rem totam definierat, atque decreverat Concilium Trident: Seſs: 14. Can: 5. *Si quis eam contritionem, quæ paratur per discuſsionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quæ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, amiſsionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non eſse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, anathema sit.*

Quæres 5to: Utrum attritio ſola, ex timore pure ſervili concepta, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ consequendam ſufficiat?

Resp: Certum est Contritionem perfectam in Sacramento Pænitentiæ non requiri, quia ipsa etiam extra Sacramentum hominem peccatorem justificat, unde consequens

sequens est, contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, in Sacramento Pænitentiæ ad consequendam justificationem sufficere. Verum quia atritio potest esse vel *formata* quatenus oritur ex aliquo saltem initiali Dei amore, illiusque benevola charitate, vel *informis*, quia ex solo pænarum æternarum oritur metu, nihilque in se continet Divini amoris, ac proinde ex pure servili profluit amore, inde gravis exorta est quæstio, utrum in Sacramento Pænitentiæ ad justificationem consequendam sufficiat attritio ex pure servili timore concepta? an ad illam requiratur initialis saltem benevolus Dei amor, charitatisque Divinæ influxus. Et quamquam hac de quæstione nihil statutum, aut decisum in Concilio Tridentino fuerit, sed tamen nonnulla ab eo insinuantur, quibus ostenditur ad justificationem in Sacramento Pænitentiæ consequendam, ad attritionem omnino requiri saltem initialem Dei amorem, charitatisque Divinæ influxum, ac proinde attritionem illam debere esse *formatam* nec sufficere *informem*, quod etiam multis argumentis comprobatur.

Et quod attinet *primum* videlicet nonnulla à Concilio Tridentino insinuari, ex quibus sequitur ad consequendam in Sacramento Pænitentiæ justificationem requiri initialem saltem Dei amorem, charitatisque Divinæ influxum. Enim vero Concilium Tridentinum Sess: 6. Cap: 6. describens gradus, quibus ad justificationis gratiam pervenitur, charitatem Dei saltem initialem ponit tamquam præviam & omnino necessariam justificationis consequendæ dispositionem. Unde sic inquit. *Disponuntur* (scilicet peccatores) *ad justitiam, dum excitati à Divina gratia, & adjuti, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus ravelata & promissa sunt, & peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, in spem eriguntur, fidentes sibi Deum propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium ac detestationem.* Hic palam Concilium ad justificationem consequendam, præter justitiæ Divinæ timorem, quo peccator utiliter concutitur, requirit ut Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat, & quamquam eo loci Concilium loquatur de justificatione per Sacramentum Baptismi ab adultis baptisandis consequenda, quia tamen eadem est ratio Sacramenti Pænitentiæ

ac Baptismi, quia utrumque reconciliationis Sacramentum est, unde merito Pænitentia ab eodem Concilio *laboriosus baptismus* dicitur, & plerumqne graviora peccata post baptismum commissa, quam ante baptismum perpetrata, eadem imo & plura expostulari debent ad consequendam justificationem in Sacramento Pænitentiæ, quam quæ requisita sunt in Sacramento Baptismi. Si ergo in Sacramento Baptismi ad justificationem per adultum consequendam, præter salutarem Divinæ justitiæ timorem, requiritur amor Dei, charitasque saltem initialis, pari modo, imo magis illa in Sacramento Pænitentiæ est necessaria.

Et vero ad justificationem consequendam, ut peccatores cum Deo per Sacramentum Pænitentiæ reconcilientur, ex doctrina ab eodem Concilio Tridentino Sess: 14. Cap: 4. tradita, præprimis requiritur dolor de peccatis, qui vehemens odium, & ingentem illorum detestationem contineat, & quidem prout sunt offensa Dei. Porro vehemens odium, ac ingens peccati detestatio, prout est offensa Dei, esse nullatenus potest, si omnis charitas, ac benevolus Dei amor desit. Unde S. Thomas Doctor part: 3. quæst: 85. art: 3. docet, odium peccati ex Divina charitate proficisci, & libro 4. contra Gentes Cap: 72. scripsit: *Mens nostra debite ad Deum converti non potest, sine charitate.* Quare ut dolor de peccatis, sive attritio, ad consequendam in Sacramento Pænitentiæ justificationis gratiam sufficiens sit, ex initiali saltem charitate, ac benevolo Dei amore proficisci, eique conjungi debet.

2do: Quod etiam aliis argumentis comprobatur. Et quidem S. Joannes Apostolus Epist: 1. Cap: 3. ait: *Qui non diligit, manet in morte.* Nemo igitur à morte spirituali animæ suæ per Pænitentiam resurgere, & vitam gratiæ recuperare potest, nisi saltem incipiat Deum diligere. Unde S. Augustinus in Psalmum 128. scribens de Pænitentiæ operibus ait: *Si non diligendo ista facimus, nulla est justificatio.* & S. Petrus Chrysologus Serm: 94. inquit: *absolvi vis? ama, charitas operit multitudinem peccatorum, dilectio delet, & abluit universa peccata.* Certe magnum illud præceptum, quo Deum ex toto corde, & ex tota anima diligere tenemur, sæpius in vita obligat. Verum huic præcepto nunquam oportunius satisfacere possumus, quam cum iratum in nos propter peccata nostra Deum placare volumus, cum eo reconciliari, & veniam ab eo impetrare. Sed

Sed & SS. Patres idem tradunt ac docent. S. Chrysostomus Homil: 4. in Epist: 2. ad Corinthios ita scribit: *Cum peccaveris, ingemisce, non quod pœnas daturus sis, hoc enim nihil est, ſed quod offenderis tam benignum, tam tui amantem, tamque saluti tuæ appensum, ut filium quoque ſuum tua causa tradiderit.* S: Augustinus libro 2. contra Petilianum ait: *Teneamus charitatem, sine qua & cum Sacramentis, & cum fide, nihil ſumus.* His satis erit adjungere graviſsimam Magni Gregorii Pontificis ſententiam in Cap: 27. Jobi scribentis, ubi ait: *Sancta Ecclesia timore inchoat, ſed charitate consummat, cui tunc est funditus á malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare.*

Dices: Timori, justificatio, & vita in Scripturis sacris trubuitur. Eccles: Cap: 1. *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit justificari:* & Prov: Cap: 14. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis.* Ergo solus timor & inde concepta attritio ad justificationem in Sacramento Pænitentiæ consequendam ſufficere debet.

Resp: Re vera timor Domini expellit peccatum, quia hominem retrahit à peccato, & paulatim ad Dei justitiæque amorem perducit, unde etiam fons vitæ spiritualis merito vocatur, quare Eccles: Cap: 25. aperte dicitur: *Timor Domini initium dilectionis*, & iterum *Initium sapientiæ timor Domini*, unde S. Augustinus Tract: 9. in Epist: Joannis ita scribit: *Ergo incipiat timor, quia initium sapientiæ timor Domini, timor quasi locum præparat charitati.* Dictum quoque est: *Qui sine timore est, non poterit justificari*, talis siquidem superba animositate ſua, cito ſubvertitur, unde statim adjungitur *iracundia enim animositatis ſubversio illius est.* Nihil ergo in his Scripturæ sacræ sententiis reperire est, quod innuat timorem pure ſervilem ad justificationem ſufficere, ſed tantum illum collaudant, bonum ac utilem eſse docent, quia peccatum expellit, dilectionis & sapientiæ initium est.

ARTICULUS 2dus

De Confeſsione, & Satisfactione.

Quæres 1mo: Utrum Confeſsio ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur & sit neceſsaria?

Resp:

Resp: Confeſsio apud Græcos *exomologesis* dicitur, quæ vox etiam apud vetustos Latinos Patres invaluit, aliquando tamen per *exomologesim* tota ac integra publica, ac laboriosa Pænitentia denotabatur, unde ex adjunctis circumstantiis intelligi debet, quando pro Sacramentali Confeſsione accipienda sit.

Confeſsio Sacramentalis, & *auricularis* dicitur, quia ſecreto uni Sacerdoti, & ad aures illius fit, unde sic definitur: *Est accusatio peccatorum post Baptisma commissorum à pœnitente Sacerdoti facta, ad illorum remiſsionem virtute clavium Ecclesiæ à Christo conceſsorum, consequendam.* Lutherus, Calvinus, & ipsorum aſseclæ, Confeſsionem secretam vocant *cruentiſsimam carnificinam, conscientiarum laqueum, tyranidem, rem pestilentem, & plane impoſsibilem* eſse dicunt. Sed parum sibi constantes, utilem illam eſse, & ad pacificandam conscientiam quemlibet illa uti poſse arbitrantur, non ut Sacerdotali absolutione peccatorum remiſsionem obtineat, quod perfracte Sacerdoti competere negant, ſed ut ab eo bona consilia recipiat, atque per ipsum consoletur. Unde illorum dogma est, Confeſsionem ſecretam, bonam & proficuam eſse, ſed unicuique liberam, non autem omnino tamquam ex Divino præcepto ad ſalutem neceſsariam. Verum Concilium Tridentinum Seſs: 14. Cap: 3. docet, Confeſsionem æque ac Contritionem, atque Satisfactionem eſse partem Sacramenti Pænitentiæ, quæ ad integritatem Sacramenti, ad plenam, & perfectam peccatorum obtinendam remiſsionem ex Dei institutione requiritur, & cap: 5. affirmat; universam Ecclesiam ſemper intellexiſse, *institutam eſse à Domino integram peccatorum Confeſsionem, & omnibus post Baptismum lapsis, jure Divino neceſsariam existere.*

Quæres 2do: An reipsa Confeſsio auricularis à Christo institutu, & præcepta sit?

Resp: Ita est: Confeſsio auricularis â Christo & instituta & stricte præcepta est. Quod probatur ex ipsis Christi verbis, quæ Math: Cap: 18. ad universos dixerat Apostolos: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis ſuper terram, erunt soluta & in cælo.* Joan: Cap: 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis retenta ſunt:* Ex quibus hoc argumentum eruitur. Dubium non est, Sacerdotes, qui Apostolis in ministerio ſuccedunt, his Christi verbis potestatem accepiſse

pisse solvendi, & ligandi, remittendi, & retinendi peccata, non cæcam, & vagam indiscriminatim omnes solvendi, omnibus peccata remittendi, sed facta matura discretione, alios quidem solvendi, alios ligandi, aliis remittendi, aliis vero retinendi peccata, ac proinde humanarum conscientiarum Judices ipsi à Christo constituti sunt, quare & Apostolus Paulus in incestuosum Corinthium judicium exercuit, illum tradens Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit 1. Corint: Cap: 5. unde Chrysostomus libro 3. de Sacerdotio sic inquit: *Omne judicium dedit Pater Filio, videoque ipsum omne ipsis traditum à filio esse:* & Concilium Trident: Sess: 14. Cap: 5. ait: *Dominus noster Jesus Christus à terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam præsides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, qui potestate Clavium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient.* Porro potestas ex discretionis, rationis, ac ponderationis judicio, alios solvendi, alios ligandi, his remittendi, illis retinendi peccata, exerceri nullatenus potest, sine plena, & adæquata vinculorum, ac peccatorum cognitione, quare sapienter inquit idem Concilium Tridentinum Sess: 14. Cap: 5. *Constat Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Et Alcuinus Epist: 71. ita ratiocinatur: *Quid solvit sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati. Cessabunt opera Medici, si vulnera non ostendunt ægroti. Si vulnera corporis, carnalis medici manus expectant, quanto magis vulnera animæ, spiritualis medici solatia deposcunt.* Sane cum Sacerdotes in Sacramento Pænitentiæ non solum Judicis, sed etiam spiritualis Medici officium exerceant. Quemadmodum vero Medicus Carnalis, utile Corpori pharmacum tribuere nequit, nisi vulnus, & morbus ipsi ab ægrotante detegatur, ita pariter Medicus Spiritualis vulnera, & morbos animæ curare, oppórtunas illis præscribere non valet medicinas, nisi hæc ipsi revelentur. Ipsum ergo Judicis & Medici officium, quod Sacerdos in tribunali Pænitentiæ gerit, confessionem pænitentis integram & accuratam exigunt, & expostulant. Christi ergo institutio si attendatur, quæ Sacerdotes in Sacramento Pænitentiæ & Judices constituit, & Medicos animarum humanarum esse voluit, manifeste

nifeste consequitur, Confessionem Sacramentalem jure Divino præceptam, & ad salutem necessariam esse. Confirmatur eadem veritas duobus aliis Scripturæ sacræ testimoniis. Primum legitur Actorum Cap: 19. *Multi credentium veniebant, confitentes et annuntiantes actus suos.* Quod de confessione peccatorum, quæ Sacerdoti enumerantur, dictum esse affirmant Chrysostomus, Basilius, & Œcumenius, hancque expositionem peregregie confirmant Codices Syriaci, qui legunt: *Annuntiabant delicta sua.* Alterum reperitur in Epistola Catholica Jacobi Apostoli Cap: 5. ubi inquit: *Confitemini alterutrum peccata vestra:* Hic S. Jacobus verba facit de infirmo, cui à Præsbyteris Ecclesiæ Sacramentum Extremæ. Unctionis dandum esse decernit, & ut prius delicta sua confessione expiare satagat, præcipit. Atque hoc sensu S. Jacobi sententiam multi Ecclesiastici Scriptores, & insignes Interpretes explanarunt. Non ergo Confessio auricularis, inventum est humanum ut blaterant Lutherani & Calvinistæ, sed institutionis Divinæ, & ex Christi præcepto facienda, atque, ad salutem omnino necessaria est. His merito addi debet id quod Joannes Epistola 1. Cap: 1. scripsit: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus Deus, ut remittat nobis peccata nostra:* quibus S. Apostolus post Baptismum lapsos ad Pænitentiam & Confessionem adhortatur, ut per ea remissionem peccatorum à Deo consequamur. Jam ergo & tempore Apostolorum, Confessio peccatorum in usu apud fideles erat. Quare merito Concilium Tridentinum Sess: 14. Can: 6to definierat: *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit.*

Quæres 3tio: Quibus præterea argumentis probatur, Confessionem auricularem esse ex Christi præcepto ad salutem omnino necessariam?

Resp: Id variis argumentis comprobatur. Et quidem 1mo: ex testimoniis SS. Patrum, qui omni sæculo floruerunt, S. Barnabas in Epistola sua peccatores ad Confessionem hortatur dicens: *Confitemini peccata vestra:* & hanc Epistolam quamquam Barnabæ nonnulli abjudicant, omnes tamen conveniunt sæculo Apostolico natam esse. S. Clemens 1. Rom: Pontifex in Epistola 2. monet ut causa

adipi-

adipiscendæ salutis, quidquid mali in carne admisimus, abdicemus, *dum ad pænitentiam tempus nobis ſuppetit, postquam enim ex hoc mundo egreſsi fuerimus, nec confiteri peccata, nec pœnitentiam agere poterimus.* Satis quoque pro Confeſsione Sacramentali clarum legitur testimonium in Epistola quadam antiquiſsima ad S. Jacobum scripta, quam Ruffinus Scriptor sæculi 5tii ex Græco in Latinum vertit, in qua hæc habentur: *Quod si forte in alicujus cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præest, quo poſsit fide integra & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia pervenire.* Sæculo secundo Tertullianus antequam ad Montani ineptias deflecteret, in libro de Pænitentia eos acriter increpat, qui propter pudorem, & verecundiam peccata ſua non detegebant, & ait: *Plerosque Confeſsionis opus ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre, pudoris magis memores quam ſalutis, velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum verecundia pereunt.* Statimque concludit: *An melius est damnatum latere, quam palam absolvi.* Hic vero Tertullianum loqui de ea Confeſsione quæ secreto Sacerdotibus fieri solebat, ex eo patet, quia ibidem scribit, pænitentes *Præsbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari.* Sæculo tertio Origenes Homil: 2. in Psalmum 50. postquam monuit, peccatum occultatum vehementer nocere poſse, ita prosequitur: *Si autem ſui accusator fiat, dum accusat ſemetipsum, & confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam, tantummodo circumspice diligentius, cui debeas peccatum confiteri, proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere.* S. Cyprianus libro de lapsis, qui Idolis thura adoleverunt, eos exhortans ad pænitentiam, quam respuebant, in hunc scribit modum, *quanto, & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo Sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam de hoc vel cogitaverunt, quod ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt.* Unde post pauca ſubjungit: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres chariſsimi, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit, in ſæculo est, dum admitti confeſsio ejus potest, dum confeſsio, & remiſsio, per Sacerdotes apud Deum grata est.* Sæculo quar-

quarto Lactantius libro 4. Instit: Cap: 17. sic ait: *Deus volens vitæ & saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, Pænitentiam nobis in illa circumcisione proposuit: ut si cor nudaverimus, id est si peccata confessi, Deo satisfecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus, & admissa sua celantibus, denegatur.* S. Basilius in Regulis brevioribus interrog: 110. ait: *Necessario iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* S. Gregorius Nyssenus Sermone adversus eos, qui alios acerbius judicant, inquit: *Afflictionis participem, & socium sume Sacerdotem, ut Patrem, audacter ostende illis quæ sunt recondita, animi arcana tamquam occulta vulnera medico, pande.* Idque faciendum esse docet ad avertendum incertum mortis diem, & ardorem evitandum excruciantis æterni ignis. S. Hieronymus in Commentariis Ecclesi: Cap: 10. exponens necessitatem aperiendi Sacerdoti omnia prorsus peccata, etiam occulta ait: *Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.* Sæculo quinto, & sexto S. Leo magnus Epist: 136. *Beatus conscientiarum sufficit solis Sacerdotibus indicare confessione secreta.* S. Chrysostomus Homil: de muliere Samaritana sic ait: *Qui homini detegere peccata erubescit, neque confiteri vult, in die illa judicii, non coram uno, vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante, traducetur.* Ex his autem SS. Patrum adductis testimoniis sic argumentari licet. Citati SS. Patres ceterique omnes unanimi consensu docent, affirmantque Confessionem Sacerdoti faciendam esse peccatorum etiam secretorum, atque occultorum, quæ mente concipiuntur, in cor latenter irrepunt, & hoc ideo, ut pænas ignis æterni effugiamus, & ad præmia vitæ æternæ perveniamus, magis memores salutis, quam pudoris, ne secreta occultando, cum erubescentia pereamus, & latendo damnemur, ut peccatorum nostrorum veniam â Deo consequamur, quæ illa celantibus denegatur, quapropter peccata confitenda esse dum sumus in mundo, dum nostra Confessio & per Sacerdotem obtenta remissio grata est Deo, & accepta, qui enim hic peccata confiteri non vult, in die judicii universo spectante orbe traducetur. Porro his manifestissime insinuantur Confessionem peccatorum Sacerdoti faciendam, ad salutem omnino esse necessariam, Divino ergo præcepto hominibus injuncta & demandata fuit, & est.

2do: Vetus, & rectissima est regula. Quod univer-

sa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, ſed ſemper retentum est, Divinæ eſse institutionis. Porro Confeſsio peccatorum Sacerdoti facienda, à temporibus Apostolorum ſemper in Ecclesia in usu fuit, nullibi à Concilio quopiam instituta, ſemper retenta, neque tempus aſsignari potest, quo incæperit, Divinæ ergo est institutionis, & Apostolicæ Traditionis. Et quidem *1mo*: Confeſsio ſemper in Ecclesia in usu fuit. Sæculo primo & temporibus Apostolorum, ut in illorum habemus Actibus Cap: 19. *Multi credentium veniebant confitentes, et annuntiantes actus ſuos*, & S. Joannes Epist. 1. Cap: 1. ad impetrandam remiſsionem peccatorum, fideles ad Confeſsionem hortatur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et justus Deus, ut remittat nobis peccata nostra.* Sæculo ſecundo testatur S. Irenæus libro 1. Cap: 13. mulieres à Marco Hæreiarcha ſeductas, & inquinatas, postquam ad Ecclesiam redierant, ſuum crimen confeſsas fuiſse. *Hæ ſæpiſsime conversæ ad Ecclesiam Dei, confeſsæ ſunt et ſecundum corpus exterminatas ſe ab eo, et veluti cupidine inflammatas, valde illum ſe dilexiſse.* Sæculo tertio Novatiani Ecclesiam divexarunt, quod aliqua delicta remitti non poſse, alia vero condonari poſse censuerint. At hoc usum Confeſsionis ſupponit. Nam ut hæc condonentur, illa non condonentur, confeſsione prius innotescere debebat. Sæculo quarto S. Ambrosium Confeſsiones excipere ſolitum fuiſse, testis est Paulinus in vita illius, ita ſcribens: *Quotiescunque illi aliquis ad percipiendam Pænitentiam lapsus ſuos confeſsus eſset, ita flebat ut & illum flere compelleret. Causas autem criminum quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.* Pro sæculo quinto testis est locupletiſsimus Innocentius I. in Epistola ad Decentium Cap: 1. ubi hæc ſcribit. *De Pænitentibus, qui sive ex gravioribus commiſsis, sive ex levioribus, Pænitentiam egerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum, Romanæ Ecclesiæ consvetudo demonstrat. Ceterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confeſsionem Pænitentis.* Sæculo ſexto S. Fulgentius generalem Confeſsionis formulam conscripsit, quam quisque ad ſuos usus accomodaret. Tandem ex vetustiſsimis Euchologicis, ac Ritualibus libris Latinorum, Græcorum, ac Orientalium, manifestiſsimum est, in omnibus Ecclesiis perpetuum fuiſse Confeſsionis usum. Præstat hic Joannem Jejunatorem ad-

adijcere, qui S. Gregorio Magno coævus fuit, hic ferm: de Confes: sic pænitentem alloquitur: *Hæc igitur animo revolvens considera, & ad calculum revoca delicta, quæ fecisti, quæ noctu, quæ interdiu, quæ sciens, quæ ignoras, omnia coram Christo, & electis Angelis ejus, nihil pudore retinens, aut contrahens, confidenter mihi peccatori confitere.*

Objcies 1mo: Nectarius Constantinopolitanus Patriarcha, ut refert Socrates Histor: Eccles: libro 5. Cap: 19. propter divulgatum Nobilis Matronæ cum Diacono facinus, quod illa Præsbytero, qui Pænitentiæ præerat, confessa est, Confessionem abrogavit, & unumquemque pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem, accedere permisit. *2do:* Et ipsius Succeſsor S. Joannes Chrysostomus soli Deo non vero hominibus faciendam esse peccatorum Confeſsionem, sæpius in suis Operibus inculcat. *3tio.* Gratianus qui anno 1151. suum opus evulgavit, de Confeſsione disputat, quasi nihil de ea hactenus in Ecclesia constitutum, ac definitum esset. *4to:* Tandem Confeſsio auricularis Sacerdoti facienda in Concilio Lateranensi 6to anno 1215. instituta, & præcepta omnibus fuit. Non ergo Divino jure præcepta fuit, aut à Christo instituta.

Resp: ad 1mum: Antiquitus in Ecclesiis constitutus erat Pænitentiarius, munus autem illius erat, ordinem in publica delictorum pænitentia servandum dirigere, in vitam, moresqué pænitentium inquirere, auditis reorum Confeſsionibus, hæc vel illa peccata publicæ pænitentiæ subijcienda decernere, utque imposita executioni mandaretur, diligenter invigilare. Cum itaque istiusmodi Pænitentiario, Mulier quædam nobilis faſsa fuerat, Ecclesiæ Diaconum cum ipsa stupri consvetudinem habuiſse, idque facinus, vel per imprudentiam Pænitentiarii, vel per publicam ipsius Mulieris Confeſsionem, in vulgus sparsum fuerat, indeque maximus populi rumor excitatus est, Nectarius Patriarcha imprudenti consilio ductus Pænitentiarium illum sustulit, officium ac munus illius abrogavit, ac consequenter sublato publico Censore, unicuique permisit pro arbitrio, & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere, quod antea, publicæ pænitentiæ subjectis, sine illius permiſsu non licebat; verum sublato istiusmodi Pænitentiario, seu potius publicæ Pænitentiæ Præfecto, atque Moderatore, Confeſsio Sacramentalis secreta & auricularis non fuit sublata. Iu-

 credi-

credibile siquidem est, in numerosissima Civitate, qualis erat Constantinopolis, unum dumtaxat Sacerdotem excipiendis Fidelium Confessionibus destinatum fuisse, & huic muneri Pænitentiarium unum suffecisse. Plures ergo præter Pænitentiarium erant Sacerdotes, qui secretas Fidelium Confessiones excipiebant, quod etiam variis historiæ monumentis facile est comprobare. Pænitentiario igitur sublato, illi qui secretas Fidelium excipiebant Confessiones, relicti sunt, & cum ipsis secreta Sacramentalis perduravit Confessio.

Dices: Pænitentiario illi, non solum publica, sed & secreta fiebat peccatorum Confessio. Ergo illo sublato, publica, & secreta sublata est Confessio.

Resp: Illi, qui gravissimi alicujus delicti rei erant, quod publica pænitentia expiandum esset, Pænitentiario unum Confessionem suam facere tenebantur, & quoniam unum simul peccatum sine alio remitti nequit, omnia proinde sua illi confitenda sunt, ideo cetera quoque omnia peccata sua illi revelabant, & aperire tenebantur, is vero pro ratione delictorum vel privatas satisfactiones, vel publicam pænitentiam indicebat, sic quemadmodum refert Socrates, eadem nobilis Mulier *ad Pænitentiarium Præsbyterum accedens, delicta post baptismum perpetrata sigillatim confessa erat, Præsbyter vero præcepit mulieri, ut jejuniis & orationibus continuis vacaret,* en secreta Confessio, & pro occultis delictis, privata Satisfactio injungitur, subdit vero, *progressu temporis mulier aliud facinus confessa est, Ecclesiæ videlicet Diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. Id cum dixisset, Diaconus quidem Ecclesia ejectus est, populus vero graviter commoveri cœpit,* hic Confessio manifesta criminis, quod publica pænitentia expiandum erat. Sublato itaque Pænitentiario Præsbytero, una cum ipso sublata est Confessio tum publica, tum secreta, quæ apud ipsum ex Ecclesiæ ordinatione necessario facienda erat, quatenus ex ejus judicio quis publicæ subijceretur pænitentiæ, vel ab ea eximeretur. Sed quia non illi soli secretæ fiebant Confessiones, & alii bene multi erant Sacerdotes, qui Fidelium excipiebant Confessiones, & quibus illi confitebantur, qui publicæ pænitentiæ subijciendi non erant, ideo sublato illo Pænitentiario, non est sublata secreta Confessio quæ aliis Sacerdotibus fieri poterat, & ex Divino præcepto fieri debebat.

Ad 2dum: Quæ fiunt Sacerdoti vices Dei in terris gerenti, & qui quæcunque agit, nomine Dei, & potestate

te à Deo accepta agit, Deo fieri, merito censentur. Porro Sacerdos, cui peccata confitemur, vices Dei in terris agit, dum à confeſsis sibi peccatis absolvit, potestate à Deo conceſsa id perficit, dum igitur Sacerdoti peccata confitemur, Deo illa confitemur, quare & apud Latinos mos est antiquiſsimus antequam sigillatim Sacerdoti peccata nostra enumeremus, generalem præmittere Confeſsionem, qua Deo, & Sanctis ejus peccata nostra confitemur, & apud Græcos pænitenti dicit Sacerdos. *Ne erubescas, non enim mihi peccata enuntias, ſed Deo, apud quem consistis.* Cum itaque Chrysostomus dicit Confeſsionem peccatorum Deo eſse faciendam, ut illorum remiſsio obtineatur, Sacerdotum ministerium non excludit, quæ enim Sacerdoti vices Dei gerenti fit Confeſsio, eam veluti ſoli Deo factam eſse censet, & is enim peccata quæ audit, nulli propalare, neque evulgare potest, quare ad pudorem & erubescentiam deponendam hortatur, ut illa ſeposita peccata confiteamur, quia probro à nullo afficiemur, in publicum nostra delicta non proferentur. Unde Homil. 4. de Lazaro sic ait: *Cur igitur quæſo pudescis, & erubescis dicere peccata tua. Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? Num enim conservo confiteris, ut in publicum proferat?* Est quidem & Sacerdos homo, ac peccatoris conservus, ſed non ideo peccata audit ut probro afficiat, ut in publicum proferat, quare ei Chrysostomus deposito pudore, seposita erubescentia peccata confitenda eſse docet, atque ulterius ita prosequitur S. Doctor: *non ergo te in medium prodire Theatrum, ac multos adhibere testes, Mihi ſoli dic peccata privatim, ut ſanem ulcus, teque dolore liberem.* hic ergo evidentiſsime privatam, ſecretam sibi ſoli faciendam exigit peccatorum Confeſsionem, curam, humanitatemque pænitenti appromittit. Similia habet Serm: 58. hom: 5. ait enim: *At verecundaris, & erubescis enuntiare peccata? Sane quidem, si coram hominibus indicenda eſsent, & evulganda, non tamen ita pudere te oportuit, pudor enim est, & ignominia peccare, non quæ peccaveris confiteri. An vero neceſsarium est testibus præsentibus confiteri? Apud conscientiæ rationem fiat inquisitio delictorum. Sine testibus sit judicium. Deus te confitentem ſolus audiat, Deus, qui peccata non exprobrat, ſed confeſsione delet.* Excludit ergo Chrysostomus Confeſsionem faciendam hominibus, qui confeſsa peccata divulgent, Confeſsionem quæ fieri deberet coram testibus, ſed non excludit Confeſsionem,

quæ fit homini Sacerdoti, fit sine testibus, fit ſoli Deo confitentem audienti, qui peccata non exprobrat, ſed Confeſsione delet, unde ipse inquit Homil: 21. ad populum Antiochenum. *Nullus infamiæ timor est, & simplici, ac nuda eaque ſecreta peccatorum confeſsione, ſalus illico comparatur.* Certe cum Chrysostomus Confeſsionem inculcans, ubique graviter exhortatur pudorem eſse deponendum, erubescentiam ſeponendam, neutiquam de illa loquitur Confeſsione, quæ excluso etiam Sacerdotis miniſterio ſoli Deo fit, tacite siquidem, & in corde ſuo peccata ſua Deo fateri, nullum pudorem causare poterit, erubescentia talem non impedit Confeſsionem, quæ vero etiam ſoli fit Sacerdoti pudore effundit, erubescentia nonnunquam ab ea avertit, unde iterum Homil 2. de Cruce & Latrone ait: *Si Latronem in Cruce tanto honore dignatus est, multo magis nos insita ſua benignitate dignabitur, si voluerimus peccatorum Confeſsionem instituere. Ut igitur & nos benignitate illius perfruamur, peccata propria confiteri ne erubescamus. Magna enim Confeſsionis vis est, & multa ejus potentia.* Plane cæcus sit oportet, qui non videat hic Chrysostomum loqui de Sacramentali Confeſsione Sacerdoti facienda. Hæc & Origenes aliquot ante Chrysostomum ſæculis docuit Homil: 2. in Leviticum ſcribens, ubi sic ait: *Est adhuc ſeptima, licet dura, & laboriosa per Pœnitentiam remiſsio peccatorum, cum lavat peccator in lachrymis stratum ſuum, & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum.* Corde ergo Deo peccator ſua confitetur peccata, cum lachrymis lavat stratum ſuum, ore autem Sacerdoti, dum non erubescit ſua illi indicare delicta. Utraque laboriosam & duram constituit pænitentiam, qua à Deo remiſsio obtinetur peccatorum.

Ad 3tium: Gratiani temporibus nulla erat controversia de neceſsitate Confeſsionis Sacramentalis, omnes, & ipse Gratianus, agnoscebant ipsam eſse Divinæ institutionis, à Christo præceptam, & ad ſalutem omnino neceſsariam, de vi & efficacia Sacramenti Pænitentiæ tota tunc erat controversia, quam Gratianus Part: 2. Cauſsa 33. proponit. Nimirum quærebatur an peccata per Contritionis efficaciam ante Sacramentum remittantur, an ipso Pænitentiæ Sacramento deleantur. Argumenta in utramque partem proponit Gratianus, ac cujusque arbitrio permittit, quod magis placet ſentire, cum utraque ſententia ſuos tunc fautores habuerit. Non ergo Gratianus Confeſsio-

sionis necefsitatem aut negavit, aut in dubium revocavit, quia illam jure Divino institutam, atque præceptam efse, non folum ipse, fed & cæteri Ecclesiastici Scriptores illi coævi agnoverunt, maxime S. Bernardus, Godfridus Vindocinensis, Hugo Victorinus, Petrus Blesensis, & alii. Unde ita rem totam Gratianus concludit. *Quæ in afsertione hujus fententiæ dicta funt, partim veritate nituntur, partim pondere carent. Sine Contritione etenim cordis, nullum peccatum pofse dimitti, occulta vero peccata fecreta fatisfactione, publica quoque manifesta pœnitentia expiari debere, firmifsima ratione constat fubnixum. Porro sine confefsione oris, si facultas confitendi non defuerit, aliquod grave delictum expiari auctoritati penitus probatur adversum.* Claris verbis hic agnoscit Gratianus Confefsionis necefsitatem, cum sine ea, si confitendi facultas fuppetat, nullum grave delictum expiari pofse, affirmat.

Quæres 4to: Quid sit Satisfactio?

Resp: Satisfactio, si generatim consideretur, *est rei debitæ integra folutio*, peculiari autem modo accipi folet pro compensatione injuriæ, quam quis alteri intulit. SS. Patres ac Theologi hac voce usi funt ad eam designandam compensationem, qua homo pro admifsis à fe culpis, aliquid pro modulo fuo, Deo persolvit. Hæc autem Satisfactio vel est extra Sacramentum Pænitentiæ, & *est pœna libere ab homine fuscepta, ad resarciendam injuriam Deo illatam, redimendaque fupplicia per peccata promerita*, vel est in Pænitentiæ Sacramento imposita, ipsiusque pars reputatur, & describitur: *Voluntaria pœnæ, quam Sacerdos in tribunali Pœnitentiæ pœnitenti imposuit, toleratio ac perpefsio, ad compensandam injuriam Deo peccatis illatam, iramque ipsius placandam.* Lutherus, Calvinus, eorumque efseclæ, docent 1. remifsa culpa, nullam fuperefse ad ipsius vindictam pendendam pænam, ac proinde eandem habendam efse rationem peccatorum sive ante, sive post Baptisma patratorum, unde sicuti dum per Baptisma delentur peccata, omnis remittitur pæna, ita pariter dum post Baptisma commifsa remittuntur peccata, omnis etiam æterna & temporalis tollitur pæna. 2. pænas nullas à Ministris Ecclesiæ pænitentibus constitui pofse in peccatorum ultionem, aut ad Divinæ injuriæ aliquam Satisfactionem, fed nonnisi ad cautelam in futurum, ut postea eadem vitentur peccata. Sed Concilium Tridentinum hæc damnavit, & Catholicam

de

de Satisfactione doctrinam aliquot Capitibus, & Canonibus in Seſsione 14. exposuit.

Quæres 5to: Dum post Baptiſmum commiſsa peccata, per Pœnitentiam delentur, an ſuperest aliqua temporalis pœna luenda?

Resp: Superest etiam ad Divinæ injuriæ Satisfactionem, vindicandaque nostra delicta. Et ita decrevit Concilium Tridetinum Seſs: 14. Can: 12. *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti ſemper á Deo, anathema sit.* Atque hæc est constans SS. Patrum doctrina. Tertulianus de Pænitentia Cap: 8. ait. *Confeſsio satisfactionis conſilium est. Satisfactio Confeſsione disponitur. Pœnitentia Deus mitigatur.* S. Cyprianus Epist: 55. ad Cornelium Papam eos redarguens Sacerdotes, qui ante peractum legitimæ Pænitentiæ tempus impendebant absolutionem, sic inquit: *Intercedunt, ne exoretur precibus & ſatisfactionibus Christus, datur opera, ne ſatisfactionibus justis delicta redimantur.* S. Gregorius Magnus libro 9. Moralium Cap: 27. ait. *Nequaquam peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur.* Unde merito dixerat S. Ambrosius libro ad Virginem lapsam Cap: 8. *Grande scelus, grandem neceſsariam habet satiſfactionem.*

Objicies 1mo: Deus Ezechielis Cap: 18. ſpondet, quod si impius egerit pænitentiam, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabitur, quare & Christus Latroni & Mulieri peccatrici pænitentibus ita pepercit, ut nullam Satisfactionis pænam ab ipsis exigeret. Et si aliquando pænitentibus peccatoribus pænas immittit, id facit ad futuram illorum correctionem, non ad vindicanda peccata, quare S. Chrysostomus. Homil: de Pænitent: & Confeſs: ait: Deus *propter hoc imponit, non de peccatis ſumens vindictam, ſed ad futura nos corrigens,* quæ est ipsa Lutheranorum ſententia. 2do: remota causa tollitur effectus. At pæna est effectus peccati. Ergo peccato ſublato, & pæna tollitur. Certe si post remiſsa peccata luenda eſset pæna in Satisfactionem illatæ Deo injuriæ, tunc Christus per paſsionem, mortemque ſuam, non quantum neceſse erat ſatisfecit. Si autem ille plene pro nostris peccatis ſatisfecit, nobis nihil luendum ſuperest.

Resp: ad 1mum: Deus per Ezechielem Prophetam ſpondet, ut si impius egerit pænitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabitur, quia ſcilicet, ut ibidem dicitur *vita vivet & non morietur.* Deus siquidem condonatis gravibus impio pæniteuti peccatis, reatum quoque

pænæ

pænæ æternæ illi remittit, ſed loco illius pænas exigit temporales, quare ibidem dicitur *& fecerit judicium & justitiam*, ſe ipsum castigando, ac in ſeipso peccata puniendo, ut sic Divinæ justitiæ pro iis ſatisfaciat. Christus vero singulari exemplo, & Divina ſua liberalitate Latroni & Mulieri peccatrici pænitentibus, culpam & pænam omnem remisit, quia vehementiſsima Contritione & ardentiſsima charitate inflammati erant, unde de Muliere illa dixit. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, tantæ enim efficaciæ est ardens charitas, ac vehemens Contritio, ut non ſolum culpam delet, ſed etiam temporalem omnem auferat pænam, & hoc iis omnibus præstat, qui illa præditi sunt.

Nemo dubitat temporales pænas à Deo nobis immitti, & ab Ecclesia pænitentibus imponi, non ob unum finem, ſcilicet ad majorem peccati horrorem ingerendum, ad evitandum in pristina delicta relapsum, ut inquit S. Augustinus. Tractatu 124. in Joannem *ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna.* Hoc ergo concedimus, ſed addimus præterea temporales pænas nobis immitti, & ab Ecclesia pænitentibus imponi, ad vindicanda peccata, ad ſatisfaciendum Deo, compensandamque illatam Ei injuriam, unde Sacerdotes sic exhortatur Concilium Trident: Seſs: 14. Cap: 8. Habeant præ oculis, ut Satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Quare Augustinus in Psalmum 5. ſcribens ait. *Nolo ut tu Deus me punias, quia ego peccatum meum punio.* Neque alia mens, ac doctrina fuit S. Chrysostomi, ſed omnia simul complexus est, ait enim loco citato. *Ne peccantes, & inulti manentes efficeremur deteriores, non remisit nobis ſupplicium, ſed vidit hoc manifeste, quod peccatis ipsis non minus damnoſum sit non puniri, propter hoc imponit pœnam.* Deus itaque temporales nobis immittit pænas & ad vindicanda nostra peccata, & ad nostram correctionem emendationemque, neve deteriores efficeremur.

Ad 2dum: Remota causa tollitur etiam effectus, si ei indivulse adhæreat, sic extincta face tollitur lux, ſecus vero si effectus non indivulse adhæreat causæ ſuæ, sic ſublato Artifice manet opus ab eo fabricatum. Ergo generatim dici nequit. Sublata causa tolli effectum. Quod vero ſublata culpa remaneant ſolvendæ pænæ temporales,

les, Dei ordinationi id deputandum est, qui hoc freno vult homines à peccato continere, & dum culpam condonando, misericordiam exercet, partes suæ justitiæ intactas, puniendo relinquit. Unde August: Tract: 124. in Joan: sic ait. *Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis, quamvis, ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum, productior est enim pœna, quam culpa.*

Christus morte, ac passione sua plene & superabundanter pro peccatis nostris satisfecit, verum voluit ut & nos ipsi, quantum possumus, pro nostris delictis Divinæ justitiæ satisfaceremus, unde etiam operibus nostris pœnalibus omnem vim & pondus satisfactionis ipse contulit, quemadmodum universa tenet Ecclesia, & omnes SS. Patres docuerunt. Id præclare exponit Concilium Trident: Sess: 14. Cap: 8. *Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Jesum Christum, nam qui ex nobis tamquam nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus, ita non habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur â Patre.* Satisfactiones igitur nostræ, nihil derogant Christi satisfactionibus.

Quæres 6to: Ergo debent Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ satisfactorias pœnas pœnitentibus imponere?

Resp: Debent, & id facere possunt. Ita docet Concilium Trident: Sess: 14. Cap. 8. *Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere.* Et id constat ex SS. Patribus. Innocentius I. Papa Epist: ad Decentium Cap: 7. sic ait. *De pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ac tum debere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.* S. Leo Magnus. Epist: 82. Cap: 2 inquit: Christus *hanc Ecclesiæ Præpositis tradidit potestatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgarent.* Augustinus Serm: 31. ait. Pœnitens *â Præpositis Sacramentum accipiat satisfactionis suæ modum.* Hinc S. Cyprianus libro de lapsis acriter invehitur in illos Sacerdotes, qui pœnitentiæ remittebant rigorem, unde ait: *Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorundam laxatur incautis communicatio, irrita, & falsa pax, periculosa dan-*

dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Et vero, data est â Christo Apostolis, eorumque successoribus potestas non solvendi tantum, sed & ligandi. Porro potestas ligandi non modo importat vim retinendi peccata impœnitentibus, sed & congruam pænitentibus indicendi satisfactionem. Potestas siquidem ligandi generaliter concessa, ad ea omnia vincula se extendere debet, quæ saluti pænitentium conducere valent. Satisfactio autem saluti pænitentium multum conducere indubitatum est, quare tota Ecclesia in potestate ligandi, potestatem indicendæ satisfactionis semper agnovit, ut patet ex Canonibus Concilii Nicæni, Carthaginensis 4. Arausicani I. quæ certum pænitentibus ad satisfactionem tempus Divina authoritate præscribunt. Rem tandem definivit Concilium Trident: Sess: 14. Can: 15. *Si quis dixerit, Claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clavium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse, quod virtute Clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat, anathema sit.*

Quæres 7mo: Utrum impositæ Pœnitentibus pœnæ, vel ab ipsis sponte susceptæ, habéant vim satisfaciendi pro peccatis?

Resp: Pænæ Pænitentibus impositæ, vel ab ipsis sponte susceptæ, aut tandem â Deo immissæ, & patienter tolleratæ habent vim satisfaciendi pro peccatis, opera igitur pia, & laboriosa sunt vere satisfactoria, & ipsis redimuntur pænæ temporales peccatis promeritæ. Et id constat ex Sacris Scripturis. Proverb: Cap: 15. dicitur. *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata.* & Cap: 16. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas.* Quare Daniel Propheta Cap: 2. ait Nabuchodonosori. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas, misericordiis pauperum.* Hæc autem omnia immerito scriberentur, si per hujusmodi pietatis opera, pænis peccatorum temporalibus non fieret satis. In quo enim hæc peccatorum purgatio, redemptio consisteret? Nihil certe aliud reperire est, nisi quod per illa reatus pænæ temporalis tollitur.

Et id ipsum docent SS. Patres. Tertulianus libro de Pænitentia Cap: 6. sic inquit. *Quam ineptum est, quam iniquum, pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere, hoc est pretium non exhibere, ad mercem manum mitte-*

mittere, hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit, hac Pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. S. Ambrosius libro 7. in Lucam ſcribens ait. *Sicut qui pecunias ſolvunt, debitum reddunt, sic compensatione charitatis, actuumque reliquorum, vel ſatisfactione quacunque, peccati pœna diſsolvitur.* & S. Gregorius Magnus libro 3. in caput 7. I. Regum ſcribens inquit. *Afflictio Pœnitentiæ ad delenda peccata idonea est, cum Sacerdotis judicio fuerit imperata.* Merito itaque decrevit Concilium Trident: Seſs: 14. Can: 13. *Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, ſed neque ſponte ſusceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſse tantum novam vitam, anathema sit.*

Obijcies 1mo: Paulus ad Ephesios ſcribens Cap: 4. ait. *Qui furabatur jam non furetur.* Non ergo pæna aliqua ſubeunda est pro peccatis, ſed tantum ab illis desistendum. Theophylactus vero in hunc Apostoli locum ait. *Puniri est fori judiciarii, dehortari à vitiis, Christi doctrinæ est.* Item ad Roman: Cap: 3. ita ſcribit Apostolus justificationem peccatoris plane gratuitam eſse. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Nulla ergo propter peccatum exigitur pæna. *2do.* Poſsunt Sacerdotes per abſolutionem Sacramentalem, & peccati reatum dimittere, &æternam pænam relaxare. Cur ergo non poſsunt & temporalem pænam condonare.

Resp: ad 1mum: Ex eo quod Paulus moneat ceſsandum eſse à peccatis, non sequitur propterea omnem laboriosam pænitentiam excludi, imo ipsam ut neceſsariam statim ibidem Apostolus inculcat, dicens: *Magis autem laboret operando manibus ſuis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat neceſsitatem patienti,* quibus converso & pænitenti præscribit laboriosum, simul & misericordiæ opus. Unde & Theophylactus seipsum explicans ait: *Non satis est à peccato quiescere, ſed contraria via est adeunda. Antea operabatur malum, jam nunc operetur bonum, neque id simpliciter, verum cum labore, partim quidem, ut conteratur corpus, quod antea ex corpore mala didicerat, partim vero, ut largiores habeat vitæ mores.* Ex quibus apparet Theophylactum in pænis salutaribus injungendis excludere eam judicandi formam, quæ apud Secularia exer-

exerceretur Tribunalia, non illam quæ juxta Christi doctrinam in tribunali observatur Pænitentiæ.

Revera gratis justificamur, quia justificatio nostra tota fundatur in meritis Christi, qui cum nullo debito teneretur, Sangvinem ſuum pro nobis fundere voluit, ut nos à morte æterna redimeret. Hoc autem non tollit neceſsitatem Satisfactionum ex parte nostra. Præterea hoc etiam ex Capite gratis justificari dicimur, quia justificationem nonnisi per gratiam Dei consequimur, quæ si ex meritorum nostrorum intuitu tribueretur, jam non eſset amplius gratia.

Ad 2dum: Hujus discriminis ratio alia non est, quam Dei voluntas, cui ita pro salute hominum expedire visum est, ut quidem in Sacramento Pænitentiæ per Christum deleretur chyrographum damnationis æternæ, maneret tamen loco illius aliqua temporalis pæna luenda, ne hac etiam ſublata peccatores minus cauti, ad peccandum redderentur faciliores. Indulgentiarum attamen conceſsione Ecclesiam & temporales quoque pænas remittere, indubitatum est.

CAPUT TERTIUM

De Indulgentiis.

Quæres: Quid sit Indulgentia?

Resp: Indulgere idem est, ac remittere, unde Indulgentia ab Alexandro 3. remiſsio vocatur. Cum itaque opera nostra pænalia, ac Satisfactiones, quibus temporales pænas, post remiſsum peccatum luendas, exsolvimus, sint plerumque imperfectæ, & gravitati pænæ ſubeundæ non correspondeant, in ſupplementum atque ſubsidium pænitentibus præsto ſunt Indulgentiæ, quarum nomine intelligitur remiſsio pænæ temporalis, quæ post remiſsum peccatum luenda ſuperest, unde definiri solet: *Remiſsio pœnæ temporalis, quæ post culpæ, & pænæ æternæ condonationem luenda ſuperest, â legitimo Superiore conceſsa, per applicationem thesauri Ecclesiæ, ſeu per applicationem ſuperabundantium satisfactionum Christi & Sanctorum.* Indulgentia itaque conceſsa non remittit peccata, unde etiam extra Sacramentum Pænitentiæ datur, ſed remis-

sa

sa peccata supponit, ac proinde semper conceditur *contritis, & confessis* solam temporalem pænam aufert.

ARTICULUS unicus

De valore, & usu Indulgentiarum.

Quæres 1mo: Quæ de Indulgentiis fides docet?

Resp: Lutherus primo quidem contra abusum Indulgentiarum insurrexit, sed Paulo post, ipsas Indulgentias negavit. Concilium Tridentinum Sess: 25. in suo Decreto de Indulgentiis efformato, hæc statuit: *Cum potestas conferendi Indulgentias, Ecclesiæ à Christo concessa sit, atque hujusmodi potestate Divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.* Unde circa Indulgentias duo nonnisi ab omnibus credenda sunt. 1mo: Ecclesiam habere potestatem â Christo sibi concessam Indulgentias concedendi. 2do. Indulgentiarum usum esse Fidelibus salutarem, ac in Ecclesia retinendum. Atque hæc duo in professione fidei à Pio 4. edita confitemur. Cetera vero ad Scholæ opiniones pertinent, quia ab Ecclesia non sunt definita. Non tamen propterea neganda, aut reijcienda erunt.

Quæres 2do: Unde ergo constare potest Ecclesiam habere concessam sibi á Christo largiendi Indulgentias potestatem?

Resp: Id constat 1mo: ex verbis Christi Math: Cap: 16. *Tibi dabo claves Regni cælorum, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis* & Cap: 18. *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Quibus verbis data est à Christo Ecclesiæ potestas solvendi quodcunque vinculum. Ergo sicut hæc potestas extenditur ad remittenda quæcunque peccata in Sacramento Pænitentiæ per Sacerdotalem absolutionem, ita extendi debet ad relaxandas quascunque pænas extra Sacramentum Pænitentiæ per concessionem Indulgentiarum. Et vero, ex eo, quod Christus Ecclesiæ suæ concesserit potestatem ligandi, merito Concilium Tridentinum Sess: 14.

14. Cap: 8. & Can: 15. concludit, Ecclesiæ Ministros habere potestatem pænas satisfactorias imponere. Ergo ex data potestate solvendi, legitime infertur, Ecclesiam poſse per Indulgentiarum conceſsionem, easdem pænas satisfactorias remittere, ac condonare.

2*do*: Ex continuo uſu. Certe illa potestas competit Ecclesiæ, qua illa à primordiis ſemper usa est. Porro potestate Indulgentias Fidelibus concedendi ſemper usa est Ecclesia. Et quidem 1mo sæculo, insigne præbet documentum Paulus Apostolus, qui Epist: 2. ad Corinth: cap: 2. incestuoso Corinthio jam pænitenti, & dolenti, ne forte abundantiori absorberetur tristitia, ulteriores constigationes ac pænas remisit, atque condonavit, & id in persona Christi præstitit, unde ait: *& ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi*, quæ perpendens Chrysostomus Homil: 4. in Epist: 2. ad Corinth: affirmat hunc Corinthium non tam opera pænitentiæ, quam gratia, & beneficio veniam fuiſse consecutum, ac proinde Indulgentiam â Paulo obtinuiſse. 2do, & 3tio sæculo praxim Indulgentias concedendi, illud probat, quod ad præces SS. Martyrum, opera satisfactoria, impositasque pænitentias, pænitentibus relaxandi consvetudo ubique obtinuerit, quemadmodum scribunt, Tertullianus, & S. Cyprianus. Sæculo 4. morem dandi Indulgentias in Ecclesia obtinuiſse, probant Concilia Ancyranum, Nicænum 1. in quibus Episcopis conceditur facultas relaxandi injunctas pænitentibus pænas, quod etiam docent hujus Sæculi Patres SS. Basilius, & Gregorius Nyſsenus, Id ipsum de Sæculo 5. testantur S. Leo Magnus, & Innocentius I. Papa. Sæculo sexto, & ſeptimo eandem viguiſse, praxim, discimus ex Concilio Trullano, & aliis. Posterioribus autem Sæculis Indulgentiarum uſum viguiſse nimis perspicuum est. Itaque cum Indulgentia sit remiſsio pænæ temporalis, quæ post peccati abolitionem luenda ſuperest, & ſemper in Ecclesia obtinuerit consvetudo, ut pars saltem aliqua istiusmodi pænarum pænitentibus condonaretur, inde apparet Indulgentiarum usum ſemper in Ecclesia viguiſse, potestatem ergo illas concedendi habet Ecclesia, & hanc non aliunde accepit nisi ab ipso Christo, dicente Petro: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlo.* Math: Cap: 16. Certe in his quæ Deo debentur, ſuntque Divini juris, nihil Ecclesia potest, nisi ad id à Christo potestatem acceperit.

perit. Porro pænæ temporales quæ post obtentam peccatorum remiſsionem luendæ ſuperſunt, Divinæ justitiæ in satisfactionem illatæ injuriæ debentur, eas Deus pro jure ſuo exigit. Jllas ergo relaxare, remittere Ecclesia non poſset, nisi ad id potestatem à Christo accepiſset. Quare potestas concedendi Indulgentias, qua ſemper Ecclesia usa est, est â Christo, propterea Concil: Trident: Seſs: 25. in Decreto de Indulgentiis, potestatem Indulgentias conferendi à Christo Ecclesiæ traditam, & Divinitus conceſsam eſse affirmat.

Quæres 3tio: Utrum per Indulgentias ab Ecclesia conceſsas, non ſolum relaxantur pœne illæ Canonicæ, quæ olim vigente publica pœnitentia imponi solebant, an etiam per illas remittantur illæ temporales pœnæ, quæ coram Deo pro peccato debentur, ad satisfaciendum ipsius iustitiæ.

Resp. Id quidem non est ab Ecclesia definitum, ac propterea illæsa fide de hoc in Ecclesia disputatur. Verum communior, & fundatior est opinio, qua aſseritur per Indulgentias non solum Canonicas pænas relaxari, ſed & illas vere ab Ecclesia remitti, quæ coram Deo, ad satisfaciendum pro peccatis ipsius justitiæ debentur, remitti. Enim vero Canonicæ pænæ ab Ecclesia imponebantur ad satisfaciendum pro peccatis Divinæ justitiæ, Deo itaque stricte debebantur, â Deo acceptabantur, atque vim Satisfactionis habebant. Jllas ergo Ecclesia relaxando, hoc ipso, remittit illas pænas temporales quæ Divinæ justitiæ pro peccatis debentur, unde id non facit ſua authoritate ſed potestate à Christo accepta, & divinitus sibi tradita, sicut fecerat Apostolus *in persona Christi* Corinthium pænitentem à reliquis castigationibus eximendo. Certe cum Christus in persona Petri ampliſsimam Clavium conceſserit Ecclesiæ facultatem, quemadmodum ipsa canit in festo SS. Petri & Pauli *Aperire terris cœlum*, habet itaque Ecclesia potestatem cuncta impedimenta amovendi, quæ ad conſequendum, & adipiscendum Regnum Cælorum adeſse poſsunt. Porro & ipsæ pænæ temporales, quæ post obtentam peccatorum remiſsionem nobis lugendæ superaunt, non modicum ſunt ad aſsequendam Cælorum regnum impedimentum, illud ergo etiam per Indulgentiarum largitionem Ecclesia tollere potest. Et hæc est doctrina antiquorum Patrum, sensusque Ecclesiæ. S. Cyprianus Epist: 11. sic præclare scribit: *Qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſsunt, si premi infirmitate aliqua*

aliqua & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu eis in pœnitentiam imposita, cum pace à Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur. Ex quo patet, quod olim lapsi per Indulgentiam ad preces Martirum ipsis concefsam, non solum à pænitentiis Canonicis solvebantur, sed etiam à pænis divinæ justitiæ debitis ex me-bantur, quia nimirum per hanc Indulgentiam *ad Dominum cum pace è Martiribus promiſsa remmittebantur*, hoc autem fieri non poterat, si concefsa Indulgentia, à solis tantummodo Canonicis pænis ipsos exemifset. Unde Leo X. hanc Luteri damnavit propofitionem *Indulgentiæ his, qui eas veraciter consequuntur, non valent ad remiſsionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud justitiam divinam*, & Sixtus 4. Petrum Oxoniensem, qui docuit per Indulgentias solas Canonicas pænitentias remitti, damnavit.

Obijcies 1mo: SS. Patres unanimiter docent peccatum omne vel in hac vita ab homine, vel à Deo in futura puniri. Ergo per Indulgentias remitti nequeunt. Certe pæna temporalis quæ post remifsam peccati culpam luenda fuperest, omni jure Deo in satisfactionem illatæ injuriæ debetur. Hanc ergo Ecclesia remittere nequit. *2do*: Manifesta est contradictio inter Pænitentiam, quæ pænam exigit, & Indulgentiam quæ pænam remittit. Si Sacerdos Pænitentiam administrans, pænam necefsariam fuo pænitenti judicat, illamque imponit, quare Ecclesia veluti ex gravi jugo pænitentem eximit? cum Confefsarius eam imposuerit, tamquam modum expiationis, atque satisfactionis cur Ecclesia ab hoc onere solvit, quasi pæna ad diluenda peccata haud efset necefsaria, & si reipsa non est necefsaria, cur illam confefsarius imponit.

Resp: ad 1mum: SS. Patres docent peccatum quodlibet puniri debere vel in præsenti vita ab homine, vel in futura â Deo, nisi defectum humanæ satisfactionis fuppleant fuperabundantes Christi, & Sanctorum satisfactiones, punitionesquæ, quæ cum per Indulgentiam homini applicantur, illis debitum pænæ temporalis exsolvit. Debet itaque peccatum hominis castigari, donec congrua satisfactione expungatur. Sed ubi homo obtinuit, ut satisfactioni fuæ accedat satisfactio Christi, ac Sanctorum, tunc peccatum ipsius ex aliqua parte etiam punitur, ex aliqua parte pæna ipsi debita relaxatur. Et verum quidem est, pænam quæ post remifsam culpam luenda fuperest omni jure Deo deberi, fed etiam illam

 Eccle-

Ecclesia non propria ſua relaxat authoritate, ſed potestate à Christo sibi tradita & divinitus concesſa.

Ad 2dum: Neque levis aliqua apparet contradictio inter Pænitentiam, & Indulgentiam. Siquidem concesſæ ab Ecclesia Indulgentiæ à satisfactionis onere minime eximunt, ſed iis tantum ſuccurrunt, qui pro modulo ſuo divinæ justitiæ satisfacere allaborant, atque mâgnam pænitentiæ partem jam adimpleverunt, his inquam residuas pænas, quas adhuc luere deberent, Ecclesia remittit.

Quæres 3tio: Quid nomine thesauri intelligitur, cujus applicatione Indulgentia conceditur?

Resp: Fons, unde Indulgentiæ originem ducunt, thesaurus Ecclesiæ est, per illum vero intelligitur cumulus bonorum spiritualium, quorum dispensatio Ecclesiæ à Deo concredita est. Et hic Ecclesiæ thesaurus coalescit *1mo:* ex ſuperabundantibus meritis & satisfactionibus Christi Domini Salvatoris Nostri, quia ut inquit Paulus 2. Corinth: Cap: 8. Christus *propter vos egenus factus est, cum eſset dives, ut illius inopia vos divites eſsetis.* Hinc Clemens 6. in Extravag: de Pænit: ait: *Salvator in ara Crucis immolatus, non guttam Sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Ver bum pro redemptione totius generis humani ſuffecisſet, ſed copiose veluti quoddam profluvium noscitur effudiſse. Quantum ergo exinde, ut nec ſupervacua, inanis, & ſuperflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, quem quidem thesaurum per beatum Petrum Cœli clavigerum, ejusque ſucceſsores commisit Fidelibus ſalubriter dispensandum.* 2do: Ex meritis, ſuperabundantibusque satisfactionibus Sanctorum, maximè verò Dei Genitricis Virginis Mariæ. Unde mox laudatus Clemens 6. sic ulterius prosequitur: *Ad cujus thesauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, omniumque Electorum à primo justo, usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur.* Certum namque est plures Sanctos satisfactiones habuiſse plurimas quibus non indigebant. Quis enim id neget de B. V. Maria, quæ etsi ab omni labe immunis, tot tantaquè acerba pertulit. Tot etiam erant Martyres, qui à Baptismo recentes, ac proinde ab omni culpa & pæna liberi, atrocia quæque ſupplicia perpefsi ſunt. Porro incredibile est istiusmodi satisfactiones otiosas manere. Deus enim nullam condigni meriti partem absque præmio relinquit. Ergo quæ uni ſuperflua ſunt, alteri indigenti applicare censendus est. Constat namque Deum Sanctorum precibus

bus moveri ad condonandas ipsis etiam impiis pœnas quas promeruerunt. Sic pepercit rebellibus Israelitis propter Moysen servum suum, ipsi Sodomæ parciturus, si decem in ea just reperisset. Atque hæc erat primævæ Ecclesiæ intima persvasio, cum ad Martyrum postulationes, lapsis debitas pœnas moderabatur. Qvin & id utcunque exigit: *Communio Sanctorum*, illius siquidem fructus, effectusque est, ut membra ejusdem mystici Corporis se invicem juvent, & quod ab uno perficitur, ad alium quodam jure pertineat. Et hujus assertionis in Scripturis etiam sacris non leve habetur fundamantum. Apostolus Paulus. 2. ad Corinth: cap: 12. sic inquit: *Ego autem libentissime impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris.* 2. ad Timoth: cap: 2. ait: *omnia sustineo propter electos.* Tandem ad Colofs: cap: 1. scribit: *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Ex quibus manifestissimum fit, Sanctorum merita satisfactionesque in ceteros, qui sub eodem capite Christi sunt, & ejusdem Corporis mystici membra, diffundi. iisque communicari.

Verum Sanctorum merita satisfactionesque non ita in thesauro Ecclesiæ includuntur, quasi sine illis Christi satisfactiones non sint sufficientes, cum per se illæ ad satisfaciendum justitiæ divinæ pro peccatis totius mundi sufficientissimæ sint sed quia per hoc Deus Sanctos honorari voluit. Neque etiam dicimus Sanctorum merita satisfactionesque ad cumulum satisfactionis pro peccatis nostris concurrere per modum solutionis, vimque pretii habere, sed solum per modum suffragii.

Obijcies 1mo: Si satisfactiones Sanctorum coadunentur Christi satisfactionibus, hoc cederet in dedecus Christi. An enim plus recipit homo ex applicatis sibi satisfactionibus Sanctorum, quam ex solis Christi? 2*do*: Supponit assertio ista esse quædam opera sanctorum superabundantia, quod falsum est, quia ut inquit Apostolus Rom: cap: 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.*

Resp: ad 1mum: Dum sanctorum satisfactiones adunantur Christi satisfactionibus, hinc insigniter ipsæ commendantur, cum tantæ virtutis esse probentur, ut ipsis etiam hominum vilibus operibus vim tribuerint, non sibi tantum, sed & fratribus suis opitulandi. Utique sola christi satisfactio plene sufficit, at voluit Deus eo etiam San-

ctos ſuos honorare, ut satisfactiones ipsorum ad nostrarum pænarum abolitionem acceptaret. Neque abſurdum est, quod quis ex Christi & Sanctorum satisfactionibus simul unitis, plus aliquid accipiat, quam ex ſolis Christi meritis. Non quod tamtundem à ſolo christo dari non potuerit, ſed quod ipſe per ſe ſolus daturus erat, in Sanctos ſuos referri voluit, & quidquid in illis est boni, ab ipsisque profluit, illius est, & ab ipso dimanat.

Ad 2dum: Non ſunt quidem Sanctorum opera ſuperabundantia in genere meriti, unde vere dixit Apostolus passiones hujus temporis non eſse condignas ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, at in genere satisfactionis, non pauca Sanctorum opera ſuperabundantia ſunt, satisfactionesque ſuperfluentes ad remiſsionem pænæ, quæ propriis eorum culpis debita eſse potuit, quia fieri poterat, ut vel nullam pænam promeriti sint, prout de B. V. Maria tenet Ecclesia, vel si quam meruerint, certe multo minorem, quam quæ per pænalia eorum opera compensari debuerit, quod & Job de seipso scribit cap: 6. *Utinam appenderentur peccata mea, & calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris, hæc gravior appareret.* Jam vero mirum eſset, si exceſsus ille otiosus maneret, & nemini in bonum cederet.

Quæres 4to: Quibus ab Ecclesia conceduntur Indulgentiæ?

Resp: Indulgentiæ communiter conceduntur vivis, ut ex continua praxi manifestum est. Sed conceduntur etiam mortuis, quorum animæ in Purgatorio detinentur, & id merito facit Ecclesia, quoniam & mortuis Indulgentiæ applicari poſsunt. Enimvero celebratiſsima est regula S. Augustini Epist: 54. descripta: *Quod tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentiſsimæ audaciæ est.* Jam vero à pluribus sæculis Ecclesia consvevit Indulgentias mortuis applicare. Id ergo Ecclesiam poſse facere, qui in dubium revocaverit, insolentiſsimæ audaciæ foret.

Et vero fideles qui in Domino defuncti ſunt, nobiscum ejusdem mystici corporis membra, ſunt fide & charitate coadunati: ut docet Augustinus libro 20. de civit: Dei. cap: 9. scribens: *Neque enim piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur. Cur enim pro eis ista fiant sacrificia, nisi quia fideles etiam defuncti, ejus membra ſunt.* Porro ejusdem corporis membra alia aliis opitulari poſsunt, prout enim docet Apostolus 1. Corinth: cap:

cap: 12. *Pro invicem sollicita sunt membra, ut si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra.* Ergo viventes per applicationem Indulgentiarum mortuis oppitulari posſunt. Certe viventes poſsunt ſua ſuffragia, merita & satisfactiones Defunctis applicare, poſsunt proinde & Indulgentias. Unde S. Thomas Doctor sic concludit: *Non est aliqua ratio quare Ecclesia poſsit transferre communia merita, quibus Indulgentiæ innituntur in vivos, & non in mortuos.*

Verum Indulgentiæ aliter viventibus, aliter Defunctis conceduntur, atque applicantur: scilicet, viventibus conceduntur, & applicantur per modum absolutionis, qua à pœnis ſuperstitibus eximuntur, Defunctis vero nonnisi per modum ſuffragii, & orationis, qua Christi, Sanctorumque satisfactiones Deo repræsentamus, ac imploramus, ut illos in solutionem pro animabus Defunctorum suscipere dignetur, illosque à pœnis liberare misericorditer velit. Ratio hujus discriminis est; quia Indulgentiarum conceſsio per modum absolutionis authoritative à pœnis superstitibus eximendo, actus est jurisdictionis, unde ab iis tantum concedi poſsunt, qui jurisdictione in Ecclesia pollent. Porro soli viventes Ecclesiæ jurisdictioni ſubsunt, non autem mortui, qui ut docet S. Bernardus Epist: 7. *Solum Deum habent judicem.* Unde Indulgentiæ viventibus ab Ecclesia conceduntur per modum absolutionis, defunctis per modum ſuffragii, & solutionis.

Quæres 8to: Indulgentiæ igitur ſunt Fidelibus utiles, ac salutares?

Resp: Ita est reipsa. Et id expreſse definivit Concilium Trident: Seſs: 25. in ſuo de Indulgentiis decreto declarans potestatem concedendi Indulgentias divinitus à Christo Ecclesiæ traditam esse, & illarum usum Christiano populo maxime salutarem eſse, ac propterea in Ecclesia retinendum, & id in fidei profeſsione quæ ad mentem Concili Tridentini à Pio 4. Romano Pontifice edita est, his verbis confitemur: *Indulgentiarum potestatem à Christo in Ecclesia relictam eſse, earumque usum Christiano populo maxime salutarem.* E certe cum secundum doctrinam SS. Patrum ac Conciliorum Indulgentiæ, habentur loco satisfactionis ac pœnarum quæ delictis nostris debitæ ſunt, haud exiguam Fidelibus illæ adferunt utilitatem, quia ope illarum, & pro peccatis nostris divinæ justitiæ satisfacimus, & à pœnis quæ nobis luendæ, vel in hac, vel in futura vita ſupersunt, eximimur, & liberamur.

TRACTA-

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO ORDINIS, & EXTREMÆ UNCTIONIS.

Divina hæc duo à Christo Domino instituta Sacramenta, Ordinis videlicet, & Extremæ unctionis, negant moderni Hæretici, Catholicam propterea de iis Fidem, & doctrinam stabilire necesse est.

CAPUT PRIMUM

De Sacramento Ordinis.

Ordo duplici præcipue modo consideratur, scilicet vel quatenus certum hominum constituit cætum, in quo alii aliis sunt superiores, alii aliis inferiores, varios proinde conplectitur gradus in quibus homines constituuntur, & hoc sensu Ordo, Hierarchiam Ecclesiasticam denotat, quæ est status Ecclesiæ Ministrorum à statu Laicorum distinctus, vel etiam *Ordo* sumitur pro certo ritu, quo dignitas quædam spiritualis potestasque confertur ad Divina exercenda munia, & tali sensu *Ordo* hic accipitur, & Sacramentum esse creditur.

ARTICULUS 1mus

De notione, institutione, materia, & forma Sacramenti Ordinis.

Quæres 1mo: Quid sit Ordo?

Resp: Ordo est ritus sacer divinitus institutus, quo quis ad exercenda publica Religionis ministeria deputatur, & per gratiæ infusionem, ac spiritualis potestatis collationem ad illa habilis atque idoneus redditur. Lutherus, Calvinus quamvis Ordinationes in Ecclesia Catholica admit-

mittant, eas tamen verum eſse novæ legis Sacramentum negant. Sed Concilium Tridentinum illorum errorem damnavit, atque Seſs: 23. Can: 3. constituit. *Si quis dixerit Ordinem, sive ſacram Ordinationem non eſse vere, & proprie Sacramentum à Christo Domino institutum, aut eſse tantum ritum quemdam eligendi Ministros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema sit.*

Quæres 2do: Uude constat Ordinem eſse verum novæ legis Sacramentum?

Resp: Id constat ex Scriptura ſacra, & Traditione. Et quidem *1mo*: Scripturæ Sacræ manifeste insinuant Ordini nihil deeſse eorum, quæ ad rationem veri Sacramenti pertinent, ſcilicet ritum ſensibilem, gratiæ collationem, & Christi institutionem; sic Actorum Cap: 6. ubi agitur de Ordinatione Diaconorum, dicitur. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Actorum Cap: 14. ubi ſermo est de Ordinatione Præsbyterorum, sic ſcriptum habemus de Paulo, & Barnaba. *Cum constituiſsent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & oraſsent, cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino in quem crediderunt.* Paulus etiam Apostolus ad Timotheum ſcribens ubique testatur ipsum ordinatum, & consecratum fuiſse per impositionem manuum. Sed & ipse Paulus, & Barnabas mandante Spiritu Sancto ſegregati ſunt in opus Ministerii, sive ordinati per orationem, & manuum impositionem. Actorum Cap: 13. *Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus. Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod aſsumpsi eos, Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Ubicunque ergo Scripturæ Sacræ ordinationes describunt, ſemper orationis & manuum impositionis meminerunt, per quas, & cum quibus ipsa perficiebatur, & quæ ſensibilis est. Atque his Ordinationibus gratiam Divinam annexam, & Ordinatis collatam fuiſse, pariter ſacræ Scripturæ testantur. Paulus siquidem Timotheum à ſe ordinatum alloquens ubique dicit per impositionem manuum ipsi collatam fuiſse gratiam. Epist: I. Cap: 4. ait. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii* & Epist: 2. Cap: I. inquit *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum* quam gratiam vere Divinum donum fuiſse in ſpiritu virtutis, charitatis, ſobrietatis sitam statim ſubjungit. *Non enim dedit nobis Deus*

ſpiri-

ſpiritum timoris, ſed virtutis, dilectionis & ſobrietatis. Tandem Ordinationem Divinam habere institutionem indubitatum est. Enimvero Christus in ultima Cæna dum Apostolis contuliſset potestatem Corpus & Sangvinem ſuum consecrandi dicens eis: *Hoc facite in meam commemorationem,* tunc eos, ut docet Concilium Trident: Seſs: 23. Can: 2. Sacerdotes constituit, & Joan: Cap: 20. post ſuam Resurrectionem potestatem illis dedit dimittendi ac retinendi peccata, quod insigne est Sacerdotale munus, quare docet Apostolus Ephes: Cap: 4. Christum instituiſse & dediſse Apostolos, Prophetas, Pastores, & Doctores, *in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* & Actorum Cap: 26. affirmat, Episcopos à Spiritu Sancto positos eſse regere Ecclesiam Dei.

Sed eadem Catholica veritas constat ex perpetua Traditione, qua edocemur Ordinem verum eſse novæ legis Sacramentum. In re autem tam certa, ſufficit hic aliquot Sanctorum Patrum adducere testimonia. S. Ambrosius libro de dignitate Sacerdotali Cap: 5. sic ait. *Quis dat Episcopalem gratiam? Deus an homo? Respondes sine dubio Deus, ſed tantum per hominem dat Deus. Homo imponit manum, Deus largitur gratiam, Sacerdos imponit ſupplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem, Deus tribuit dignitatem.* S. Augustinus libro contra Parmen: Cap: 13. loquens de Baptismo & Ordine sic inquit. *Utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat. Neutri Sacramento injuria facienda est.* Pariter Innocentius I. Epist: 18. ad Alexandrum Episcopum Antiochenum Cap: 3. Ordinem comparat Baptismo, & ultra addit in Ordine plenitudinem Spiritus Sancti conferri. S. Leo Magnus Epist: 11. Dioscorum Alexandrinum Cap: 1. sic inquit. *A vobis hoc volumus custodiri, ut non paſsim diebus omnibus, Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur, ſed post diem Sabbati, Jejunis, & â jejunantibus sacra benedictio conferatur, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligentius videatur adimpletum.* Tandem S. Gregorius Magnus libro 4. in I. Regum Cap: 5. ait. *Qui in culmine ponitur Sacerdotii, Sacramenta ſuscipit Unctionis. Quia vero ipsa Unctio Sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.*

Tandem idem Catholicum dogma evincitur ex consensu omnium Ecclesiarum Latinæ, Græcæ, atque Orientalium, Sectarumque Eutychianorum, Nestorianorum & quot-

quotquot ante Lutherum, & Calvinum extiterunt Hæresum, Valdenses, Hussitæ, Viclefistæ Ordinis Sacramentum profitebantur. Merito itaque Concilium Tridentinum Sess: 23. Cap: 3. sic decrevit. *Cum Scripturæ testimonio, Apostolica Traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere & proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis.*

Objicies 1mo: Si Ordo esset Sacramentum, ii nonnisi essent Sacerdotes, qui Ordine initiati sunt. Porro non ita est; omnes enim Fideles Sacerdotes sunt. Namque S. Petrus Epist: 2. Cap: 2. omnes Fideles ita alloquitur. *Vos genus electum, regale Sacerdotium*, eosque vocat *Sanctum Sacerdotium*, & S. Joannes Apocal Cap: 5. ait. *Fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes & regnabimus super terram.* Cap. 20. de Fidelibus electis dicit. *Erunt Sacerdotes Dei, & Christi & regnabunt cum illo mille annis.* Unde Tertullianus libro exhortationis ad castitatem Cap: 7. volens probare secundas nuptias Christianis esse prohibitas, hoc utitur argumento, quia secundæ nuptiæ vetitæ sunt Sacerdotibus, omnes autem Christiani sunt Sacerdotes, sic enim scribit. *Vani erimus si putaverimus, quod Sacerdotibus non liceat, Laicis licere. Nonne & Laici Sacerdotes sumus? Scriptum est Regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit. Differentiam inter Ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus à Deo. Ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus.* Ex quibus tria eruuntur. 1. omnes Laici sunt Sacerdotes. 2. in defectu Sacerdotum Laicos posse Baptisare, offerre, & sibi ipsis Sacerdotes sunt. 3. distinctio inter Sacerdotes & Laicos ex auctoritate Ecclesiæ oritur. Porro si Ordo Sacramentum esset, Laici Sacerdotes non essent, offerre non possent, & jure Divino Sacerdotes à Laicis distingverentur. *2do:* S. Paulus Epist: ad Galatas Cap: 3. ait. *Quicunque in Christo Baptisati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus neque fœmina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Omnes ergo Christiani pares sunt, nulla est differentia inter Laicos & Sacerdotes. Et vero impositio manuum, quæ putatur Sacramentum designare, non gratiam sanctificantem conferebat, sed gratiam gratis datam, miraculorum videlicet ac prophetiæ

tiæ impertiebat, unde Timotheo dicit Paulus. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam.* Præterea manus impositio fuit ritus, quo frequenter & Judæi, & postea Christiani utebantur, ad alios longe fines, non ad conficienda Sacramenta, & apud Catholicos in Ecclesia Romana frequentissime usurpatur, in Patriarcharum Benedictionibus, Demonum expulsione, ægrotis quoque manus imponuntur, quod & Christus fecit. Marci 26. Ex manuum igitur impositione Sacramentum inferri nequit.

Resp: ad 3mum: In testibus adductis non est sermo de vero Sacerdotio, quod per sacram Ordinationem suscipitur, sed de Sacerdotio quodam mystico, & late sumpto, quale gerere censetur, quisquis aliquid Deo offert, licetsi illud veri Sacrificii rationem minime habeat. Petrus ergo Joannes omnes Fideles Sacerdotes nuncupavit, quia spiritualia ac mystica Sacrificia preces, orationes, ceteraque bona opera offerre Deo debent, hoc est, ut in Epist: 1. Cap: 2. idem Petrus loquitur *spirituales hostias.* Certe eodem modo fidelibus tribuitur Sacerdotium, quo & Regnum, atque dominatus super terram; dicuntur siquidem *Regale sacerdotium.* Jam vero non attribuitur illis Regnum verum, neque dominatus proprie dictus, sed metaphoricus, ac figurate sumptus. Neque enim fideles omnes regia potiuntur in terris potestate, aut millenarium regnum admittendum est. Tale quoque & Sacerdotium ipsis adscribitur, mysticum scilicet, metaphoricum, ac figuratum. Et vero S. Petrus verba in objectione citata ex libro Exodi Cap: 19. desumpsisse videtur, ubi Deus omnes Israelitas ita alloquitur. *Et vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, gens sancta,* & tamen apud Israelitas Sacerdotium extra tribum Leviticam esse non poterat, sicuti ergo ibi Israelitæ omnes dicuntur esse Sacerdotes non proprie, & stricte, sed late & figurate, ita pariter Fideles omnes Sacerdotes nominantur non proprie, & stricte, sed late tantum & figurate. Certe si omnes Fideles sunt proprie, & vere Sacerdotes, cur Paulus & Barnabas per omnes Ecclesias constituerunt Præsbyteros, cur Paulus reliquit Cretæ Titum, ut per Civitates constitueret Præsbyteros?

Quod vero Tertulianum attinet, ille omnes quidem Christianos esse Sacerdotes dixit latiori significatione, quia certis in casibus deficientibus veris Sacerdotibus, Baptisabant, preces Deo offerebant, & nonnulla, ad suum & adstantium levamen Sacerdotum munia in prædicando, exhor-

hortando per.. gebant. Tandem Tertullianus Laicos Sacerdotes dicit eſse dispositive, non quia actu omnes eſsent Sacerdotes, ſed quia ex Laicis ad Sacerdotium aſsumebantur. Hinc Tertulianus inferebat Laicis quoque ſecundas nuptias eſse vetitas, quia hæc in Sacerdotibus prohibitæ erant, qui juxta doctrinam Pauli nonnisi cum eſsent unius uxoris viri eligi poterant, unde ibidem ſubjungit. *Omnes nos Deus ita vult eſse dispositos, ut ubique Sacramentis ejus obeundis apti simus usque adeo, nisi & Laici ea observent, per quæ & Præsbyteri adleguntur, quomodo erunt Præsbyteri, qui de Laicis adleguntur.* Ceterum Tertullianus manifeste distinctionem Ordinis inter Clerum & populum agnoscit, siquidem libro de Monogamia Cap: 12. ita ſcribit. *Cum extollimur, & inflamur adversus Clerum, tunc unum omnes ſumus tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos fecit Deo, & Patri, dum ad peræquationem disciplinæ Sacerdotalis provocamur, deponimus latas infulas, & impares ſumus.* Sed ex ipsis quoque objectis Tertulliani verbis dum dicit *& honor per ordinis conseſsum ſanctificatus à Deo*, manifestum est apud Tertullianum Sacerdotes á Laicis differre, non ſolum lege Ecclesiastica ſed & jure Divino.

Ad 2dum: S. Paulus docet quidem omnes Christianos pares eſse, ſed habita ſolum ratione fidei, gratiæ, & ſalutis, non vero quantum ad officia, & gradus. Demonstrare siquidem voluit Apostolus apud Deum nullam eſse acceptionem personarum, eumque universos homines vocare ad fidem, cujuscunque sint ſæxus, linguæ, & nationis, iis omnibus aditum ad Evangelium & gratiam patere, & si bene, ſancteque ſe gerant, Cælestis Patriæ ostium pandi. Quæ omnia vera ſunt, quamquam nonnulla graduum distinctio inter Fideles reperiatur. Conficiunt equidem fideles omnes uno animati ſpiritu, unum corpus, ſed ut idem ait Apostolus ad Rom: Cap: 12. *in uno corpore multa ſunt membra, omnia autem membra non eundem actum habent.* Scilicet quemadmodum in quavis bene constituta Republica, ita etiam in Ecclesia Christi Hierarchicus aliquis Ordo plane est neceſsarius, is si desit, magna confusio, rerumque perturbatio prorsus continget. Quare rursus Apostolus I. Corinth Cap: 12. sic ait. *Si totum corpus occulus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus? quod si eſsent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem ſunt membra, unum autem corpus.* Per impositionem manuum quæ Sacramentalis erat, &

de

de qua Paulus Apostolus ad Timotheum scribens toties mentionem facit, gratia ſanctificans conferebatur, quia illa designatur per Spiritum virtutis, dilectionis, & ſobrietatis, quæ non ſunt gratiæ gratis datæ, ſed gratiæ ac dona hominem Deo gratum facientia. Quare per *prophetiam*, de qua ibidem Apostolus meminit, non intelligitur prophetiæ donum Timotheo conceſsum, quasi effectus impositionis manuum eſset, ſed significat prophetiam sive revelationem à Deo factam Paulo, ut Timotheo manus imponeret, eumque Episcopum consecraret, quod ex Epist: I. Cap: I. ad illum ſcripta apparet clariſsime, ait enim: *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundum præcedentes in te prophetias.* Demum concedi potest Timotheum per impositionem manuum prophetiam, & cetera dona recepiſse, non exclusa, ſed adjuncta gratia ſanctificante.

Una ac eadem res ad multa usurpari potest, sic & manuum impositio ad varia adhibetur, ſed non eodem modo, non eodem fine, per adjuncta, & annexa, determinatur vel ad Sacramentalem, vel ad pure Cæremonialem. Non negamus impositionem manuum & antiquitus, & nunc fuiſse pure Cæremonialem, ſed fuit & nunc est etiam Sacramentalis.

Quæres 3tio: Quæ sit materia, & quæ forma Sacramenti Ordinis?

Resp: Multa & gravia inter Theologos exarserunt diſsidia, circa Materiam Ordinis formamque aſsignandam, maxime tres illos ſpectando Ordines, Episcopatum videlicet, Præsbyteratum ac Diaconatum, quos institutionis Divinæ eſse, omnes fatentur. Sententias eorum præcipuas tres afferre ſatis erit. *Prima* eorum est, qui censent materiam prædictorum Ordinum eſse ſolam manuum impositionem, formam vero annexam illi orationem. *Secunda* illorum est, qui materiam horumce Ordinum reponendam eſse censent in porrectione eorum instrumentorum, quæ cuivis Ordini propria ſunt, formam vero in verbis, quæ porrectioni instrumentorum adjunguntur. *Tertia* denique utrumque conjungit & manuum impositionem, & instrumentorum porrectionem. Verum tamen major & ſanior Theologorum pars tenet ſolam manum impositionem Ordinum hierarchicorum videlicet Episcopatus, Præsbyteratus atque Diaconatus materiam eſse, formam vero verba illa seu Orationem, quæ eam ſolent comitari. Et id constat. *1mo:* ex Scripturis ſacris. Namque Actorum Cap: 13.

13. Paulus & Barnabas manuum impositione & oratione in Episcopos ordinati ſunt, Timotheus pariter per manuum impositionem à Paulo Episcopus ordinatus fuit, similiter ſeptem Diaconi ab Apostolis manuum impositione ordinati ſunt. Quod ergo ab Apostolis in ſacris Ordinationibus, adhibitum, & usurpatum est, illud pro materia Sacrorum Ordinum merito constituitur, pro forma vera illa oratio, quæ impositionem manuum comitatur, quia & in Ordinatione Diaconorum Apostoli imponentes manus oraſse dicuntur, Paulus & Barnabas, á jejunantibus, & orantibus, per impositionem manuum Ordinati ſunt, & Paulus ac Barnabas Actor: Cap: 14. orando cum jejunationibus Præsbyteros per singulas Ecclesias constituerunt.

2do: Idem constat ex perpetuo Ecclesiæ usu. Namque ex SS. Patrum ſcriptis, Conciliorum Canonibus, Ritualium libris, constat ſemper in Ordinationibus Episcoporum, Præsbyterorum, ac Diaconorum manuum impositionem adhibitam, & per eam prædictos Sacros Ordines collatos fuiſse. Plura quidem eam in rem congeri poſsent testimonia Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, ac etiam Innocentii I. Cælestini I. Romanorum Potificum, denique Conciliorum Nicæni I. Antiocheni anno 341. habiti, Toletani 4. Hispalensis 2. ac aliorum, ſed hic ſufficiet adferre Concilium Carthaginense 4. anno 398. celebratum, à quo disertiſsime declaratur ritus inaugurandi ſacros Ecclesiæ Ministros, unde Cap: 2. sic habet. *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput & cervicem ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant* & Cap: 3. de Ordinatione Præsbyteri ita statuit. *Præsbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Præsbyteri, qui præsentes ſunt, manus ſuas, juxta manum Episcopi, ſuper caput ejus teneant.* Tandem de Ordinatione Diaconi Cap: 4. hæc habet: *Diaconus cum ordinatur, ſolus Episcopus qui eum benedicit, manus ſuper caput illius ponat.* In his ergo Ordinationibus ſola manuum impositio usurpatur, illa proinde ſola eſsentialis, ac unice ad ſacram Ordinationem perficiendam judicabatur eſse neceſsaria.

Et vero Ecclesia Græca, ac Orientales omnes in conferendis Ordinibus solam manuum impositionem, sine instrumentorum porrectione ſemper adhibuit, & hanc praxim hucusque retinet, nullus autem Latinorum Græcos,

eos, atque Orientales hac de re culpavit, in Concilio Florentino de hoc non arguebantur, imo universa Ecclesia Latina per annos ad minimum nongentos hierarchicos Ordines absque Instrumentorum porrectione conferebat, de Instrumentorum porrectione alte silent vetusta Sacramentaria, atque Rituales libri, nec eam commemorarunt Amalarius, Rhabanus, Wolsfridus, Strabo, qui ante nongentos annos floruerant, quamvis de modo, quo Ordines sacri conferri debeant, ex profeſso ſcripserint, Instrumentorum tamen porrectionem non commemorarunt. Non igitur eſsentialis, & ſacræ Ordinationi omnino neceſsaria credita fuit, aut eſse potest, alias ſequetur Græcos, atque Orientales ſemper caruiſse, & modo etiam Ordinis Sacramento carere, cum tamen Ordinationes eorum à Leone 10. & Clemente 8. expreſsé recognitæ & approbatæ fuerint, & totam quoque Ecclesiam Latinam vel per nongentos annos irritas feciſse Ordinationes, cum instrumentorum porrectionem per id tempus non adhibuerit, vel normam Ordinationis in Sacris litteris expreſsam, & à Majoribus traditam deinceps immutaſse, quæ cum dura & absurda sint, admittique nequeant, concludendum omnino est, ſolam manum impositionem, annexamque illi Orationem eſse materiam, formamque Sacramenti Ordinis eſsentialem, ac omnino neceſsariam.

Quæres 4to. Quid ergo de Instrumentorum porrectione ſentiendum est?

Resp: Per annos nongentos & amplius Ordines hierarchici, Episcopatus, Præsbyteratus, ac Diaconatus, ſola manuum impositione conferebantur, ab annis octingentis cæpit introduci mos in iisdem Ordinationibus Instrumenta porrigendi & quidem ea de causa, ut evidentius ostenderetur, ac veluti præ occulis poneretur, ad quem finem singuli ordines conferantur, & hanc rationem vetustiores etiam Theologi afferunt. Sic Hugo à S. Victore libro 2. de Sacram: part: 3. Cap: 12. de Ordinatione Præsbyterorum ſcribens, hæc habet: *Accipiunt calicem cum vino, & patenam cum hostiis de manu Episcopi, quatenus his instrumentis potestatem ſe accepiſse agnoscant placabiles Deo hostias offerendi.* Eadem habet Magister Sententiarum qui floruit ab anno 1140. libro 4. dist: 24. Primitus itaque Instrumenta in Ordinationibus non porrigebantur, quasi hæc porrectio foret Ordinationi eſsentialis, ſed quia evidentius demonstrabat, finem, & ſcopum, ad quem quisque ordinabatur, nequit ergo & modo tamquam omnino neceſ-

necessaria reputari. Et certe quod Ordini est essentiale, atque ex Christi institutione omnino necessarium, est invariabile, ac immutabile ab universa Ecclesia semper adhibitum, et usurpatum fuit. Porro Instrumentorum in conferendis hierarchicis Ordinibus porrectio, mutationi subjecta fuit, neque constans ac universalis fuit, per mille fere annos Ecclesiæ Latinæ ignota fuit, Græci, ac ceteri Orientales, neque ea unquam usi sunt, neque modo utuntur. Porrectio igitur Instrumentorum neque est pars essentialis Sacrarum Ordinationum, neque ad eas ex Divina institutione necessario prærequiritur. Quia tamen ab octingentis jam annis porrectio Instrumentorum in hierarchicis etiam Ordinibus conferendis in Ecclesia Latina constanter usurpatur, & in omnibus libris Ritualibus horum Sæculorum uniformiter præscripta est, ideo prætermitti nullatenus debet, potestque tamquam pars integrans & accessoria Sacramenti Ordinis reputari.

Obijcies Eugenius 4. in celebri decreto pro instructione Armenorum hæc scribit: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Præsbyteratus traditur per Calicis cum vino & patenæ cum pane porrectione*, quare juxta Pontificale Romanum Episcopus dum Calicem porrigit, hæc verba pronuntiat. *Accipite potestatem offerre Deo Sacrificium, Missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis*, quibus verbis significatur Sacerdotii Ordinem conferri, cum Calix porrigitur. Et Christus Dominus, quando Apostolos Sacerdotes ordinavit, tradidit illis consecratum panem, & calicem benedictum. Tandem Gregorius 9. in Capite *Presbyter* dicit impositionem manuum ab Apostolis institutam fuisse. Materia vero Sacramento essentialis, non ab Apostolis, sed ab ipso Christo institui debuit.

Resp: Eugenii 4ti mens fuit docere Armenos, qui Ecclesiæ Romanæ se conformare volebant, qui essent ritus etiam integrantes, & accessorii, atque accidentales, quibus Ecclesia Romana in Sacramentorum collatione utebatur, quamobrem dum Instrumentorum porrectionem in Ordinis collatione recensuit, manuum impositionem non negavit, nec rejecit. Sane quomodo potuit Eugenius negare manuum impositionem, quam nemo ignorabat expresse in libris Pontificalibus præscribi, & qua semper usa est Ecclesia, & tunc utebatur, sed & ipsi etiam Armeni in suis Ordinationibus eam adhibebant, ideoque illam silen-

tio

tio præteriit. Ceterum Ordinis Sacramentum tunc vere datur, cum Episcopus manus imponit, & orationem recitat, quare Instrumentorum porrectio cum certa verborum forma tamquam enucleatio traditi Ordinis, & impositi muneris reputatur.

Communior est ſententia Theologorum Apostolis tunc à Christo collatam fuiſse Ordinis potestatem, Eucharistiam nempe conficiendi, & Sacrificium offerendi, quando ipsis dixit *hoc facite in meam commemorationem*, prout ipsum etiam censet Concilium Trident: Seſs: 22. Can: 2. tunc vero jam eis dederat panem & vinum consecratum. Non ergo illa porrectione panis consecrati, ac Calicis benedicti Apostolos Sacerdotes Christus ordinavit. Tandem Gregorius 9. affirmat impositionem manuum primum ab Apostolis inductam, quia ipsi primi in Ordinationibus ſacris eam adhibuerunt, non vero quod ipsam illi instituerint.

Quæres 5to: Quis sit Sacramenti Ordinis Minister?

Resp: Sacrarum Ordinationum jure Divino ſoli Episcopi ſunt Ministri, quia non alii, quam Episcopi ſacros Ecclesiæ Ordines contuliſse in Scripturis ſacris referuntur. Soli siquidem Apostoli ſeptem Diaconos constituerunt. Soli Paulus, & Barnabas per singulas Ecclesias Præsbyteros ordinarunt. Paulus ipse Titum & Timotheum in Episcopos consecravit, quibus etiam præscribit quam eximiis animi dotibus præditi eſse debeant illi, qui ad ſacros Ordines ſunt promovendi. Id ipsum constat ex Traditione. Synodus Alexandrina purgans S. Athanasium à crimine confracti apud Jschyram caliciſ, probat Jschyram non illum nunquam Præsbyterum fuiſse, quia â Collutho, non Episcopo, ſed simplici Sacerdote ordinatus fuit. Hæc autem Synodi probatio, ostendit ſolos Episcopos ſacrarum Ordinationum Ministros eſse. S. Epiphanius hæresi 75. Aerium velut hæreticum refellit, eo quod Præsbyteros Episcopis in potestate ordinandi coæquaret, aſseritque Episcopos per ordinationem patres gignere, Presbyteros vero nonnisi per Baptismum Ecclesiæ filios progenerare. S. Hieronymus Epist: 101. ait. *Quid facit excepta Ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* quibus agnoscit Episcoporum singulare eſse privilegium, ut ſacras Ordinationes perficiant. Idem docent Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, atque ex perpetua Ecclesiæ praxi compertiſsimum est, illos qui Episcopi non erant, nunquam hierarchicos Ordines contuliſse, neque conferre potuiſse, quod etiam Concilium Constantiense Can: 8. & Eu-
genius

genius 4. in Decreto pro Armenis edito, constituerunt, & Synodus Tridentina Sess: 23. Can: 7. definivit, his verbis: *Si quis dixerit, Episcopos non esse Præsbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Præsbyteris communem, anathema sit.*

Dices. Timotheus ordinatus fuit Episcopus per impositionem manuum *Præsbyterii*. Ergo Præsbyteri simul cum Episcopis manus imponebant, & alios consecrabant Præsbyteros, quod & hodierna ostendit praxis.

Resp: Per *Præsbyterium* intelligitur consessus Episcoporum. Ita intelligunt interpretes præsertim Græci, unde S. Chrysostomus sic ait: *Non de Præsbyteris, hic loquitur* (Paulus) *sed de Episcopis, neque enim profecto Præsbyteri, ipsum* (hoc est Timotheum) *ordinaverunt.* Quæ vero etiam modo in ordinatione Præsbyterorum fit à Præsbyteris manuum impositio, non est Sacramentalis, sed tantum cæremonialis, ad fraternitatem cum Præsbyteris de novo Ordinatis demonstrandam.

Quæres 6to: Utrum præter Episcopum, possit alius Ordines conferre?

Resp: Quatuor Ordines, qui minores dicuntur, atque Subdiaconatum ex Ecclesiæ, ac Romani Pontificis concessione, Sacerdos simplex, & non Episcopus, conferre potest. Id expresse habet Gelasius I. in Epist: 9. Synodus etiam 7. generalis anno 787. habita & Eugenius 4. in suo Decreto. hoc declararunt, ac tandem Concil: Trident: Sess: 23. Cap: 10. Abbatibus injunxit, ne in posterum iis, qui ipsis subjecti non sunt, audeant tonsuram, vel minores Ordines conferre, sed tantummodo sibi subditis. Preterea olim à Chorepiscopis omnibus, quorum plurimi Episcopi non erant, Ordines minores conferebantur, multi quoque Auctores classici, Morinus, Hallerius, Navarrus, & alii probant, Abbatibus Benedictinis, Cisterciensibus, & aliis à Romanis Pontificibus concessam fuisse facultatem, etiam Subdiaconatum conferendi. Et vero, Subdiaconatus, ac Ordines minores, Sacramentum non sunt, & nonnisi ab Ecclesia instituta sunt. Ex concessione ergo Ecclesiæ etiam à simplici Præsbytero conferri possunt. Diaconatum vero à simplici Præsbytero collatum fuisse, per 12. sæcula nullum reperitur vestigium, imo ipsi Chorepiscopi, etsi nonnumquam necessitas urgeret, nusquam sibi arrogarunt potestatem Diaconos ordinandi, quare vulgatum Privilegium Innocentii 8. quo Abbatibus Cisterciensibus

datur facultas etiam Diaconos ordinandi, vel est ſuppoſititium, vel exorbitans. Cum autem Diaconatus, à simplici Præsbytero conferri nequeat, magis ipse Præsbyteratus à simplici Sacerdote dari nullatenus potest, alias nullum eſset discrimen inter Episcopos & simplices Sacerdotes, quod S. Hieronymus, & post ipsum omnes in eo reponunt, quod ſoli Episcopi ſacras ordinationes conferre poſsint, non autem simplices Sacerdotes: quare cum aliquando Chorepiscopi, qui Episcopali charactere non erant condecorati, ausi fuiſsent Præsbyteros ordinare, illorum ordinationes tamquam irritæ declaratæ ſunt, & iterari juſsæ.

Quæres 7mo: Utrum Episcopi Hæretici, Schismatici, Excommunicati, intrusi, valide conferant Sacros Ordines?

Resp: Donatistæ veluti invalidam ordinationem habuerunt Cæciliani Episcopi Carthaginensis, ex eo quod facta eſset à Felice Aptungitano Episcopo, quem traditorem vocabant, insimulantes ipsum tempore perſecutionis ſacras Codices Paganis tradidiſse, quocirca illi omnium primi, ordinationes ab Hæreticis factas, nullas eſse dixerunt. Petrus Damiani memorat extitiſse ſua ætate quosdam Monachos, qui censebant, Sacramenta nulla eſse ab iis collata, qui labe Simoniaca polluti erant. S. Bernardus etiam de Hæreticis, qui Apostolicos ſe ambitiose nominabant, refert, illos eundem errorem propugnaſse. Nec dubium est, in eodem luto hæsiſse Wicleffum, & Joannem Hus, quos Synodus Œcumenica Constantiensis propterea anathemate confixit.

Sed singularis est opinio Joannis Morini celeberrimi Scriptoris, qui censet Ecclesiam quemadmodum Matrimonio certas apposniſse conditiones, ac impedimenta dirimentia, propter quæ invalidum redditur Matrimonii Sacramentum, ita etiam potuiſse apponere, & reipsa apposuiſse ſacris Ordinationibus certas quasdam conditiones, quarum defectu irritæ sint Ordinationes; unde concludit, Ordinationes ab Episcopis Hæreticis, Schismaticis, depositis, intrusis, excommunicatis collatas, nullas, & irritas eſse, quia non ſecundum præscriptas ab Ecclesia conditiones, & statutas leges, collatæ fuerunt, verum his ſepositis pro certo tenendum est, collatas ordinationes ab Episcopis Hæreticis, Schismaticis, Simoniacis, ratas, & validas eſse.

Probatur 1mo: Potestas ordinis, quæ est effectus characteris ſemel per Sacramentum recepti, perpetuo manet, planeque inamiſsibilis est. Sic potestas conficiendæ Eucharistiæ in Sacerdote nunquam amitti potest in quodcunque

que crimen ille prolabatur. Porro potestas conferendi ſacros Ordines, Episcopis competit vi Ordinis, & characteris, nullo ergo crimine, sicut deleri character, ita Ordo, & potestas ipsi annexa amitti potest. 2do: idem evincitur authoritate SS. Patrum & Conciliorum. S. Augustinus libro 2. contra Epist: Parmeniani. Cap: 13. de Sacramentis Baptismi, & Ordinis ſcribens ait: *In Catholica Ecclesia utrumque non licet iterari*: & in libro de bono conjugali cap: 24. loquens de ſcelestis Clericis, & à gradu ſuo dejectis, ait: *Manet tamen in illis Ordinatis Sacramentum ordinationis.* Unde constans & perpetuus omnium fuit ſensus, quemadmodum Baptismum, ita quoque Ordinem iterari non poſse, sic statuit Concilium Carthaginense anno 256. celebratum. *Non liceat fieri rebaptisationes, & reordinationes, quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum*: quare & Theodoretus Histor: religiosæ Cap: 13. inquit: *Fieri non potest, ut bis fiat eadem manuum impositio.* Hinc etiam Concilium Tridentinum declaravit Seſs: 7. Can: 9. in Sacramentis Baptismi, Ordinis, & Confirmationis, imprimi characterem, unde illa iterari nequeunt. Seſsione vero 23. Can: 4. pronuntiavit. *Si quis dixerit, per ſacram ordinationem non imprimi characterem, vel eum qui Sacerdos ſemel fuit, Laicum rursus fieri poſse; anathema sit.* Quoniam igitur character Episcopalis, quemadmodum & Sacerdotalis indelebilis est, & ex eo profluens potestas inamiſsibilis, sicuti Sacerdos, quocunque tandem crimine infectus sit, valide Eucharistiam consecrat, sic & Episcopus quisquis ille fuerit, valide ordinat.

Proposita veritas magis adhuc ex Ecclesiastica historia confirmatur. Synodus Nicæna I. Can: 8. Novatianis Episcopis non ſolum Schismaticis, ſed & Hæreticis, si ejurato errore ad Ecclesiam veniant, ſuos gradus absque nova ordinatione ſervari mandat. Pariter S. Athanasius in Synodo anno 362. habita, ſanciri voluit, ut Episcopi Ariani, si eos pæniteat, absque nova ordinatione recipiantur. Ecclesia quoque Affricana Donatistas Schismaticos, ad Catholicam Ecclesiam venientes, cum ſuis gradibus recipiebat, qua de re extat Canon 68. in Synodo Affricana editus, tenoris ſequentis. *Placuit, ut litteræ mittantur, ad Fratres, & Coepiscopos nostros, quo noverint, habere Africam magnam neceſsitatem propter Ecclesiæ pacem & utilitatem, ut qui ex ipsis Donatistis Clerici ad Catholicam unitatem transire voluerint, in ſuis honoribus ſuscipian-*

piantur: Sed etiam ordinatos à Simoniacis Episcopis in suis gradibus reliquerunt Romani Pontifices Gelasius I. Hormisdas, Gregorius Magnus, Clemens II. apud Petrum Damiani opusculo 6. Cap: 35. ita decernit: *Ut quicunque à Simoniaco consecratus esset, in ipso ordinationis suæ tempore non ignorans simoniacum, cui se obtulerat promovendum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti ordinis officio ministraret.* Tandem S. Leo Magnus probavit Ordinationes Anatolii Patriarchæ Constantinopolitani, qui ejecto per summum scelus S. Flaviano, in sedem Constantinopolitanam intrusus fuerat. Item ab Ecclesia Romana ut validæ probatæ sunt Ordinationes Petri Moggi Alexandrinæ Sedis invasoris, licet contra Ecclesiasticas sanctiones ab uno tantum Episcopo manuum impositionem acceperat, ut constat ex Metrophanæ. Joannes quoque 8. Romanus Pontifex Photii ordinationem ratam habuit, quamvis ille ejecto S. Ignatio in Sedem Constantinopolitanam intrusus, ab uno solum degradato Episcopo Gregorio Syracusano ordinationem acceperat. Cum itaque Ecclesia semper Ordinationes ab Episcopis Hæreticis, Schismaticis, Simoniacis, Intrusis, factas, ratas habuerit, ab iis ordinatos in suis gradibus sæpissime propter bonum pacis, & multam Religionis utilitatem reliqverit, ordinationes illorum nunquam iteraverit, & iterare prohibuerit: validæ igitur sunt. Hujus autem ratio fundamentalis hæc est: quia fide certum est, neque fidem, neque probitatem in Ministro requiri, ut ipse valide conficiat Sacramenta, ac proinde fide certum est, ab Hæreticis, Schismaticis, & quibuslibet scelestissimis etiam Ministris, rite confecta Sacramenta, valida esse.

Obijcies 1mo: Concilium Nicænum I. Can: 8. statuit ut venientes ad Catholicam unitatem Novatiani *Clerici manuum impositione donati, sic maneant in Clero*: per quam manuum impositionem aliud intelligi nequit, nisi nova ordinatio. Eadem quoque Synodus, ordinationes à Meletio factas rescidit, ipsi quidem nomen & dignitatem Episcopi reliquit, sed usum abstulit, de ordinatis vero ab ipso sic statuit, *qui ab ipso constituti sunt, sanctiore ordinatione confirmati, ad communionem admittantur, ea lege ut honorem quidem ac ministerium suum retineant, secundo tamen semper loco sint ab iis omnibus, qui in unaquaque Parœcia, & Ecclesia versantur.* Pariter Innocentius I. Epist: 18. ad Alexandrum Episcopum ait: *Arianos, cæterosque ejusmodi pestes, quia eorum Laicos conversos ad Dominum, sub ima-*

imagine pœnitentiæ ſuscipimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotii, aut ministerii cujuspiam ſuscipere dignitate, quoniam iis ſolum baptismum ratum eſse permittimus. In Arianis ergo ordinatis Clericis, ſolum Baptisma Innocentius ratum eſse agnoscit, Ordinationem proinde illorum irritam habuit. *2do*: multæ Ordinationes, ab Intrusis, aut Simoniacis Episcopis factæ, irritæ ac invalidæ declaratæ ſunt. Sic Urbanus 8. à Gviberto Ravennatensi qui ſedem Romanam usurpaverat, Innocentius 2. à Petro Leonis Antipapa, Alexander 3. ab Octaviano pariter Antipapa, factas Ordinationes, in Conciliis Placentino, Lateranensi 2. & 3. resciderunt. Idem statutum & decretum fuit de Ordinationibus ab Antipapa Constantino. Urbanus 2. Daibertum quemdam à Nezelone Simoniaco Diaconum Ordinatum, rursus consecravit. Concilium Svesionense Ordinationes factas ab Ebbone Episcopo Remensi irritas declaravit. Pari modo Stephanus 6. & Sergius 3. Romani Pontifices, Formosi Papæ Ordinationes irritas fecerunt, & ab eo Ordinatos, iterum rursus Ordinarunt. Ultimo cum Photius Patriarchatum Constantinopolitanum, ejecto S. Ignatio invaserat, Concilium generale 7. Nicænum 2. ab Episcopatu eum expulit, *in quem* (ut in decreto dicitur) *veluti quidam Lupus in Christi ovile insiliit, qui mille tumultibus, & perturbationibus orbem terræ replevit, justo decreto damnamus, promulgantes, nunquam fuiſse prius, aut nunc eſse Episcopum, nec eos, qui in aliquo Sacerdotali gradu ab eo consecrati, vel promoti ſunt, manere in eo, ad quod provecti ſunt. 3tio*: Potest Ecclesia quædam Matrimonii constituere impedimenta, ob quæ irritum redditur Sacramentum. Ergo potest quoque ad validitatem Ordinationum certas quasdam apponere conditiones, ne vg. fiant ab Hæreticis, Schismaticis, Simoniacis, his itaque haud ſervatis conditionibus, Ordinationes irritæ ac nullæ ſunt.

Resp: ad 1mum: Canon Concilii Nicæni de illa manuum impositione loquitur, quam Clerici Novatiani in ſua hæresi, & ſchismatæ receperunt, qua jam donati fuerunt antequam ad unitatem Catholicam reverterentur. Hanc itaque Concilium ratam, ac validam eſse decernit, licet ab Episcopis Hæreticis, ac Schismaticis collata fuerit, eosque in ſusceptis per illam gradibus, ac Ordinibus permanere jubet, quia *sic* hoc est, *ita ut ſunt* in Clero illos manere præcipit. Atque ita prædictum Canonem veteres intellexerunt. Patres Concilii Carthaginensis ita eum vertunt,

&

& adoptant. *Placuit eos Ordinatos sic manere in Clero*, & antiqua Canonum Synopsis apud Justellum ita hunc Canonem ponit: *Si qui Ordinati reperiantur, sint in eodem Ordine* Probarunt ergo Nicæni Patres Ordinationes â Novatianis Episcopis factas, neque ab illis ad Catholicam unitatem venientibus Clericis, novam Ordinationem usquam indixerant.

Neque etiam Nicæna Synodus Ordinationes à Meletio factas irritas esse declaravit, siquidem ab eo Ordinatos, & constitutos Præsbyteros, honorem & ministerium suum retinere jubet, quamvis nonnisi eos secundo loco ponit, & inferius collocat iis qui à Catholicis Episcopis Ordinati sunt, quare sanctior illa Ordinatio quam ipsis conferri disponit, non est iterata Ordinatio, sed simplex quædam benedictio, ut Officia, quæ in Schismate exercuerant, in Catholica unitate rite administrarent.

Jam vero Innocentius I. in Arianis Clericis ad Ecclesiam Catholicam conversis solum baptisma ratum agnovit, scilicet quo ad jura per baptismum acquisita, quia Laicis illos annumerando, communionem Laicam illis tantum reliquit, Ordinationem vero quam in hæresi receperant, non quidem quoad substantiam & characterem, sed quoad jura, ac prævilegia ipsam consequentia, ratam non agnovit quia illos Sacerdotio, & ministerio quopiam fungi noluit. Licet si enim Ecclesia Orientalis, Affricana, sed & nonnullæ in Occidente, Hæreticos, ac Schismaticos ad Ecclesiam Catholicam conversos, in suis gradibus quos per collatas sibi Ordinationes receperant, relinquebant, Ecclesia tamen Romana juxta severitatem pristinæ disciplinæ, nonnunquam tales omnibus honoribus, juribusque Ordinum privabat. Et hoc unicum intendebat Innocentius, unde in ipso fronte suæ scriptionis pro titulo posuit: *Quod Arianorum Clerici non sunt suscipiendi in suis officiis*. Attamen ipsa Synodus Nicæna I. ut scribit S. Hieronymus in suis Dialogis contra Luciferianos, quæ propter Arianam perfidiam congregata fuit, Episcopos Arianos in suis gradibus recepit, quod & Synodus Alexandrina sub S. Athanasio celabrata, fieri mandavit, atque illius decreto universus orbis se conformavit. Et S. Basylius Epistola I. ad Amphilochium tradit, Zoin, & Saturninum Episcopos Encratitas, cum ad Ecclesiam venissent, in gradu suo conservatos fuisse.

Ad 2dum: Ordinationes pseudo Pontificum fuisse declaratas nullas, non quo ad characterem, & potestatem Ordinis

dinis, sed quantum ad usum & exercitium Ordinis, honorem absque privilegio Ordinibus annexo. Daibertum ab Urbano 2. rursus Ordinatum fuisse fictitium esse multi censent. Incertum quoque est Nezelonem, qui Moguntinam Sedem invaserat, fuisse Episcopum. Nihil ergo ex hoc facto concludi potest. Illi etiam qui ab Ebbone Episcopo deposito Ordinati sunt, suspensi quidem fuerunt ab exercitio suorum Ordinum, Ecclesiasticis gradibus per Svesionense Concilium privati, sed eorum Ordinationes irritæ non erant, quare Nicolaus I. Epistola sua 8. Idus xbris anno 866. scripta, mandavit, ut qui ab Ebbone Ordinati sunt, & postea etiam depositi fuerunt, suis gradibus restituerentur, hoc & factum est. Quod attinet Stephanum 6. & Sergium 3. qui Ordinatos à Formoso Papa iterum Ordinarunt, Nunquam à malis exemplum sumendum est, & factum impium pro argumento servire nequit. Porro Stephanus 6. & Sergius 3. hominum scelestissimi erant, non est ergo mirum, quod hoc execrabile scelus attentarunt. De Ordinatione quoque Photii & ab eo Ordinatis, semper omnes tum in Ecclesia Græca, tum in Latina existimarunt illas validas, sed illicitas fuisse. Photium & ab ipso Ordinatos honore, gradu, privilegiis solum à Concilio 6to generali privatos fuisse, sed à Joanne 8. consentientibus Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano, restitutos.

Ad 3tium: Dispar est ratio. Potestas siquidem Ordinandi est essentialiter, & inseparabiliter conjuncta cum Episcopali charactere, quemadmodum potestas consecrandi Eucharistiam, est connexa cum charactere Ordinis Sacerdotalis. Et quemadmodum Sacerdos licet hæreticus, Schismaticus, valide tamen Corpus Christi conficit, ita quoque Episcopus qualiscunque ille sit, valide Ordinat. At Matrimonium ut ratum habeatur, necessario debet esse contractus validus. Hic autem Ecclesiasticæ potestati subijcitur: Potest ergo Ecclesia certas quasdam exigere conditiones, quæ si desint: contractus Matrimonialis nullus sit, et eo ipso irritum Matrimonii Sacramentum.

Quæres 8vo: Qui possunt Ordinari?

Resp: Vetustissimus fuit error, quem prioribus Ecclesiæ Sæculis tutabantur multi Hæretici, quod nempe mulieres æque, ac viri ad sacra Altaris obeunda munia, rite assumi possunt, unde sacram Ordinationem Mulieribus conferre ausi sunt & tales erant Marcossiani. Montanistæ ac tandem Collyridiani. Contra istiusmodi Hæreticos scripserunt.

ſerunt, illorumque errorem impugnarunt S. Irenæus, Ter-tullianus. SS. Epiphanius & Augustinus. Est inter Theo-logos controverſia de Infantibus, de invitis, & reluctanti-bus, utrum iis Ordines Ecclesiastici conferri poſsint. Itaque

1mo. Solus homo, isque baptisatus, Ordines ſacros & Ecclesiasticos, ſuscipere potest, quia ſolis hominibus pote-stas Ordinum à Christo tradita est, ſolis siquidem homi-nibus dictum est Lucæ Cap: 22. *Hoc facite in meam com-memorationem.* Joan: Cap: 20. *Quorum remiseritis pecca-ta, remittuntur eis.* Math: Cap: 28. *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos:* quare Apostolus Epist: ad Hebr: Cap: 5. ait: *Omnis Pontifex ex hominibus aſsumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offe-rat dona & ſacrificia pro peccatis.* Solus ergo homo ad ſacros Ordines promoveri potest, & is preterea imprimis baptisatus eſse debet. Quod edocemur ex ratione quam Eugenius 4. affert in Decreto ſuo pro Armenis edito, ubi sic ait: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet ſan-ctum baptisma, quod vitæ ſpiritualis janua est, per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ.* Por-ro si janua est baptismum & primum omnium Sacramen-torum, alia sine ipso ſuscipi nequeunt, & nihil proderunt. Et quia nonnisi per Baptisma, Ecclesiæ inseri quis potest, certe nonnisi Baptismo ſuscepto inter nobiliora Ecclesiæ membra, quales ſunt Clerici, adscribi potest. Idem con-stat ex Epist: Innocentii 6. ad Episcopum Ferrariensem quæ inserta est Juri Canonico in 3. Decret: titulo 43. *Venienti de Præsbytero non Baptisato:* ubi sic ait: *In Concilio apud Compendium legitur constitutum, quod si quis in Præsby-teratu Ordinatus depræhenderit ſe non eſse Baptisatus, Baptisetur, & iterum Ordinetur,* quia ſcilicet non Bapti-sato collata Ordinatio nulla erat. Ideo quoque Concilium Nicænum Can: 19. Pauli Samosateni Sectatores, qui Bap-tismi formam corruperant, ad Ecclesiam Catholicam re-deuntes, si Clerici erant, per novum Baptisma recipien-dos, & iterum Ordinandos eſse statuit, & cum Petrus Fullo Patriarcha Antiochenus, Eutychiana labe fædatus, quemdam Xanaiam nondum ſacro Baptismate ablutum E-piscopum consecraſset, ipsius Ordinatio ab omnibus tam-quam irrita habita est.

2do: Verisimile est, Ordinationem quæ Infantibus ante usum rationis daretur, non ſolum illicitam, ſed etiam invalidam eſse. Quia ad quodlibet ſuscipiendum Sacra-mentum requiritur propria ſuscipientis voluntas, atque inten-

intentio, si fuerit adultus, aut ſaltem voluntas ac intentio Eccleſiæ si sit parvulus rationis uſu carens. Porro si infantulus Ordinetur, nec ille habet propriæ voluntatis intentionem ſuscipiendi Ordinem, quia rationis uſu caret, neque ipsius intentionem ſupplet Ecclesia: nullibi siquidem ab Ecclesia decisum est, poſse infantulos Ordinari, quemadmodum decisum ab illa fuit, infantes poſse & debere Baptiſari, qui proinde ex publica Eccleſiæ fide & intentione Baptisantur. Valide itaque infantes adhuc rationis uſum non consecuti Ordinem ſuscipere nequeunt. Verumtamen nonnulla ſuppetunt in antiquitate monumenta ex quibus constat olim infantulos etiam, & puerulos ordinatos fuiſse. Sic S. Felix Nolanus, ut ſcribit Paulinus *Et primis Lector ſervivit in annis.* Victor Vitensis libro 5. Cap: 9. ſcribit, in Vandalica persecutione in exilium pulsos fuiſse multos, *inter quos quamplurimi erant Lectores infantuli.* Cyrillus Scytopolitanus in vita Abbatis Euthymii narrat, ipsum Baptisatum fuiſse, Clericum factum, Lectoremque Ordinatum, cum nonnisi triennis eſset. Ex Concilio etiam Toletano 2. patet hanc fuiſse illius ævi consvetudinem, quod Parentes infantulos ſuos muneri Clericorum manciparent, quod etiam constat ex Concilio Carthagnensi 3. nec non ex Epistolis Syricii, & Zozymi Romanorum Pontificum, ſed & de Eugenio I. qui anno 652. Romanus Pontifex creatus est, liber Romanorum Pontificum ſcribit, quod Clericus fuerit ab incunabulis. Quare SS. Thomas, & Bonaventura & cum ipsis non ignobiles Theologi putant, infantibus etiam poſse ſacros Ordines conferri, hancque adducunt rationem, quod ut Sacramenta quæ imprimunt characterem ab infantibus valide recipiantur, nullum in iis positivum requirunt actum, ideoque valide Baptisantur, ratumque est illis collatum Confirmationis Sacramentum. Cum itaque & Sacramentum Ordinis pariter characterem imprimat, & ipsum Infantulis valide conferri potest.

3tio: Invitis autem, & prorsus reluctantibus valide Ordines conferri nequeunt. Et id videtur decisum eſse ab Innocentio 3. Capite *Maiores*: ubi reijcitur illorum opinio, *qui docuerunt quod Sacramenta, quæ per ſe ſortiuntur effectum, ut Baptismus, & Ordo ceteraque similia, non ſolum dormientibus, & amentibus, ſed invitis & contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur*, qua nimirum opinione rejecta, statuitur, quod *ille, qui nunquam consentit, ſed penitus*

con-

contradixit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti. Et quamquam nonnulli Sancti inviti ad Sacros Ordines rapti fuisse scribantur, hi tamen non simpliciter & absolute inviti fuerunt, sed ex modestia, humilitate, ac reverentia sacri Ministerii, propriæ infirmitatis conscii, Ordinationem refugiebant, cui tandem ex obedientia sese subijciebant, ita S. Augustinus Epist: 173. ad Donatum. *Multi ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patienturque quæ nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni.* Noverant enim illi æqualis periculi esse munus Sacerdotale, sive Episcopale ambire, usurpare, Deo non vocante, ac illud Deo invitante, pertinaciter detrectare.

Quæres 9no: Quid ergo de Mulieribus sentiendum est, possuntne ipsis sacri Ordines conferri?

Resp: Mulieres, sacræ Ordinationis prorsus incapaces sunt. Et id constat ex consensu universæ Ecclesiæ, quæ Marcosianos, Montanistas, Collyridianos semper execrata est, tamquam hæreticos, quod fæminas Ordinarent. Sed neque in statu legis naturæ, neque in statu legis Moysaicæ, ulla unquam fæmina sacris Altaribus admota fuit, magis id quoque dedecet statum legis Evangelicæ, longæ perfectiorem. Merito itaque S. Epiphanius hæresi 76. sic inquit. *Ex quo mundus creatus est, apud veræ Religionis cultores, nulla unquam mulier Sacerdotio functa est.* Certe habuit omni sæculo Religio Christiana Mulieres insigni sanctitate præditas, nec unquam tamen cogitatum est, de sacris Ordinibus alicui conferendis. Et si quæ mulier amplissimam Sacerdotii dignitatem promerita fuisset, ea procul dubio extitisset B. Virgo Maria, qua nec fuit, nec futura erit unquam sanctior, aut nobilior creatura, & ipsa tamen nec à Christo, nec ab Apostolis sacerdotio donata fuit.

Et vero Apostolus Paulus, Mulieres expresse excludit, & amovet à ministeriis sacris. Namque Epist: I. ad Timoth: Cap: 2. præcipit Mulieribus ut in silentio discant cum omni subjectione, nec ipsis permittit ut dominentur in virum, aut doceant: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, sed esse in silentio* & I. ad Corinth: Cap: 14. ait: *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Si ergo Apostolus mulieres lo-

quæ

qui etiam in Ecclesia prohibuit, quanto magis à ſacrificijs, aliisque miniſteriis in Ecclesia peragendis eas prohibuit. Si viros docere non poterant, ſed iis ſemper ſubjectæ, privatim nonniſi domi ipsos interrogare poterant, magis Sacerdotio in Ecclesiis fungi nequibant.

Obijcies 1mo: Sæpius in Conciliis & SS. Patribus occurrunt nomina: *Episcopæ & Præsbyteræ*, Diaconiſſarum quoque frequentiſſimus fuit in Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali uſus, easque Ordinari conſveviſſe, SS. Patres & multa Concilia testantur. *2do*: in veteri, & in novo Testamento Deus mulieribus contulit ſpiritum prophetiæ. Multo magis poterit Ecclesia illis conferre Sacerdotium. Certe Paulus Epist' ad Galatas Cap: I. inquit. *Quicunque Baptisati estis in Christo, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus, non ſervus, neque liber, non est masculus, neque fœmina.* Ergo juxta Apostolum, tum mas, tum fæmina, post receptum Baptisma, ad ſacros Ordines æquale jus habent.

Resp: ad 1mum: Episcopas, & Presbyteras nihil aliud fuiſse quam uxores illorum, qui ad Episcopatum, vel Presbyteratum aſſumpti erant, & quæ ſese à maritis ſejungebant, emiſſo castitatis voto. Sic in Concilio Turonensi 2. anno 567. habito Can: 13. dicitur. *Episcopum Episcopam non habentem, nulla ſequatur turba mulierum* & in Concilio Antisiodorensi Can: 21. statuitur: *Non licet Presbytero post acceptam Benedictionem, in uno lecto cum Præsbytera ſua dormire.*

Quod vero attinet Diaconiſſas, illæ non aſſummebantur per veram, ac ſacramentalem Ordinationem, ſed per ceremonialem nonniſi benedictionem, ad inſerviendum mulieribus, quæ per immerſionem, ſecundum antiquum morem, Baptisabantur, deputabantur. Et id constat ex Constit: Apost: libro 3. Cap: 15. ubi sic dicitur: *Elige Diaconiſſam fidelem & ſanctam ad mulierum ministeria. Diaconiſſa ſiquidem fœmina ad multos indigemus usus, ac inprimis quidem, cum Baptisantur mulieres.* Hoc quoque confirmatur insigni testimonio S. Epiphanii hæresi 79. ubi sic ait: *Diaconiſſarum quidem Ordo est in Ecclesia, ſed non ut Sacerdotio fungantur, aut tale quidpiam agere permittantur, verum reverentiæ mulieris gratia, aut propter tempus Baptismi, & quando nudatum fuerit corpus mulieris, ut ne à viris ſacrum facientibus âſpiciatur, ſed à ministrante muliere.* Cum itaque Diaconiſſæ, non ad aliqua ſacra ministeria aſſumerentur, ſed ad ſola Baptisandarum

darum mulierum obsequia deputabantur, non veram illam & Sacramentalem ordinationem, ſed nonniſi cæremonialem benedictionem accipiebant.

Ad 2dum: Deus dona ſua distribuit pro liberrima ſua voluntate, Sacramenta certis perſonis destinavit, his & non aliis illa conferri, & miniſtrari poſſunt. Et id nos edocet perpetua Eccleſiæ praxis. Scopus autem Apoſtoli est, oſtendere in iis quæ ad ſalutem ſpectant, apud Deum nullam eſſe diſtinctionem nationis, ſexus, & conditionis, ſed omnes velut filios ab ipſo reputari. Unde ibidem ſubdit: *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*, inde vero nemo colligere poteſt, viros & mulieres æquale jus ad ſacra miniſteria habere.

Quæres 20mo: Qui ſunt effectus Sacramenti Ordinis?

Reſp: Tres præcipui ſunt Sacramenti Ordinis effectus 1: qui ſacro Ordine decoratur, poteſtatem recipit ſacra munia exercendi, quæ Ordini ſuo annexa ſunt, & quæ alii prædicto Ordine non inſigniti, exercere non valent. 2. confert gratiam ſanctificantem, cum ſpeciali jure ad actuales gratias, & auxilia neceſſaria, & proportionata iis officiis ac miniſteriis, quæ cuilibet Ordini ſunt annexa. Et id etiam evincitur ex Eccleſiæ precibus. Namque in Græcorum Euchologio, exorat Pontifex, ut qui ad Presbyteri gradum evehitur, dono Spiritus Sancti repleatur, ut inculpate ſancto Altari aſsiſtendo, dignus fiat ſanctum Evangelium annuntiare, & hoſtias ſpirituales offerre. His vero ſimilia, & omnino conſona, in Romano Pontificali reperiuntur. Unde S. Gregorius Niſſenus Orat: in Chriſti Baptiſmum, hominem ſacro Ordine initiatum dicit *invisibili quadam vi, ac gratia, invisibilem animam melius transformatam gerere*. 3. tandem imprimit characterem, indelebilem ſcilicet notam, qua ordinatus à ceteris fidelibus ſecernitur, & diſtingvitur. Atque hæc à Concilio Trident: Seſs: 23. Can: 4. expreſſe definita, atque declarata ſunt his verbis: *Si quis dixerit, per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: Accipe Spiritum ſanctum, aut per eam non imprimi characterem, vel eum qui ſemel Sacerdos fuit, laicum rurſus fieri poſſe, anathema ſit.* Atque exinde neceſſario conſequitur Sacramentum Ordinis ſemel rite collatum iterari non poſſe. Certe idem Concilium Seſs: 6. Can: 9. poſtquam definierat, in tribus Sacramentis Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine imprimi indelebilem characterem, inde deducit, ea iterari non

poſſe

posse, quare in Canonibus qui Apostolici dicuntur legimus Can: 68. *Si quis Episcopus, vel Præsbyter, Diaconus, secundam ordinationem ab alio perceperit, deponatur, & ipse, qui ordinavit:* & Auctor libri de Christi operibus cardinalibus sic ait: *Nemo sacros ordines semel datos iterum renovat, quia contumelia esset spiritui sancto, si evacuari posset, quod ille sanctificat.* At nemo melius hanc doctrinam Catholicam defendit, munivit, atque illustravit, quam magnus Augustinus libro 2. contra Epist: Parmen: Cap: 13. ubi tandem de Baptismo & Ordine instituens sermonem, ait: *Utrumque Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptisatur, istud cum ordinatur, ideoque in Catholica Ecclesia utrumque non licet iterari.*

At inquies. Quid ergo dicendum est ad tot exempla, quæ in Historia Ecclesiastica occurrunt, factarum reordinationum, cum priores irritæ, ac nullæ declaratæ fuerint.

Resp: Illæ reordinationes non erant quo ad substantiam veræ Sacrorum Ordinum iteratæ collationes, quamvis priores Ordinationes dicantur irritæ, cassæ, nullasque habere vires, atque sic ordinatos nihil habere, nihil accipere. Isthæc enim omnia intelligi debent de sola executione functionum susceptorum Ordinum, á quibus, contra Ecclesiasticas inhibitiones ordinati, suspendebantur. Certe potestas de se ordinata ad sacras functiones obeundas, quando ligata, & impedita est, ne executioni mandetur, nulla & cassa esse censetur, & dum iterum solvitur, executioni mandari permittitur, q si de novo conferri reputatur, unde etiam cum alicui suspenso, libera functionum suscepti Ordinis executio restituebatur, iidem ferme exteriores usurpabantur ritus, qui in ipsa Ordinatione adhibiti sunt, & hi quia imaginem Ordinationis adumbrabant, quasi reordinationes visæ sunt, cum tamen nonnisi exterior quædam cæremonia fuerint, ab Ecclesia præscripta, & usurpata. Sic etiam ab hæresi ad Ecclesiam catholicam redeuntes, per manuum impositionem, & chrismatis unctionem recipiebantur, quæ Confirmationis Sacramentum adumbrabant, non erant tamen iterata Confirmationis collatio, sed pura Ecclesiastica cæremonia.

ARTI-

ARTICULUS 2dus

De variis Ordinis Speciebus.

Quæres 1mo. Quot, & quotuplices sunt Ordines?

Resp: Septem in Ecclesia Catholica numerantur Ordines, videlicet: Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum. Episcopatus quia culmen est omnium Ordinum, atque ab Episcopo recensiti Ordines recipiuntur, ideo inter septem Ordines non numeratur, utpote omnium nobilior, ac præstantior, ideo & Concilium Trident: Sess: 23. Cap: 4. declaravit: *Præter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad Hierarchicum ordinem præcipue pertinere*, verus tamen Ordo est, unde si ei septem illi adjungantur efficitur, octo esse in Ecclesia Ordines. Hi autem Ordines dividuntur, in sacros, & non sacros, majores, & minores. Porro etsi omnes Ordines sacri sint, atque ita antiquitus apud Græcos & apud Latinos nuncupati sunt, peculiari tamen modo, sacri ac majores Ordines vocantur: Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus. Ab aliquot etiam Sæculis, majoribus, ac sacris Ordinibus Subdiaconatus adnumeratur. Minores vero & non sacri Ordines sunt, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum.

Quæres 2do. Utrum istiusmodi Ordines antiquæ sint traditionis?

Resp: Cum numerum Ordinum in Ecclesia receptum Lutherus, & Calvinus coarguere ceperant, eos Concilium Tridentinum Sess: 23. Can: 2. sic perstrinxit: *Si quis dixerit, præter Sacerdotium, non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit*, & Cap: 2. ejusdem sessionis, rem sic perspicue declarat: *Cum Divina res sit, tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione. plures, & diversi essent Ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut quisquam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ litteræ apertam mentionem faciunt,*

ciunt, & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent, & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atqué uniuscujusqué eorum propria ministeria, Subdiaconi, scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur. Judicio itaqué Concilii Tridentini septem Ordines in Ecclesia recepti, primævæ sunt traditionis, quod etiam inde constat, quia Cornelius Romanus Pontifex anno 257 electus, in Epistola ad Fabium Antiochenum Episcopum, testatur suo tempore Romæ fuisse Presbyteros 44. Diaconos septem, totidemqué Subdiaconos, Acolythos 42. Exorcistas, & Lectores, cum Ostiariis 52. Pariter eos omnes Ordines recenset Concilium Carthaginense 4. anno 399. celebratum, & S. Ignatius Martyr, qui anno 107. obiit in Epistola sua ad Antiochenses, plures refert Ordines, atqué Sacramentarium S. Gregorii Magni illos enumerat. Verum apud Græcos, & Orientales aliter se res habent. Episcopatum scilicet, Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, & Lectoratum alios autem tres, Acolythorum, Exorcistarum, & Ostiariorum ad Lectoris munus reducunt, et in ipsius ordinatione includunt.

Obiicies. S. Hieronymus, Optatus Milevitanus & alii: tres tantum describunt Ordines, Episcoporum, Presbyterorum, Ministrorum, seu Diaconorum. Multi autem antiquissimi auctores, Ordines etiam Cantorum, & Fossariorum statuunt, quibus cura erat canendi in Ecclesia, & mortuos sepeliendi. Tandem Innocentius 3. in Epistola ad Archiepiscopum Rothomagensem, per primam tonsuram Ordinem Clericalem conferri dicit. Tandem Episcopatus merito Ordo à ceteris distinctus esse putatur, quare Cornelius ac Gregorius Magnus Romani Pontifices, atque Concilium Carthaginense 4. in locis supra adductis, Episcopatum tamquam Ordinem à cæteris distinctum ponunt. Non ergo septem, quemadmodum Concilium Tridentinum statuerat, sed vel plures, vel pauciores Ordines sunt.

Resp. S. Hieronymus, Optatus, & alii Auctores, septenarium Ordinum numerum non imminuunt, quia dum Episcoporum, Presbyterorum, ac Ministrorum ordines recensent, per Ministros non Diaconos tantum, sed & ceteros Ministros designant, quod & inde evincitur, quod pleriqué illorum auctorum, præter Episcopatum, Presbyteratum, ac Diaconatum, ceterorum etiam Ministrorum nomina recensuerunt. Cantores autem & Fossarii non con-

sti-

stituebant aliquos distinctos Ordines, nequé enim in antiquis Ritualibus libris pro ipsis singulares ordinationis leguntur formæ, quemadmodum pro aliis præscribuntur, ſed ſunt denominationes Officiorum, qui Clericis imponebantur, & quidem Foſsariorum munus, in pænam illis Clericis injungebatur, qui publicæ Pænitentiæ erant ſubjecti, ut patet ex Concilio Carthaginensi 4. Prima quoqué tonsura non est Ordo, ſed prævia ad Ordines dispositio. Quia tamen tonsurati annumerantur Clericis, & per ordinem generaliter & late acceptus, status Clericorum intelligitur, ideo Innocentius affirmat: per tonsuram dari Ordinem, non quidem aliquem particularem ac ſpecialem, ſed generalem, qui omnibus Clericis communis est, certumqué designat statum, quo Clerici non inter ſe, ſed ipsi à Laicis ſecernuntur. Neque dubium, Episcopatum eſse Ordinem & quidem omnibus excellentiorem, ac præstantiorem, & merito à Patribus, & Conciliis inter Ordines primo loco ponitur; Concilium autem Tridentinum cum voluerit nonnisi errorem Lutheranorum ac Calvinistarum perstringere, qui ſeptennarium ordinum numerum in Ecclesia usitatum, injuria decurtabant, ſeptenarium illorum numerum definivit, an vero plures eſsent, utrum Episcopatus Ordo eſset à Presbyteratu distinctus, intactum reliquit, quare qui plures quam ſeptem eſse in Ecclesia Ordines propugnant, nullum Concilio Tridentino præjudicium afferunt.

Quæres 3tio. Utrum Episcopatus sit Ordo, & verum Sacramentum, natura, & charactere à Presbyteratu distinctum?

Resp: Sunt Theologi qui putant, Episcopatum eſse nonnisi Sacerdotalis characteris perfectionem, complementum, & ad altiora officia extensionem, quare cenſent ipsi, Episcopatum non eſse ordinem à Presbyteratu distinctum. Sed verior, fundatior, & communior ſententia est, Episcopatum eſse verum Ordinem, verumque Sacramentum, natura & charactere a Præsbyteratu distinctum. Enimvero nihil deest Episcopatui ex iis omnibus, quæ ad constituendum verum Sacramentum requiruntur. Namque 1. Divinæ est institutionis, quia ut docet Paulus Actorum cap: 20. *Posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*, 2. gratiam confert, ut pluries Apostolus testatur in ſuis Epistolis ad Timotheum, quem etiam admonet ut non negligat gratiam, quam in ſua ordinatione acceperat per manuum impositionem. 3. Characterem

quo-

quoque imprimit, ac propterea iterari nequit. Verum ergo est Sacramentum, Ordoque à Præsbyteratu distinctus. Certe Episcopatus habet ſuam peculiarem materiam & formam, ſpecialem confert potestatem, videlicet alios sive Episcopos, sive Præsbyteros consecrandi. Hinc præclare Epiphanius hæresi 75. sic inquit: *Episcoporum Ordo ad gignendos Patres præcipue pertinet. Hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio, alter cum Patres non poſsit, filios generationis lotione producit.* Hæc itaque omnia probant Episcopatum eſse Ordinem à Præsbyteratu omnino distinctum, verumque Sacramentum, atque id ex libris Ritualibus antiquiſsimis Græcis & Latinis confirmatur, in quibus distinctim alia præscribitur consecratio Episcoporum, & alia Ordinatio Præsbyterorum.

Et vero, quemadmodum Præsbyteratus non est ſolum extensio characteris Diaconatus, ſed est Ordo etiam charactere á Diaconatu distinctus, ita pariter & Episcopatus non est pura Præsbyteralis characteris ampliatio, ſed est Ordo natura, charactere, ac potestate à Præsbyteratu distinctus.

Quæres 4to. Utrum Episcopi ex institutione Divina ſint Presbyteris ſuperiores potestate ordinis, & jurisdictionis?

Resp: Ita est: Et hoc expreſse definivit Concilium Trident: Seſs: 23. Can: 7. his verbis: *Si quis dixerit, Episcopos non eſse Præsbyteris ſuperiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam quam habent, illis eſse cum Presbyteris communem; anathema sit,* atque id constat ex perpetuo Ecclesiæ Græcæ & Latinæ consensu, & ubi primus Aerius hæresiarcha, adversus præeminentiam Episcoporum ſupra Presbyteros, insurrexit, ab utraque Ecclesia damnatus est. Et vero certum, & indubitatum est, Apostolos ſuperiores fuiſse honore & auctoritate, cæteris Christi discipulis. Illos enim præ cæteris Christus elegit, ſupremam in Ecclesia potestatem dedit, cum pari potestate eos in mundum mittens, sicut ipse à Patre miſsus fuerat Joan: Cap: 20. quare eis tantum appromiſserat, quod ſupra ſedes duodecim eſsent mundum judicaturi Porro omnibus fatentibus Ecclesiæ Patribus, Episcopi ſunt Apostolorum ſucceſsores, Presbyteri vero cæteris Discipulis ſuccedunt. Igitur Episcopi ſunt Ordinis, & jurisdictionis potestate Presbyteris ſuperiores.

Quæres 5to. Quæ ſit materia, & forma Episcopatus?

Resp: Omnes conveniunt Theologi, impositionem manuum, cum adjuncta ei oratione, eſse materiam, & for-

mam Episcopatus eſsentialem, at his nonnulli addunt, tamquam partem materiæ eſsentialem, expansionem Codicis Evangeliorum, ſupra cervicem Ordinandi Episcopi, & verba ista: *Accipe Spiritum Sanctum*, partem formæ eſsentialem eſse, alii vero hæc ad partes dumtaxat integrantes revocant. Nihil autem hic fides ad credendum proponit, hoc unum certum est, nec in Scripturis ſacris, nec in Ecclesiasticis monumentis trium priorum ſæculorum occurrere mentionem hujus Codicis Evangeliorum ſupra Cervicem ordinandi expansi, neque illorum verborum: *Accipe Spiritum Sanctum*, & quamvis posterioribus temporibus horum mentio fiat, incertum tamen est, an istiusmodi ritus ad eſsentiam Episcopalis ordinationis pertinere debeat, an nonnisi ad integritatem illius requiratur. Hinc in praxi omnes ritus in Pontificali Romano præscripti, exactiſsime observari debent.

Quæres 6to: Quis sit Episcopalis Ordinationis Minister?

Resp: Eſse Episcopos. Cum enim simplex Præsbyter ex cujusvis conceſsione, neque Diaconatum, neque Præsbyteratum conferre poſsit, inde manifeste concluditur magis eum Episcopatum conferre non poſse. Sic ergo Episcopi ſunt Ministri Episcopalis ordinationis. Porro statuit Concilium Nicænum I. Can: 4. *ut Episcopus maxime quidem ab omnibus qui ſunt in Provincia Episcopis ordinetur, si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem neceſsitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus ordinatio celebretur.* Id ipsum decernunt Concilia Antiochenum Can: 19. & Sardicense Can: 5. atque hic ſemper fuit Eccleſiæ uſus. An vero plures illi Episcopi ita ad ordinationem Episcopi ſunt neceſsari, ut aliter Episcopatus collatus nullus sit, non consentiunt Theologi. Alii affirmant nullum eſse Episcopatum nisi à pluribus conferatur Episcopis, & id videtur innuere Concilium Antiochenum, quod diserte pronuntiat: *aliter quam per plures factam Episcopi ordinationem non valere.* Alii negant, dicuntque ab uno etiam Episcopo factam Episcopi ordinationem, non eſse quidem legitimam, & Canonicam, ſed tamen validam. Quia omnes Episcopi eundem Ordinis habent characterem, eandemque potestatem, quæ ex plurium collectione, non augetur, ex eorum deficientia non minuitur. Quod ergo plures simul poſsunt, id ipsum potest & unus. Et in Synodo Carthaginensi 4. Can: 2. decer-

decernitur, ut unus Episcopus benedictionem fundat ſupra Ordinandum, cæteri vero manus imponant. Sed etiam Auctor Constit: Apostol: libro 8. cap: 17. affirmat, in casu urgentis neceſsitatis poſse Episcopum ab uno ordinari. Hinc S. Augustinus cum eſset solus Anglorum Episcopus, à S. Gregorio Magno petiit, num in defectu aliorum Episcoporum sibi liceret Episcopos ordinare? Cui ſummus Pontifex sic respondet Epist: 64. libro 10. *Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc ſolus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter, nisi sine Episcopo potes. Nam quando de Galliis Episcopi veniunt, illi in ordinatione Episcopi testes tibi aſsistent. Sed fraternitatem tuam ita volumus in Anglia Episcopos ordinari, ut ipsi sibi ipsis Episcopi longo intervallo minime disjungantur.* Ex qua responsione colligitur, plures Episcopos ordinationi Episcopali absolute neceſsarios minime eſse, ſed solum tamquam testes ordinationi adeſse, atque absque iis ordinari Episcopos poſse. Tandem narrat Theodoretus libro 5. Histor: Eccles: cap: 27. â Paulino absque aliorum Episcoporum interventu, ordinatum fuisse Episcopum Antiochenum Evagrium, cujus ordinationem, & ab ipso factas ordinationes Innocentius I. Romanus Pontifex ratas validasque habuit. Igitur ordinatio Episcopalis sine pluribus, non erit quidem legitima, & canonica, si plures haberi poſsint, verum erit rata, ac valida. In praxi tamen tutior pars sequenda est.

Verum ut quis valide in Episcopum ordinetur, neceſse omnino est ut prius sit Præsbyter rite ordinatus: Etsi enim in aliis Ordinibus inferior gradus non sit neceſsarius, ut ſuperior valide obtineatur, ac poſsit exgverus eſse Præsbyter, qui Diaconus ordinatus non fuit, irrita tamen foret Diaconi ordinatio in Episcopum. Quia cum Episcopus ex Officio Corpus Christi consecrare, Missæ Sacrificium celebrare debeat, neceſse est, illum ea prius Ordinatione donatum eſse, per quam hæc perficiendi traditur potestas. Porro per Ordinationem præsbyteratus, non vero per Episcopalem istiusmodi datur potestas. Ergo neceſse est ut ordinandus Episcopus, prius sit rite ordinatus Præsbyter.

Quæres 7mo: Utrum Præsbyteratus sit Sacramentum?

Resp: Præsbyteratus est Sacramentum. Cum enim Ordo verum sit novæ legis Sacramentum, & Præsbyteratus inter ſeptem Ordines in Ecclesia uſurpatos, primum

locum post Episcopatum teneat, & ad illium ceteri inferiores Ordines referantur, consequens est, Præsbyteratum efse Sacramentum. Et id definivit Concilium Tridentinum Sefs: 23. Can: 1. his verbis: *Si quis dixerit, non efse in novo Testamento Sacerdotium visibile, & externum, vel non éfse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum corpus & Sangvinem, Domini, & peccata remittendi, & retinendi, fed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Evangelium: anathema sit.* Sacerdotium itaque non est nudum officium aut folum ministerium prædicandi Evangelium, fed miram, ac ineffabilem habet à Christo sibi concefsam potestatem consecrandi ac offerendi Corpus & Sangvinem illius, denique facultatem remittendi, atque retinendi peccata. Est ergo verum Sacramentum.

Porro materia Præsbyteratus est impositio manuum, forma vero annexa eidem oratio, & hæc funt huic Sacramento efsentialia, cetera vero utpote Instrumentorum porrectio, pronuntiatio illorum verborum: *Accipe Spiritum Sanctum*: ad integritatem dumtaxat illius & clariorem Præsbyteralis potestatis denotationem pertinere. Sed cum Episcopus ordinando Præsbyteros, ter manus imponat, quæstio enascitur quæ ex illis tribus manuum impositio habenda est pro materia efsentiali. Non *1ma* quia ut observare in Pontificali Romano facile est, dum initio Ordinationis Episcopus manus imponit præsbyterandis, nihil dicit, neque in antiquis Ritualibus illa reperitur, neque apud Græcos est in usu. Non etiam *3tia* quia illa jam ordinatum fupponit Præsbyterum, qui una cum Episcopo consecraverat Corpus, & Sangvinem Christi, neque ipsa usque ad sæculum nonum comparet in libris Ritualibus, mentionem illius nullus eorum fecit, qui de sacris Ordinationibus pertractarunt. Sola ergo manus impositio, quæ in Pontificali Romano ordine secunda occurrit, & quæ adjunctam habet orationem, cum manuum extensione recitari solitam, videtur efse materia Præsbyteratus efsentialis.

Quæres 3vo: An Diaconatus sit Ordo facer, verumque Sacramentum?

Resp: Diaconatus est Ordo sacer, verumque Sacramentum. Primos namque Diaconos statim Apostoli Actor: cap: 6. ordinarunt orando, & manus eis imponendo, atque hæc ipsa oratio, ac manus impositio, aliud non erat quam gratiæ divinæ invocatio, quare etiam Stephanus mox ut

Diaco-

Diaconus ordinatus fuit, dicitur *plenus gratia & fortitudine*, atque etiam modo Episcopus Diacono ordinando, manum imponens dicit: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum diabolo ac tentationibus ejus.* Id vero non frustra eum dicere exprefse docet Concilium Trident: Sefs: 23. Can: 4. & Concilium Chalcedonense Can: 2. affirmat, Diaconos æque ac Presbyteros & Episcopos gratiam prætio inæstimabilem recipere, ait enim: *Episcopum, qui propter pecuniam, Episcopos, Præsbyteros, aut Diaconos ordinat, vendere gratiam pretio inæstimabilem.* Neque etiam Apostoli Diaconos ordinafsent, nisi id edocti & jufsi â Christo fuifsent, ex Christi itaque institutione, ordinati fuerunt, unde á temporibus Apostolorum ad hanc usque diem, continua praxi per manuum impositionem & orationem ordinati funt Diaconi, atque Concilium Tridentinum Sefs: 23. Can: 6 definivit, efse in Ecclesia ex divina ordinatione institutam Hierarchiam, quæ constat ex Episcopis, Præsbyteris, & Ministris, feu Diaconis, æque ergo ex divina ordinatione funt Diaconi, ac funt Episcopi, & Præsbyteri. Cum itaque Diaconatus & gratiam conferat, & divinæ sit institutionis, est indubie sacer Ordo, atque Sacramentum. Hæc quoque auctoritate SS. Patrum comprobantur. S. Ignatius Martyr in Epistola ad Tralianos sic ait: *Cuncti revereantur Diaconos, ut mandatum Jesu Christi, sine his Ecclesia Dei non vocatur.* S. Polycarpus Smirnensis Episcopus in Epistola ad Philippenses hæc habet: *Subjecti estote Præsbyteris, & Diaconis, sicut Deo & Christo.* Clemens quoque Romanus in Epistola I. ad Corinth: sat clare indicat, Diaconos ex Christi mandato ab Apostolis ordinatos fuifse. Merito itaque S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos docet, Ecclesiam multis gradibus consistere: *Ad ultimum Diaconis, Præsbyteris, & Episcopis finiri.*

Obijcies: Primi feptem Diaconi, ordinati funt non ad aliquod sacrum ministerium, fed ut curam viduarum, ac pauperum haberent, quare dicebant Apostoli: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Cum itaque Diaconi, non fuerint ad sacrum aliquod ministerium destinati, Diaconatus Ordo sacer efse nequit. Præterea si Diaconatus sacer Ordo sit, & Sacramentum, plura quam feptem erunt Sacramenta, quod Concilii Tridentini definitioni adversatur.

Resp: Primi feptem Diaconi non unice neque primario ab Apostolis destinati fuerunt ad pauperum, ac viduarum

duarum curam, mensarumque ſervitium, ad id namque minime opus erat inquirere *viros boni testimonii, plenos Spiritu Sancto, & sapientia*, ſed ad sacra ministeria, Evangelii prædicationem, sacrarum mensarum servitium, aliaque præcipue destinati erant, unde Stephanus, & Philippus, Diaconi ordinati & Evangelium prædicaſse, & cum Judæis diſputaſse leguntur. Quare Apostolorum discipulus Ignatius Martyr in Epistola ad Tralianos affirmat, Diaconos non ciborum ac potuum ministros eſse, ſed Ecclesiæ Dei, ac mysteriorum Jesu Christi Ministros eos vocat, ait enim: *Oportet Diaconos Mysteriorum Jesu Christi Ministros, omni modo omnibus placere, non enim ciborum, & potuum ministri ſunt, ſed Ecclesiæ Dei.* Et licet Diaconatus, Præsbyteratus, atque Episcopatus vera Sacramenta sint, non tamen plura quam ſeptem Sacramenta ſunt, quia hæc tria quamvis ſpecie diversa, ejusdem tamen generis ſunt, ac proinde unum genere constituunt Ordinis Sacramentum.

Quæres 9nó: Quæ sit Materia, ac forma Diaconatus?

Resp: Materia Diaconatus est impositio manuum, forma vero oratio quæ ei adjuncta est. Siquidem hæc apud Latinos & Græcos semper in ordinatione Diaconorum uſurpata fuit, & apud Græcos præter impositionem manuum & orationem, nihil est quod materiæ, & formæ rationem habere poſsit. Ceteri ergo ritus, qui in Diaconorum ordinatione adhibentur, ad integritatem Ordinis pertinere dignoscuntur, non ad illius eſsentiam. Unde etiam illorum vestigium nullum extat sive in antiquo Ordine Romano, sive in Sacramentario Gregorii Magni, sive in aliis Ritualibus libris ante annos ſexcentos scriptis.

Quæres 10mo: Quid sit Subdiaconatus, quæ ejus antiquitas? an sit Sacramentum?

Resp: Si nomen ſpectetur, Subdiaconus idem est, ac Subminister, si res vero consideretur, Subdiaconus est ille qui Diacono ſolemniter ministranti inservit. Nomen autem Subdiaconi apud Latinos Auctores primo memoratur apud S. Cyprianum in Epist: 24. apud Patres Jlliberitanos Can: 30. & alios deinceps. Græci Subdiaconos vocant Hypodiaconos, & illorum mentio occurrit in Concilio Laodiceno, libro 8. Constit: Apostol: apud Epiphanium in expositione fidei, & quam plurimis aliis ſequentium ætatum. Sed hunc ordinem non eſse Sacramentum, major pars Theologorum tenet. Quia in Sacra Scriptura Subdiaconatus vestigium nullum est. Concilium Carthaginense Can: 5.

fidem facit, Subdiaconatus Ordinem collatum fuiſse sine manuum impositione, quæ est materia eſsentialis Sacramenti Ordinis: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manuum impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat, vacuam, & calicem vacuum.* Nihilque est in Subdiaconi Ordine ex quo inferri poſsit per hunc ordinem gratiam conferri. Quare multi ex vetustioribus Scriptoribus Ecclesiasticis, veluti Amalarius, Petrus Lombardus, Hugo à S. Victore, & alii, docent, Subdiaconatum ab Ecclesia, crescente Fidelium numero, institutum fuiſse. Non est ergo Sacramentum. Sed neque olim inter sacros Ordines Subdiaconatus recensebatur, quod aperte evincitur ex Synodo Beneventana ſub Urbano 2. anno 1091. habita, ubi hæc statuuntur: *Nullus in Episcopatum eligatur, nisi in sacris Ordinibus religiose vivens fuerit inventus. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum, & Præsbyteratum, hos siquidem ſolos primitiva legitur habuiſse Ecclesia.* Hinc etiam Subdiaconi olim non in Sanctuario ordinabantur, sicuti ceteri majores Ordines, ſed extra. Verum ab aliquot jam sæculis, Subdiaconatus inter majores & sacros Ordines numeratur, quod contigit ætate Innocentii 3. cum ille Subdiaconum in Episcopum eligi voluit.

Quæres xxmo: Utrum antiqua sit Ecclesiæ Catholicæ consvetudo majorum Ordinum Clericis legem cœlibatus imponendi?

Resp: Inter Ecclesiæ Romanæ instituta, quæ moderni Hæretici nobis exprobrare non desinunt, non ultimum locum tenet cælibatus Clericorum, quem tamquam veteri disciplinæ, imo & ipsi Evangelio contrarium, ac repugnantem exagitant, & execrantur. Sed prorsus immerito, quia antiquiſsimus est in Ecclesia cælibatus Episcopis, Præsbyteris, ac Diaconis impositus. Quod variis veterum testimoniis comprobatur. Siricius Papa Epistola anno 395. ad Himerium Tarraconensem Episcopum data, illorum Sacerdotum, & Diaconorum consvetudinem damnat, qui cum ſuis uxoribus habitabant, ex iisque liberos ſusceperant, quia autem illi exemplo Moysaicorum Sacerdotum, & Levitarum se excusabunt, ideo hanc eorum excusationem Pontifex iste refellit ex eo, quod Christus voluerit Ecclesiam ſuam veteri puriorem eſse, & castitatis ſplendore radiare, unde sic ait: *Sacerdotes omnes atque Levitas inſolubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostræ, ſobrietati, & pudicitiæ & corda nostra mancipemus, & corpora.* Ex quo patet, ante Siricium jam fuiſse impe-

impositam Maiorum Ordinum Clericis continentiæ legem, alias frustra reprehenderet eos, qui nullam legem perfregissent, quam etiam renovat, confirmat, minaturque gravissimas pænas, illam non observantibus, quæ omnia recitat, & legem continentiæ urget Innocentius I. in sua Epistola 3. ad Exuperium Episcopum Tolosanum scripta. Leo quoque Magnus Epist: ad Rusticum Narbonensem ait. *Lex continentiæ eadem est Ministris Altaris, quæ Episcopis, atque Præsbyteris.* Idem docet, affirmatque Hieronymus Epist: 30. adversus Jovinianum, ubi hæc habet: *Apostoli vel Virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Præsbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici:* & iterum: *Episcopi, Præsbyteri, & Diaconi noverint se hostias offerre non posse, si operi serviant conjugali.* Sed in omnibus Occidentis Ecclesiis, cælibatus majorum Clericorum à primis sæculis semper viguit, non solum in Ecclesia Romana, sed & in Gallicana, Germanica, Hispanica, Mediolanensi, Africana, cujus rei locupletissimi sunt testes SS. Ambrosius, Augustinus, Gregorius Magnus, & innumera ubique celebrata Concilia, in quibus cælibatus Majorum Clericorum stabilitus, confirmatus, ac indictus etiam gravissimis pænis contra eos qui eum non custodirent, aut quoquomodo infringerent, roboratus fuit. Sufficit hic pauca adducere. Jlliberitanum anno 305. celebratum Can. 33. hæc habet: *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Præsbyteris, Diaconis, & Subdiaconis positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios: Quicunque vero fecerit, ab honore clericatus exterminatur.* Arausicanum I. anno 441. habitum Can: 12. statuit, ne ii, qui conjugati sunt, in Diaconos ordinentur, *nisi prius conversionis proposito professi fuerint castitatem.* Concilium Carthaginense 2. anno 390. congregatum Can: 2. continentiæ legem Episcopis, Præsbyteris & Diaconis inculcat, *ut quod Apostoli docuerant, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* His addi debent Concilia generalia duo Lateranensia 1. & 2. unde apparet, Patres Concilli Tridentini congruenter ad perpetuo servatam in Ecclesia Latina disciplinam, Sess: 23. Cap: 13. constituisse: *Subdiaconos, & Diaconos ordinandos esse eos, qui bonum habent testimonium, quique sperent Deo auctore se continere posse.*

Verum circa Subdiaconorum continentiam diversa fuit

fuit in Ecclesiæ Latina disciplina. Namque Concilium Jlliberitanum præcipit Subdiaconos manere cælibes. S. Leo Magnus è Romanis Pontificibus primus, imposuit Subdiaconis legem continentiæ. S. Gregorius exeunte sæculo 6. legem qua Prædeceſsor ejus Pelagius 2. Subdiaconos Siciliæ ab uxoribus separaverat, sic temperavit, ut nullus deinceps ad Subdiaconatum promoveretur, nisi perpetuam continentiam profeſsus fuerit, ſed indulsit, ut qui conjugio copulati fuerint, cum uxoribus ad prolem procreandam maneant. Tandem Sæculo 11. lex continentiæ Subdiaconis imposita, ubique in Ecclesia Latina obtinuit, ac post Decretum Urbani 2. in Concilio Claromontano editum, invaluit.

Quod vero attinet Ecclesiam Græcam, ceterasque Orientales Ecclesias, in Concilio Trullano anno 690. habito Can: 6. Sic fuit constitutum: *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum qui non ducta uxore in Clerum promoventur, ſolos Lectores & Cantores poſse uxorem ducere, & nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Præsbytero post ſui ordinationem, contrahere liceat. Si autem hoc ausus fuerit facere, deponatur.* Prohibitum itaque fuit in hoc Concilio Subdiaconis, Diaconis, atque Præsbyteris post sui Ordinationem uxores ducere, ſed ante Ordinationem ductas retinere & iis uti permiſsum fuit. Verum Episcopis neque iis uxoribus uti cum quibus ante Ordinationem contraxerant, unquam aut licitum fuit, aut modo licet. quod constat ex Can: 21. ejusdem Concilii Trullani. Propterea certum est Ecclesiam Græcam, & omnes alias Orientales, nullum his etiam temporibus ordinare Episcopum, nisi aut virgo sit, aut viduus, aut uxoratus continentiam polliceatur. Et quamvis Concilium Trullanum permiserit græcis Præsbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis retinere uxores ante Ordinationem legitimo Matrimonio sibi copulatas, & jure conjugali uti, verum antiquitus non fuit sic ab initio, cujus rei locupletiſsimus est testis S. Epiphanius, qui circa annum 378. obiit, ille siquidem hæresi 59. sic ait: *Qui adhuc in Matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi sit unius uxoris vir, nequaquam illum ad Diaconi, Præsbyteri, aut Episcopi Ordinem Ecclesia ſuscipit, ſed eum dumtaxat qui ab unius uxoris consvetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus.*

Dices: **Ex Ecclesiastica** historia constat, multos præclariſsi-

clarissimos Episcopos, Præsbyteros, Diaconos, uxores habuisse, ac penes se retinuisse. Tertullianum S. Cyprianum, Agricola Diaconus. Hilarius Pictaviensis Episcopus, Paulinus Nolanus, Sidonius, Apolinaris, ac S. Prosper.

Resp: Habuerunt Uxores quas ante suam Ordinationem duxerant, sed eas dimiserunt, & vel ipsas à se prorsus ablegarunt, vel nunquam iis in opus conjugii usi sunt, quod non uno documento potest comprobari. Sic S. Gregorius Turonensis lib. 5. Cap: 39. scribit S. Austremonium Arvernensem Episcopum, *uxorem quidem habuisse, sed quæ juxta consvetudinem Ecclesiasticam remota à consortio Sacerdotis vivebat.* De Theresia uxore S. Paulini testis est S. Augustinus Epist: 27. ad eundem data, eam in castitate apud ipsum vixisse. Idem dicendum est de ceteris. Quare Concilium Arelatense 4. anno 541. celebratum Can: 17. sic statuit: *Sacerdotes sive Diaconi, cum conjugibus suis non habeant communem lectum, & cellulam, ne propter suspicionem carnalis consortii, religio maculetur. Quod qui fecerint, juxta priscos Canones ab officio degradentur.* Licebat ergo uxores ante Ordinationem habitas, etiam post Ordinationem retinere, sed & cum omni cautela, ne carnalis consortii suspicio ingeratur, & illas ad conjugii opus explendum nunquam uti licebat.

Quæres 22mo: An lex continentiam Majoribus Clericis imponens, reprehendi valeat?

Resp: Lex continentiam Majoribus Clericis imponens, nullam reprehensionem meretur. Et id multis rationibus probatur. *1mo:* Illud reprehendi non debet, quod cum à cujuslibet libera voluntate dependet, volens quispiam ac sciens illud amplectitur. Porro Ecclesia nulli vim infert, ut Ordines suscipiat, imo volentem eos suscipere monet, continentiam in posterum esse omnino servandam. Volenti autem, ac consentienti, ut habet vetus adagium, nulla fit injuria. Nullatenus ergo continentia majoribus Ordinibus imposita, coargui potest. *2do:* Cælibatus magnis laudibus in Scriptura sacra effertur, unde Paulus I. Corinth: Cap: 7. ait: *Dico autem non nuptis, aut viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.* Non est itaque ratio cur coarguatur Ecclesia, quod tam excellentem statum maioribus Clericis constituerit. *3tio:* Continentia statui Clericali maxime congruit, quia per illam à curis sæcularibus Clericus avocatur, ut expeditius divinis officiis vacare possit. *Nemo* enim ut inquit Apo-

ste-

stolus 2. Timoth: Cap: 2. *militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. Porro secundum eundem Apostolum I. Corinth: Cap: 7. *Qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, & divisus est.* Ut ergo Clerici sine sollicitudine sint, oportet ut sine uxoribus sint, tunc enim unice solliciti erunt, *quæ Domini sunt, ut placeant Deo.* Et vero, si modo multi Clerici suarum obligationum immemores, cum summo Ecclesiarum dispendio, unice incumbunt ditandis suis nepotibus, aliisque consangvineis, quid fieret, si uxores, liberosque haberent?

Sed præterea multis congruentiis ex sacris Scripturis, Sanctorumque Patrum scriptis depromptis, luculenter ostenditur, statum continentiæ maxime Clericis novæ legis competere, quod ergo continentiam ipsis Ecclesia indixerit, propterea non est arguenda. Certe in lege Moysaica præceptum erat Sacerdotibus, ut ab omni cum uxoribus commercio abstinerent, quo tempore suas vices in Templo obibant. Magis id expedit in nova lege, quæ nobilius, & illustrius obtinet Sacerdotium, & in qua non cruentæ hostiæ, sed immaculata victima quotidie offertur, & contrectatur. Merito S. Hieronymus scribens in Caput I. Epistolæ ad Titum, sic præclare ait: *Si Laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? Relegamus Regum libros, & inveniemus Sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare David, & pueris ejus, nisi interrogaret, utrum mundi pueri essent à muliere, non utique aliena, sed conjuge. Et nisi eos audisset ab heri, & nudius tertius vacasse ab opere conjugali, nequaquam panes, quos prius negaverat, concessisset. Tantum interest inter propositionis panes, & Corpus Christi, quantum inter umbram & corpora, inter imaginem, & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria præfiguranbantur. Quomodo itaque mansvetudo, patientia, sobrietas præcipue esse debent in Episcopo, & inter cunctos Laicos eminentia, sic & castitas propria, & ut ita dixerim sacerdotalis pudicitia, ut non solum ab opere se immundo abstineat, sed etiam à jactu occuli, & cogitationis errore mens, Christi Corpus confectura libera sit.* In his autem non solum maximi Doctoris auctoritatem habemus, sed etiam rationes multas nervose positas. Verum omnes rationes superat definitio Concilii Trident: Sess: 24. Can: 9. his verbis concepta:

Si quis

Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem ſollemniter profeſſos, poſse Matrimonium contrahere, contractumque validum eſse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, et oppositum nihil aliud eſse, quam damnare Matrimonium, poſseque omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id quod poſsumus, tentari.

Obijcies 1mo: Apostolus I. Corinth: Cap: 7. præcipit: *Propter fornicationem, unusquisque uxorem ſuam habeat*, & rationem ibidem addit: *melius est enim nubere quam uri* & I. ad Timoth: Cap: 3. exigit, ut Episcopus *sit unius uxoris vir, filios habens ſubditos cum omni castitate. 2do:* Idem Apostolus I. ad Timoth: Cap: 4. ſcribit, eſse ſpiritum erroris & doctrinam dæmoniorum prohibere nubere, atque I. Corinth: Cap: 9. ait: *Numquid non habemus potestatem mulierem ſororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli & fratres Domini, & Cephas.* Hæc ergo ostendunt, neque Apostolos cælibatum coluiſse, ipsumque divinæ ac naturali legi contrarium eſse, quæ, ut docet Paulus, præcipit: *Si ſe non contineant, nubant, melius est enim nubere, quam uri.*

Resp: ad 1mum: SS. Patres Epiphanius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus docent, juxta Apostolum, unicuique competere potestatem nubendi, uxoremque ducendi, si ſe ad continentiam ſectandam non obstrinxerit, si enim ab hoc vinculo liber sit, ſeque continere nequeat, tunc nubat, atque ei melius est nubere, quam uri, at non ita est de iis, qui ſe ad ſectandam continentiam obstrinxerant, ii enim omnino continere ſe debent, unde ibidem damnat Apostolus viduas, quæ post datam Christo fidem ſervandæ castitatis, nuptias appetierunt, *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt:* imo ibidem exhortatur viduas, & non nuptas, ad ſectandam continentiam, & abstinendum â ducenda uxore: *Solutus es ab uxore, nolli quærere uxorem:* illud ergo quod dixit: *Unusquisque ſuam uxorem habeat,* non generaliter, & absolute, ſed cum restrictione accipiendum est. Et vero Apostolus in eo capite alloquitur eos, qui cum recenter ab infidelitate ad fidem veniſsent, ancipites hærebant, num ſuas uxores dimittere deberent, vel eas retinere, horum unumquemque hortatur Paulus, ad uxores ſuas retinendas, ad vitandas ſcilicet fornicationes. Dum vero Apostolus dicit,

dicit, Episcopum debere eſse unius uxoris *virum*, bigamos ab Episcopatu excludit, unde juxta antiquiſsimam Eccleſiæ disciplinam, bigami ſemper à ſacris Ordinibus excludebantur. Non ergo præcipit Apostolus ut Episcopus non ait, qui uxorem non habeat, hoc enim inauditum, atque inpracticatum in Ecclesia fuit, ſed disponit ut bigamus in Episcopum non eligatur, quod etiam ſemper observatum fuit. Mandat proinde Episcopo ut ſubditos habeat, & in castitate contineat filios, quos ante ſuam ordinationem ex legitima ſuscepit uxore, non quos post ſuam consecrationem ſuscepiſset.

Ad 2dum: Apostolus eo loci illos refellit Hæreticos, qui nuptias veluti natura malas & à diabolo inventas, damnabant, atque prohibebant nubere, non continentiam ſvadentes, ſed promiscuum mulierum uſum invehentes, verum non arguit erroris illos, qui ob laudabilem finem, expeditius ſcilicet Deo famulandi, á conjugio abstinerent, quare I. Corinth: cap: 7. docet· *Qui virginem ſuam Matrimonio jungit, bene facit, qui non jungit, melius facit.* Porro Ecclesia non ideo nuptias Majoribus Clericis prohibet, quasi eas execraretur, ſed studio majoris perfectionis, continentiam ipsis præcipit. Nomine vero mulieris ſororis, Paulus non intellexit uxorem, cum communiſsima ſit SS. Patrum opinio excepto S. Petro, cæteros Apostolos non fuiſse uxoratos, ſed pias alias fœminas, quæ Apostolis hinc inde iter facientibus, cibos parabant, & alia neceſsaria ſubministrabant.

CAPUT SECUNDUM

De Sacramento Extremæ unctionis.

Ritus ſacer qui in extremo agone infirmis dari ſolet, trito nomine: *Extrema unctio* dicitur, quia infirmis in extremo vitæ periculo constitutis, dari ſolet, & cum multæ ſint in Ecclesia unctiones, hæc ordine postrema est: dicitur quoque: *Unctio infirmorum*, *Unctio ſacra*, *Unctio ſacrati olei*, *Sacramentum exeuntium*. Græci Scriptores, eorumque Euchologia, appellant: *Sanctum oleum*, *Postrema Unctio.*

AR-

ARTICULUS Imus

De existentia, ac institutione Sacramenti Extremæ unctionis, materia, ac forma illius.

Quæres 1mo: Utrum Extrema unctio sit verum novæ legis Sacramentum?

Resp: Hæretici horum temporum Lutheri, & Calvini sequaces, negant Extremam unctionem verum esse novæ legis Sacramentum. Illorum errorem damnavit Concilium Trident: Sess: 14. Can: 1. his verbis: *Si quis dixerit, extremam Unctionem non esse vere, & proprie Sacramentum â Christo Domino nostro institutum, & â Beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum â Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit:* & rationem instituendi à Christo istud Sacramentum hanc validissimam atque ponderosissimam afferunt Patres Tridentini, doctrinam Catholicam de hoc Sacramento explanantes, sic enim inquiunt: *Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum vivent, ab omni graviore spiritus incommodo possint, ita Extremæ unctionis Sacramento finem vitæ, tamquam firmissimo quodam præsidio munivit.*

Quæres 2do: Quibus argumentis probari possit, Extremam unctionem esse verum novæ legis Sacramentum?

Resp: Id duplici potissimum probatur argumento, unum petitur ex Scriptura sacra, aliud desumitur ex Traditione. Et quidem ex Scriptura sacra sic evincitur Extremam unctionem esse verum novæ legis Sacramentum: S. Jacobus Apostolus in sua Epistola cap: 5. sic scribit: *Infirmatur quis in vobis? inducat Præsbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Hic habemus omnia expressa quæ ad Sacramentum constituendum pertinere, & requiri possunt, scilicet materia sensibilis, & forma, Divina institutio, & gratiæ collatio. Hæc igitur unctio de qua scribit S. Jacobus, verum est Sacramentum. Nimirum Olei inunctio constituit sensibilem materiam: oratio vero Sacerdotis supra infirmum, designat formam:

Col-

Collatio autem gratiæ manifeste indicatur per appromissam remissionem peccatorum, *si in peccatis est, remittentur ei*, remissio siquidem peccatorum & nunquam fit, sine celestis gratiæ collatione, & ipsa peccatorum condonatio maximum est Dei donum, atque singulare ipsius beneficium. Neque hic deest divina institutio, quia sacer iste ritus, â Jacobo universis fidelibus proponitur, atque commendatur. Nequid autem cogitari, S. Apostolum hunc ritum à semetipso excogitasse, & non eum â Christo accepisse. Merito itaque iterum Concilium Trident: Sess: 14. de Sacramento Extremæ unctionis Can: 2. ita decernit: *Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem, non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.*

Obijcies. Nulla est auctoritas illius Epistolæ, quæ S. Jacobo Apostolo tribuitur, hæc enim inter sacras Scripturas recenseri non meretur. Et quamvis daretur illam vere esse S. Jacobi, non proinde sequeretur memoratam unctionem Sacramentum esse, verba siquidem Apostoli respiciunt tantum gratiam curationum, unde sanitas, & alleviatio infirmi, primo loco ponitur, remissio vero peccatorum nonnisi secundo loco, & hoc dubie, & sub conditione, *si in peccatis sit, remittentur ei*, quod Sacramento non convenit, quod absolute & non conditionate effectum suum operatur. Tandem Sacramenta ex opere operato effectum suum producunt, in Epistola autem Jacobi totus unctionis effectus, fidei infirmi attribuitur: *& oratio fidei salvabit infirmum.*

Resp: Idcirco moderni Hæretici Lutherani, ac Calvinistæ S. Jacobi Epistolam reijciunt, quia in ea clarissime principalis illorum error reprobatur, videlicet per solam fidem hominem justificari, & salvari, cum dicat Apostolus cap: 2. *Fides sine operibus mortua est.* Verum ab initio statim Ecclesiæ, apud Latinos hæc Epistola tamquam divina habita est, & jam Clemens I. Romanus Pontifex in Epistola sua ad Corinthios, sententias Jacobi veluti Scriptoris Divini laudat, & exscribit. Nihil vero est in hac Epistola unde colligere liceat, unctionem illam tantummodo curationes morborum spectare. Nam gratia curationum magis manuum impositioni, quam olei inunctioni appromissa, & annexa fuit, juxta id Christi Marci Cap: 16. *Super ægros manus imponent & bene habebunt*; & Paulus Apostolus Publii patrem febribus laborantem

Acto-

Actorum Cap: 28. manus ei imponendo ſanitati restituit. Sed præterea S. Jacobus unctioni, de qua loquitur, præclaros ſpirituales attribuit effectus, videlicet remiſsionem peccatorum, & alleviationem infirmi, non certe quoad corpus tantum, ſed & magis quoad animam, quoniam illi & ſalus, & remiſsio peccatorum annectitur, *oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Hæc certe de ſola curatione corporalium morborum intelligi nequeunt. Tandem gratia curationum, sicut & aliæ multæ gratis datæ, non ſolis Apostolis, aut Præsbyteris, ſed cui magis placebat, Deus elargiebatur, quemadmodum ex Paulo discimus I. Corinth: Cap: 12. ubi ait: *alii datur gratia ſanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio ſpirituum.* Porro unctio de qua loquitur S. Jacobus, Ecclesiæ Præsbyteris propria erat, ipsisque reservata, quam dare non poterant, nisi ſoli Præsbyteri. *Inducat Præsbyteros Ecclesiæ*: et quæ pro solis Christi fidelibus instituta fuit, quibus & animæ levamen, & peccatorum conferebat remiſsionem, corporeæ autem ſanitatis gratia, etiam infidelibus impertiebatur. Neque nocet, quod ſanitas corporis primo ponitur, ſecundo remiſsio peccatorum, quia non ex ordine ſcriptionis, ſed ex natura ipsa, rerum prætia æstimantur, & ſecundum illum prioritas ipsis vel posteriotas aſsignatur. Restitutio etiam ſanitatis quia erat effectus notior, quippe magis in oculos incurrebat, ideo primo loco recensetur, ſed effectus alter longe præstantior, remiſsio ſcilicet peccatorum; non ſolum non negatur, ſed diserte exprimitur. Atque hic primarius unctionis effectus non dubie, & conditionate, ſed certo appromittitur, cum enim difficile admodum sit, hominem tam purum eſse, ut nullas ne quidem veniales habeat noxas, conſequenter particula *si*, in textu S. Jacobi posita, non denotat conditionem rei dubiæ, ſed promiſsionem rei certæ, quemadmodum etiam cum dicit idem Apostolus Cap: I. *Si quis vestrum indiget ſapientia, postulet à Deo*: non est ſermo conditionatus, ſed absolutus, atque ſensus est: *cum unusquisque vesrum indiget ſapientia, postulet à Deo*, pariter & illa locutio: *si in peccatis sit, remittentur ei*, hunc ſensum habet: *cum in peccatis est, remittentur ei.* Neque tandem *oratio fidei*: cui unctionis effectus attribuitur, intelligenda est fides, sive dantis, sive unctionem ſuscipientis, ſed oratio qua unctio administrabatur, constituitque formam hujus Sacramenti, dicitur vero *oratio fidei*, quia fidei mysterium

rium continet, atque fidei Ecclesiæ innititur. Sed ex ipsis S. Jacobi verbis facile est ostendere, illam unctionem de qua ipse loquitur, ex opere operato, prout & cætera Sacramenta, effectus suos producere, quemadmodum enim dicitur: *Baptisantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.* quo satis clare denotatur, Baptismum ex se, & nomine, atque virtute Patris, Filii, & Spiritus Sancti, animam baptisandi abluere, ita hic dicitur: *ungentes eum oleo in nomine Domini,* quo significatur unctionem olei ex se, & virtute Divina, peccata dimittere, & animam infirmi alleviare.

Quæres 3tio: Quomodo traditione probatur, Extremam unctionem esse verum novæ legis Sacramentum?

Resp: Adducendo SS Patrum testimonia, ex quibus apertissime constat, Extremam unctionem semper ut verum Sacramentum usurpatam fuisse. Origenes Homil: 2. in Leviticum, post descriptum laboriosum Pænitentiæ Sacramentum, sic subjicit: *In quo impletur & illud quod Apostolus dicit. Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Hic extremam unctionem Origenes, quasi appendicem Pænitentiæ considerans, non obscure innuit, esse illam Sacramentum à Pænitentiæ Sacramento diversum, ipsiusque complementum, atque oleum materiam illius vocat. S. Chrysostomus libro 3. de Sacerdotio sic ait: *Non solum nos regenerant Sacerdotes, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit Apostolus, inter vos aliquis, accersat Presbyteros.* Paulo vero prius locutus est S. Doctor de remissione peccatorum quæ datur à Sacerdotibus quovis tempore in Sacramento Pænitentiæ, atque in hanc rem affert verba Christ: Math: Cap: 18. & Joannis Cap: 20. procedit deinde ad remissionem peccatorum, quam nonnisi ægris Sacerdotes dare consveverunt, & id confirmat testimonio Jacobi Apostoli. Unde apparet Chrysostomum Extremam unctionem æque in numero Sacramentorum habuisse, ac ipsam Pænitentiam. Id quoque confirmatur insigni testimonio Innocentii I. Rom: Pontificis. Cujus mentem cum per litteras explorasset Decentius Engubinus Episcopus circa illam Jacobi Apostoli sententiam, num scilicet ad infirmos à Sacerdotibus ungendos, revera pertinerent, & ungi quoque possent illi, qui publicam pænitentiam exercebant, Innocentius ita ei respondet: *Non est dubium* (sen-

tentiam Jacobi) *de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua, aut suorum necessitate inungendo, pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus Sacramenti est. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi.* Quo in loco Innocentius clarissime dicit unctionem à S. Jacobo memoratam, Sacramenti genus esse, illamque id circo publice pænitentibus minime concedendam affirmat, quia ipsis, antequam suam pænitentiam finiverint, cetera Sacramenta denegabantur. Igitur prædictus Rom: Pontifex, Extremam unctionem tamquam unum Sacramentorum reputat. Gregorius quoque Magnus in suo Sacramentario, ab data opera præscribit modum formamque qua oleum ab Episcopo benedici, & infirmis à Sacerdotibus administrari debent. His addi debent multa Concilia, Cabillonense, Aquisgranense, Moguntinum, Constantiense, & alia. Tandem veritas hæc confirmatur ex usu & continua praxi omnium Ecclesiarum Occidentis & Orientis, in quarum Ritualibus, Euchologiisque, Sacramentum Extremæ unctionis legitur, modus illud administrandi præscribitur.

Obijcies. Origenes, S. Jacobi sententiam Sacramento Pœnitentiæ adoptat. Non ergo credidit unctionem peculiare esse Sacramentum, & qui vitas Sanctorum, eorumque exitus mortemque descripserunt, collatæ ipsis unctionis nunquam meminerunt.

Resp: Origines loco citato quærit quot modis peccata deleri possint, & postquam recensuisset eleemosynas, orationes quotidianas, aliaque pietatis opera, tandem media certiora, & validiora profert, baptismum scilicet, pænitentiam, & unctionem extremam, quam à pænitentia & satis per olei unctionem, qua illa perficitur, secernit, & in hoc etiam ponit unius ab altera discrimen, quod per pænitentiam & confessionem, graviora, per extremam unctionem leviora peccata dimitti asserit. Acta S. Trepani, apud Bollandistas, qui sæculo 6. floruit, fidem faciunt, quod ille oleum sanctæ reconciliationis humili ac sincera contritione receperit. S. Eugenium unctionem hanc ante mortem recepisse ostendit Mabillonius, si vero in describendis aliorum Sanctorum vitis, id prætermissum est, non inde sequitur eos sacram hanc unctionem non recepisse, quia etiam licetsi Concilium Nicænum Can: 13. præscribat,

bat, iis qui ad exitum vitæ approximant Eucharistiam esse in modum viatici administrandam, nihilominus S. Gregorius Nanzianzenus, & Nyssenus, Hieronymus, Severus Sulpitius, plurium Sanctorum Acta recensentes, ipsis administratam Eucharistiam fuisse, minime tradiderunt, attamen ipsis reipsa traditam fuisse, nemo prudens inficias ibit.

Quæres 4to. Quando Sacramentum Extremæ unctionis fuit à Christo institutum?

Resp: Sacramentum Extremæ unctionis fuisse à Christo Domino institutum indubitatum est, quia Sacramenta instituere omnem humanam excedit potestatem. Unde Concilium Trident: Sess: 14. Cap: 1. & Can: 1, docet, & definit, sacram infirmorum unctionem à Christo Domino fuisse institutam, apud S. Marcum Cap: 6. insinuatam quidem, ubi de duodecim Apostolis à Salvatore missis legitur, quod *ungebant oleo multos infirmos & sanabant eos*: per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatam, & promulgatam. Sane ritus universalis, omnibus fidelibus propositus, annexam habens remissionem peccatorum, cæterasque gratias, ad spirituale infirmorum levamen eorumque salutem maxime necessarias, auctorem, nisi Christum habere non potuit. Verum tempus hujus institutionis, incertum est. Multi verisimilius judicant, institutionem hujus Sacramenti factam esse, quando post resurrectionem suam Christus cum Apostolis conversando *eis loquebatur de regno Dei*, tunc enim ut inquit S. Leo Serm: 1. de Ascensione: *magna confirmata sunt Sacramenta, magna revelata mysteria.*

Quæres 5to. Quæ sit materia Sacramenti Extremæ unctionis?

Resp: Materia hujus Sacramenti est oleum ab Episcopo benedictum, quo infirmus inungitur. Ita docet Concilium Trident: Sess: 14. Cap: 1. ubi sic sit: *Ex Apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia intellexit, materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, nam unctio aptissime Spiritus gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentatur.* Sufficit vero si oleum à simplici Presbytero fuerit benedictum. Nam certum est, in Ecclesia Orientali à mille & amplius annis receptum esse, ut ipsimet Presbyteri oleum tunc benedicant, cum ad ipsum infirmum inungendum se accingunt, quod licet ab Ecclesia Latina non ignoretur,

non solum consvetudinem hanc Græcorum non improbavit, sed & ipsam, Romani Pontifices Clemens 8. & Benedictus 14. ratam habuerunt.

Quœres 6to: Quæ sit forma Sacramenti Extremæ unctionis?

Resp: Forma Sacramenti Extremæ unctionis, est oratio supra infirmum, qua ei remissio peccatorum, cæteræque gratiæ â Deo expetuntur. Atque id manifeste eruitur ex verbis Jacobi Apostoli, quibus præcipit ut ad infirmum inducantur Presbyteri Ecclesiæ, *& orent super eum, & oratio fidei salvabit infirmum.* Sicuti ergo ex verbis Jacobi discimus, oleum, atque unctionem esse materiam Sacramenti Extremæ unctionis, ita pariter edocemur, formam hujus Sacramenti esse orationem supra infirmum factam. Et id ex continua Ecclesiæ praxi confirmatur, quæ semper Extremæ unctionis Sacramentum olei unctione, & oratione perficiebat. Verum forma Sacramenti Extremæ unctionis, aliquando verbis indicativis concepta erat, quemadmodum est ista, quæ in antiquis Ritualibus reperitur: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ut more militis uncti, præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates:* & alia hujusmodi. *Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversus varias catervas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Sed & in his ponitur apprecatio atque petitio. Sive ergo forma Sacramenti Extremæ unctionis concipiatur verbis indicativis, sive deprecativis, valet Sacramentum, quia & forma indicativa æque oratio est, ac deprecativa, atque tantum accidentaliter distingvuntur. Unde S. Bonaventura ait: *Forma verbi non est necessaria ratione vocis exterioris, sed prout est expressiva verbi interioris.* Attamen Ecclesia Græca semper, Latina vero multis abhinc sæculis, sola forma deprecativa utuntur.

AR-

ARTICULUS 2dus

De Ministro, effectibus Sacramenti Extremæ unctionis, & quibus illud applicandum sit.

Quæres 1mo. Quis sit Minister Sacramenti Extremæ unctionis?

Resp: Soli Sacerdotes ſunt Miniſtri Sacramenti Extremæ Unctionis. Et id expreſse tradit S. Jacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Jam vero omnes SS. Patres, quotquot prædicta verba S. Jacobi exposuerunt, per Presbyteros Ecclesiæ non alios intellexerunt, quam Sacerdotes legitime ab Episcopis ordinatos, unde etiam tota antiquitas, ſolos veros Sacerdotes ad hoc Sacramentum adminiſtrandum adhibuit, nec ullum reperire est vestigium, exemplumque à Senioribus Laiicis hoc Sacramentum fuiſse adminiſtratum. Merito itaque Concilium Trident: Seſs: 14. Can: 4. sic decrevit: *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos eſse ad infirmum inungendum hortatur, non eſse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, ſed ætate Seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ unctionis Ministrum non eſse ſolum Sacerdotem, anathema sit.*

Dices. Ipsam nominis etymologiam attendendo, Presbyter idem est ac Senior, cum itaque S. Jacobus Presbyteros ad infirmum adducendos eſse dicit, Seniores & natu in populo majores, intelligit.

Resp: S. Jacobus Apostolus non simpliciter Presbyteros ad infirmum adducendos eſse ſcribit, ſed *Presbyteros Ecclesiæ:* in ſacris vero litteris per Presbyteros Ecclesiæ, illi ſoli intelliguntur, qui ad Sacerdotalem dignitatem rite ab Episcopis promoti ſunt. Et vero, omnia quæ iisdem Presbyteris S. Jacobus injungit, nonnisi veris Sacerdotibus convenire poſsunt. Scilicet jubet ut ſuper infirmum orent, eum in nomine Domini oleo ungant, remiſsionem peccatorum tribuant. Hæc vero propria sunt Sacerdotum, nec usquam illa in Ecclesia Catholica Laici usurpaverant.

Quæres 2do. An plures Sacerdotes ad conficiendum Extremæ unctionis Sacramentum ſunt omnino neceſsarii, an ſufficit unus?

Resp: Sufficit unus, quia Innocentius I in Epist: ad

ad Decentium scribit, ab Episcopo Sacramentum Extremæ unctionis administrari posse, neque plures convocare jubet, quod & nimis arduum, ac maxime difficile foret. Plura etiam supponunt exempla, Sacramentum Extremæ unctionis antiquitus ab uno administratum fuisse. In vita S. Augendi qui sæculo 6. vixit, legimus, quod ab uno Sacerdote petiit, *ut moris est*, inungi. S. Artemon ab uno Sacerdote Nepotiano, sacro oleo perunctus est, cujus rei fidem facit S. Gregorius Turonensis. Prudentius Tricassinus solus Beatæ Mauræ, unctionem extremam contulit. Plurima alia exempla in Ecclesiastica historia reperire facile est. Denique Ecclesia Latina ubique terrarum ab uno Sacerdote hoc Sacramentum administrari jubet, & semper sic administratum fuisse constat ex antiquissimis libris Ritualibus. Potest ergo Sacramentum Extremæ unctionis, ab uno Sacerdote rite administrari, & id definivit Alexander 3. Papa qui Pontifex creatus est anno 1159, tandem Concilium Trident: Sess: 14. Can: 3. his verbis decrevit: *Si quis dixerit, Extremæ unctionis ritum, & usum, quem observat S. Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque â Christianis absque peccato contemni, anathema sit.*

Objicies 1mo. Innocentius Papa in Epist: ad Decentium Episcopum, de sacra unctione, Chrismatisque oleo, ita scribit: *Quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus Christianis uti licet in sua aut suorum necessitate inungendo.* Ergo aut illa unctio pure erat cæremonialis, sanitati corporeæ inserviens, & quivis Fidelium poterat illius esse Minister. 2do. Venerabilis Beda Comment: in Caput 5. S. Jacobi, infirmos adhortatur, *ut Seniorum adjutorio curari se meminerint, neque ad juniores, minusque doctos causam suæ imbecillitatis deferant.* 3tio. ex historia Ecclesiastica docemur, olim à piis quoque Laicis saucti olei unctionem infirmis datam fuisse, ex quo deinde sanati sunt, ut constat ex vitis Sanctorum Macharii apud Palladium, Eutychii Constantinopolitani, Martii Abbatis apud Gregorium Turonensem, quem refert, *quartanis, tertianisve febribus, infuso benedicti olei liquore, mederi solitum fuisse.* 4to. Jacobus Apostolus non unum Sacerdotem ad infirmum conducendum mandat, sed plures Presbyteros inducendos præcipit.

Resp: ad 1mum. Verba Innocentii accipi debent in passiva, non autem in activa significatione, ita ut sensus sit,

sit, non solum Sacerdotes, sed omnes omnino fideles, quando infirmantur, inungi à Sacerdotibus posse, statim namque subjungit summus ille Pontifex: *Cæterum illud superflue videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non est dubium, nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt.* Quo in loco, ut ostendat Episcopos unctionem dare posse, à Presbyteris argumentatur, qui cum minus Episcopis sint, id tamen possunt. At si Laicos id quoque facere posse putavisset, longe validius ab illorum exemplo argumentum ducere potuisset.

Ad 2dum. Venerabilis Bedæ mens patet ex verbis subsequentibus. Inquit enim: *Et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum. Hoc & Apostolos fecisse in Evangelio legimus, & nunc Ecclesiæ consvetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur à Presbyteris, & oratione comitante sanentur.* A Presbyteris ergo sacram unctionem juxta Ecclesiæ consvetudinem dari, affirmat Beda, non vero à Laicis. Merito autem scripserat, in infirmitate advocandos esse Seniores & doctos, quia non de infimitate tantum corporis, sed & animæ rem esse putat, in utraque autem ad Seniores & doctiores recursus habendus est.

Ad 3tium. Illæ unctiones non erant Sacramentales, sed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, & ex meritis ungentium, vel oleum mittentium consequebatur effectus sanitatis corporalis per gratiam sanitatum, non autem per gratiam sacramentalem. Et nunc etiam apud Græcos, & apud Latinos aliquæ unctiones à Laicis etiam fieri solent cum oleo lampadum, quæ coram sanctis imaginibus ardent.

Ad 4tum. Adducere Presbyteros idem est, ac adducere aliquem ex Presbyteris. Neque novum est, in sacra Scriptura, ut numerus pluralis pro singulari usurpetur. Ita S. Augustinus libro 5. de Consensu Evangelistarum, illud Mathæi Cap: 27. in quo dicitur: *Latrones qui crucifixi erant, cum eo improperabant ei:* ita cum S. Luca conciliat, qui asserit hoc ab uno tantum Latrone factum esse, ut quod ab uno factum est, recte quasi à multis factum esset, censetur.

Quæres 3tio. Sacramentum Extremæ unctionis quibus applicandum est?

Resp:

Resp: Nonnisi adultis & infirmis applicandum est. Et id constat ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ Extremam unctionem nonnisi adultis, & infirmis dare consvevit. Atque hoc habet B. Jacobus Apostolus dicens: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Et certe Innocentius I. S. Jacobi sententiam de ægrotantibus intelligendam esse docet, quod non minus evincitur ex Sacramentario Gregorii Magni, atque ex Pænitentiali Theodori Cantuariensis, qui septimo sæculo floruit, ubi statuitur: *Infirmis in periculis mortis positis*, hoc Sacramentum esse conferendum, atque sic decernunt Concilia multa, Catallonense, Ticinense, ac præcipue Tridentinum Sess: 14. Cap: 3.

Quæres 4to. Qui sunt effectus Sacramenti Extremæ unctionis?

Resp: Præcipui hujus Sacramenti effectus sunt quatuor: 1. Remissio Peccatorum. 2. abstersio reliquiarum peccati, scilicet hebetudinis, & animi torporis, quæ per peccatum causantur. 3. alleviatio, seu erectio animi, viriumque spiritualium confortatio. 4. sanitatis restitutio, si id saluti infirmi expediat.

TRA-

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO MATRIMONII.

Matrimonium Sacramentis novæ legis postremo loco accensetur, quod ideo ita nuncupatum est, quoniam eum in finem mulier viro nubere debet, ut mater fiat. Aliis etiam nominibus Matrimonium appelari ſolet Dicitur siquidem *conjugium*, quasi à communi jugo, cui ſponte conjuges se submittunt. Vocatur etiam *nuptiæ*, à velo quo nubentis virginis caput obvolvebatur. Jam vero à Græcis, ac aliis Orientalibus, Matrimonium vocatur, *coronæ impositio*, quia viris & fæminis nubentibus, coronæ imponebantur.

CAPUT PRIMUM

De natura, institutione ac proprietatibus Matrimonii.

Matrimonium tripliciter spectari potest, scilicet: ut contractus naturalis, civilis, & ut est Sacramentum. Ut contractus naturalis, matrimonium est à Deo institutum in officium naturæ ad propagandum genus humanum. Ut est contractus civilis, juxta proprias locorum leges constitui debet, & ad Reipublicæ pacem, tranquillitatemque ordinatur. Denique ut est Sacramentum, Conjuges gratia exornat, & Ecclesiam prole pie educata ditat, atque carnali concupiscentiæ medetur.

ARTICULUS 1mus

De natura, & institutione Matrimonii.

Quæres 1mo: Quid sit Matrimonium?

Resp: Matrimonium, si ſpectetur ut pure contractus, est *maritalis viri & mulieris conjunctio, in dividuam vitæ retinens consvetudinem.* Est igitur 1. *conjunctio,*

ctio, quia matrimonii natura consistit, in nexu & vinculo, quod ex mutuo contrahentium consensu exoritur. Unde verum potest esse Matrimonium sine carnali congreſsu, & reipsa inter Adamum & Evam in Paradiso terrestri, verum fuit Matrimonium, quod ipse Deus conjunxit, cum scilicet Evam Protoparens noster intuitus dixit Gen: cap: 2. *Hoc nunc os ex oſsibus meis. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Attamen nullus fuit inter Adamum & Evam carnalis congreſsus in Paradiso, ſed tunc tantum cum inde propter peccatum ejecti fuiſsent, ut constat ex Genesis Cap: 4. *2do:* est conjunctio *maritalis*, legitima scilicet Mariti & uxoris copulatio, quo ab illicitis carnalibus; aliisque quibusvis conjunctionibus secernitur, quare requiruntur Personæ ad contrahendum Matrimonium habiles, quibus nimirum nec humanæ, nec divinæ obstant leges, quominus Matrimonium contrahant. *3tio:* Est conjunctio: *Viri & mulieris*, quia Matrimonium eſse nequit nisi inter personas diversi ſexus, & quia inter unum Virum, & unam tantum mulierem, juxta primævam Dei institutionem contrahi debet, ut videlicet duo sint, in carne una. *4to:* Tandem individuam vitæ societatem retinere debet. Contractus siquidem matrimonialis partium consensu, ut alii contractus, diſsolvi nequit, ſed ad mortem usque alterius Conjugis perdurare debet. Quod si vero Matrimonium ſpectetur ut est Sacramentum, sic communiter definitur: *Est novæ legis Sacramentum, arctiſsimo vinculo fideles conjuges uniens, ac gratiam tum ad fortiter connubii onera perferenda, casteque se diligendos, tum ad liberos sancte educandos, ipsis neceſsariam, tribuens.*

Quæres 2do: Utrum Matrimonium bonum sit, ac licitum?

Resp: Nihil est tam absurdum, quod ſuos non habeat patronos, ac propugnatores. Id sicut aliis rebus, ita Matrimonio contingit, quod Hæreticorum nonnulli veluti rem impiam, ac nefandam convitiis ſuis proscindebant, abominabanturque, tales erant Simon Magus, Saturninus, Marcion, Manichæi & alii. Sed detestanda horum aſsertio, jure omni, ab omnibus proscribitur. Ipsum siquidem naturæ lumen ostendit, discriminis ſexuum finem nuptias eſse, quibus humanum genus conservatur, propagaturque, ac ſusceptæ proles aluntur, custodiuntur, bene recteque instituuntur, nec non ad Societatis munia obe-

unda

unda aptæ, atque idoneæ redduntur. Deus quoque ipse naturæ Auctor, masculum & fæminam creavit, benedixit eis, atque ut crescerent, augerenturque præcepit. Et vero Deus ipse est matrimonii institutor, ipse ex costa Adami edificavit Mulierem & adduxit ad eum, unde Christus Math: Cap: 19. ait: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, quæ vero à Deo instituta ſunt, neceſsario bona ſunt. Certe Christus nuptias præsentia ſua non cohonestaſset, insigni miraculo eas non illustraſset nisi licitæ, & sanctæ eſsent. Unde præclare Sanctus Augustinus Tract: 9. in Joan. sic ait: *Quod Dominus invitatus venerit ad nuptias, confirmare voluit quod ipsæ fecit nuptias.* Idem multis in locis docet Apostolus Paulus, ſed præcipue 1. Corinth: 7. *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit.* Hebr: Cap: 13. matrimonium dicit: *Honorabile connubium in omnibus.* Hinc idem Apostolus hæreticos mox recensitos prædamnavit 1. Timoth: Cap: 4. his verbis: *In noviſsimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes doctrinæ dæmoniorum, prohibentium nubere.* Quæ autem pejor, quam doctrina dæmoniorum?

Quæres 3tio: Utrum status virginitatis, & continentiæ, melior sit & perfectior statu conjugali?

Resp: Reipsa melior est, & perfectior. Et id aperte docet Apostolus. 1. Corinth: Cap: 7. dicens: *Qui matrimonio jungit virginem ſuam bene facit, & qui non jungit, melius facit*, atque beatiorem fore dicit illam mulierem, quæ non nubit, ſed juxta ipsius consilium sic permanet, in ſua perseverans virginitate. Præterea multa ibidem virginitatis & continentiæ enumerat emolumenta, connubii proponit incommoda, tandem ad continentiam exhortans, non tamen illam præcipiens, sic concludit: *Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis inijciam, ſed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbet sine impedimento Dominum obsecrandi.* Eandem veritatem SS. Patres deprædicant, maxime ii, qui Jovinianum Hæresiarcham, quod nuptias cælibatui æquaret, exagitarunt Ambrosius, Hieronymus, & alii qui virginitatem, continentiamque collaudant, ſupra connubium efferunt, eique anteponunt. Sufficit unum adduxiſse Hieronymum qui libro I. contra Jovinianum sic ait: *Neque nos Marcionis, & Manichæi dogmata ſectantes, nuptiis detrahimus. Non ignoramus honorabiles nuptias, & thorum immaculatum. Sed ita nuptias recipimus, ut virginitatem quæ de nuptiis nascitur, præferamus.* Unde merito Concilium Trident:

Seſs:

Seſs: 24. Can. 10. sic decrevit: *Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum eſse statui virginitatis, vel cælibatus, & non eſse melius, ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit.*

Dices: Status continentiæ præcepto divino adversatur, Genesis Cap: 1. *Crescite, & multiplicamini.*

Resp: SS. Augustinus, & Hieronymus censent, ſupra citatis verbis: *Crescite, & multiplicamini*, statim ſubsequentia adjungenda eſse *& replete terram*, scilicet istiusmodi præceptum ad generis humani exordia pertinuiſse, quando nempe terra habitatoribus erat vacua, nunc vero repleta hominibus terra, amplius non tenere, unde & Christus qui Matrimonii institutionem in Paradiso factam corroboravit Math: Cap: 19. illos laudavit, qui se ipsos propter Regnum Cælorum castraverunt, hoc est: intuitu mercedis æternæ castitatem ſervant. Et Paulus I. Corith: Cap: 7. scribit: *Dico non nuptis & viduis. Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.*

Quæres 4to: *Matrimonium estne verum novæ legis Sacramentum?*

Resp: Matrimonium verum eſse Sacramentum negavit Lutherus, & Calvinus, ac alii eorum aſseclæ. Catholici omnes propugnant, illud eſse verum novæ legis Sacramentum. Id vero ex Scripturis sacris & SS. Patrum testimoniis comprobatur. Et quidem S. Paulus Epistola ad Ephesios Cap: 5. sic ait: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, quia membra ſumus corporis ejus. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Ex quibus duo manifeste constant *1mo*: Matrimonium significare miram illam unionem quæ est inter Christum & Ecclesiam, quod clare significant verba Apostoli dicentis: *Sacramentum hoc magnum est in Christo & in Ecclesia. 2do:* Hoc signum non eſse pure ſpeculativum, ſed & practicum, gratiæ scilicet productivum, siquidem Apostolus ex eo, quod Matrimonium inter fideles contractum representet, atque significet unionem Christi cum Ecclesia, exhortatur Viros ut uxores ſuas diligant, non quoquomodo, ſed *sicut Christus dilexit Ecclesiam*, amore videlicet casto, ac Sancto. Igitur ex mente Apostoli fidelibus ſponsis per contractum Matrimonium infunditur gratia sanctæ charitatis, castusque ac purus

amor

amor, quo se invicem diligant. Quod vero præstantissimam charitatis infundit gratiam, sine ullo dubio verum est Sacramentum. Matrimonium ergo fidelium, verum est novæ legis Sacramentum. Et hoc argumento utitur Concilium Trident: Sess: 24. ut Matrimonium contra Hæreticos adstruat esse verum novæ legis Sacramentum, ait enim: *Gratiam vero quæ naturalem amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor, sua nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit, dicens. Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, mox subjungens. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Cum igitur Matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia prestat, merito inter novæ legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres nostri, Concilia & universalis Ecclesiæ traditio, semper docuerunt.* Censent itaque Patres Concilii Tridentini, Paulum Apostolum illis verbis: *Viri diligite uxores vestras*, innuere gratiam, quæ naturalem Conjugum amorem perficeret, & in dissolubilem illorum unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, Christum passione sua promeritum fuisse, hancque gratiam Matrimonio fidelium annexam esse, hoc veteribus conjugiis præstare, ac proinde merito inter novæ legis Sacramenta annumerari debere. Adductis itaque Apostoli verbis, recte probatur Matrimonium verum esse novæ legis Sacramentum.

Et vero, Matrimonium fidelium non eam solum significat unionem, qua Christi divinitas humanam assumens naturam, Ecclesiæ conjunctus est, ipsiusque Caput effectus, nos autem membra illius, sed & illam repræsentat unionem, qua ei per ardentissimam charitatem conjunctus fuit, cum *seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret*, ut ibidem dicit Apostolus, & per gratiam efficeret sibi sponsam gloriosam. Duplicem itaque hanc Christi cum Ecclesia unionem, ut Matrimonium fidelium vere repræsentet ac significet, non solum corpora Conjugum strictissimo vinculo conjungere debet, ut duo una sint caro, sed ut etiam per gratiam sanctæ dilectionis id præstet in Conjugibus, quatenus sint unius spiritus, cor unum, & anima una. Quare merito Apostolus, fidelium conjugium *Sacramentum magnum* esse dixit, non tantum propter magni mysterii significationem, in Christo scilicet, & in Ecclesia, sed etiam quia virtute divina mirabiles parit

in

in Conjugibus fidelibus effectus, mutuum illis sanctum infundens amorem, castam dilectionem. Unde Concilium Coloniense anno 1536. celebratum docet, in Conjugio: *accedente Sacerdotali precatione, dari donum Spiritus Sancti, quo vir uxorem diligat amore casto.*

Sed eadem veritas SS. Patrum testimoniis confirmatur. Tertullianus libro 2. ad uxorem sic ait: *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, & obsignat benedictio.* Siricius Papa Epist: I. Cap: 4. inquit: *Illa benedictio quam nupturæ Sacerdos imponit, apud Fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgreſsione violetur.* S. Ambrosius Epist: 19. ad Vigilium ita scribit: *Conjugium velamine Sacerdotali, & benedictione sanctificari oportet* & libro 7, de Abraham Cap: 7. ait: *Si quis alienum thorum polluit, peccat in Deum, cujus legem violat, gratiam ſolvit, & ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium.* S. Augustinus libro de bono conjugii Cap: 18. sic inquit: *In Christianorum nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.* & iterum: *In nuptiis bona nuptialia diliguntur, proles, fides, Sacramentum.* Innocentius, I. Epist: 9. ad quemdam scribens, qui uxore pristina in captivitatem abducta, aliam sibi copulaverit, sic ait, *statuimus fide catholica ſuffragante, illud eſse conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum.* Ultimo S. Clemens Alexandrinus libro 2. in Joannis Caput 22. ita ait: *Ipse Christus invitatus venit ad nuptias, ut generationis humanæ principium ſanctificaret, iis quoque qui postea nascituri eſsent, gratiam præstrueret, & eorum ortum ſanctum efficeret.* Ex quibus sic argumentari licet. Ritus sacer, ritus qui annexam habet gratiam, ritus qui simpliciter dicitur Sacramentum, totam habet veri Sacramenti rationem. Porro ex adductis SS. Patrum testimoniis, Matrimonium est ritus sacer, quia inter sacra celebratur, sacerdotali benedictione consignari debet, est ritus habens annexam gratiam, quia divina gratia fundatur, humanæ generationis principium illa sanctificatur, & ideo dicitur simpliciter Sacramentum. Est ergo verum novæ legis Sacramentum. Merito itaque decrevit Concilium Trident: Seſs: 24. Can: I. *Si quis dixerit, Matrimonium non eſse vere & proprie unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, neque gratiam conferre, anathema sit:* & hanc ipsam doctrinam annis 124. prius tradidit Eugenius

4.

4. Papa in suo pro Armenis edito Decreto, ubi Conjugium veris novæ legis Sacramentis accenset, quæ *gratiam continent, & digne suscipientibus conferunt.* Idem erat sensus Concilii Constantiensis. Sed his Conciliis antiquior Lucius 3. Romanus Pontifex, qui obiit 1183. Cap: 9. de Hæreticis sic ait: *Qui de Sacramento Corporis & Sangvinis D. J. Christi vel de Baptismate, seu de peccatorum confessione. Matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis, aliter sentire, aut docere non metuunt, quam S. Romana Ecclesia prædicat, vinculo perpetui anathematis eos innodamus.*

Sed & Ecclesia Græca semper credidit, Matrimonium verum esse novæ legis Sacramentum. Namque SS. Clemens Alexandrinus, Basilius Magnus, scribunt, Conjuges à Præsbytero benedici debere, benedictione Sacerdotali copulari consvevisse, quare in omnibus Græcorum, Coptorum, Jacobitarum, Syrorum, aliorumque Euchologiis, præscriptum est, ut Sacerdotes Matrimoniis fidelium assistant, illa benedicant, & super sponsos preces fundant, quibus gratia Divina invocatur. Doctissimi etiam quique Græcorum, Simeon Thessalonicensis, Gregorius Protosincellus, Meletius Sirygius, & alii, inter septem Ecclesiæ Sacramenta, inter Sacrosancta Christi Ecclesiæ mysteria, Matrimonium numerant, & constituunt.

Dices. Nonnulli Theologi, Scriptoresque Ecclesiastici qui sæculo 13. floruerunt, SS. Thomas, Bonaventura, Durandus, Scotus, Lombardus, Sacramentum Matrimonii minime agnoverunt.

Resp: Dogma fidei Catholicæ, quo confitemur Matrimonium verum esse novæ legis Sacramentum, fundatur in sacris litteris, ac traditione, atque eo ipso tempore, quo nonnulli Scriptores in dubium vocabant, an Matrimonium esset Sacramentum, Ecclesia in Conciliis, ac Romani Pontifices in suis decretis, Matrimonium novæ legis esse Sacramentum prædicabant. SS. Thomas & Bonaventura pro hac veritate stabant, nonnisi, Scholasticorum tricis illa paulisper obscurata, contrarium sentientibus notam hæreseos, privata auctoritate non audebant impingere.

Quæres 5to· Quænam est illa gratia, quam Sacramentum Matrimonii confert Sponsis?

Resp: Qui purgata à peccatis anima, à labe vitiorum immunes, Matrimonii Sacramentum suscipiunt, & Conjugium secundum Christi institutionem ineunt, ii non solum recipiunt gratiam, qua jam antea adepta justitia augescit,

sed

ſed etiam acquirunt jus ad Divina conſequenda auxilia, quæ ad pie, ſancteque in Matrimoniali statu vivendum, ſunt neceſsaria, atque proficua. Et hæc est Sacramentalis gratia, huic Sacramento propria. Quamobrem Matrimonii Sacramentum, confert Sponsis virtutem ne immoderato, ac effræni concupiscentiæ, impetu permoveri ſe sinant carnis tribulationem de qua Paulus loquitur I. Corinth: Cap: 7. levius perferant, immunditiam fugiant, fidèmque sibi mutuo datam, ſervent. Efficit non minus, ut quæ matrimonium comitantur ærumnas, atque nuptiale jugum constanti animo perferant, pacem & tranquillitatem ſervent. Tribuit denique ut ſe mutuo sincere, ac ſancte diligant, liberosque ſuos, pie ac christiane edoceant.

Quæres 6to: Quando Christus Sacramentum Matrimonii instituerit?

Resp: Christum Matrimonii Sacramentum instituiſse indubitatum est, quod & à Concilio Tridentino Seſs: 24. definitum, ac decretum est. Sed quo tempore id à Christo factum fuerit, non est compertum. Nonnulli Theologi censent, matrimonium fuiſse á Christo tunc institutum, cum ipse dixerat Math: Cap: 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Verum eo tempore Salvator poligamiam abrogavit, ac vinculum matrimonii tam arctum eſse ex ſua institutione ostendit, ut diſsolvi nequeat, non tamen tunc conjugium ad dignitatem Sacramenti evexit. Verisimilior proinde aliorum est ſententia, qui docent in Cana Galilæa Christum matrimonii Sacramentum instituiſse cum Nuptiis interfuerat, Joan: Cap: 2. tunc enim ut multi SS. Patres ſcribunt, Nuptiis benedixit, easque ſanctificavit.

ARTICULUS 2dus

De Matrimonii proprietatibus.

Quæres 1mo: Quæ ſunt Matrimonii proprietates?

Resp: Duæ ſunt præcipuæ matrimonii proprietates, unitas, & indiſsolubilitas. Unitas matrimonii, quæ aliter dicitur *Monogamia*, est unius tantum viri, cum una muliere maritalis conjunctio. Huic vero opponitur *Polygamia*, ſeu pluralitas uxorum, quando vir plures ducit uxores. Et hæc vel *simultanea* est, quando vir plures actu habet uxores, aut mulier plures detinet maritos, vel *ſucceſ-*

cessiva, quando vir una defuncta uxore, alteram ducit, diciturque *Bigamia* & qui duas unam post alteram accipit uxorem, *Bigamus* vocitatur. Indissolubilitas autem matrimonii in eo posita est, quod nexus & vinculum Conjugum, quo simul conjuncti, & colligati sunt, solvi, & abrumpi nequeat.

Quæres 2do: Quæ sunt circa Polygamiam opiniones?

Resp: Quod attinet Polygamiam simultaneam, aliter de muliere, aliter de viro, etiam antiqui senserunt, & recentiores sentiunt. Mulieris quippe polygamiam, juri naturali adversari, communis sensus est. Sed de viri polygamia, non idem est judicium, cum in veteri Testamento tot illius exempla, in viris etiam sanctissimis occurrant. Verum alii putant, illam reipsa juri naturali adversari ac proinde in veteri lege nonnisi ex Divina dispensatione permissam Patriarchis fuisse, alii vero censent, ipsam juri naturali non esse contrariam, sed à Christo in nova lege severe prohibitam. Attamen Lutherus, & nonnulli ipsius asseclæ, tum etiam Anabaptistæ docent, polygamiam simultaneam viri, in lege evangelica permitti posse. Polygamiam tandem successivam seu Bigamiam, damnarunt olim Montanistæ, quorum deliramenta amplexus est Tertulianus. Montanistis vero adhæserunt postea Novatiani.

Quæres 3tio: Quid ergo tenendum est de Polygamia simultanea?

Resp: De polygamia simultanea hæc certa tenenda sunt. *1mo:* polygamiam simultaneam mulieris, ut una simul plures habeat viros, semper & ab omnibus habitam fuisse tamquam maximum scelus, & reipsa illa adversatur primario matrimonii fini, qui in prolis generatione consistit: experientia enim ipsa docet, mulieres quæ publicis libidinibus expositæ sunt, & meretricio quæstu infames sunt, prole ut plurimum carere, & ex promiscua cum pluribus commixtione, vix unquam eas progignere, idque difficile accidere posse, Physicæ periti norunt. Deinde cum ita prolis, si quæ esset, incertus pater reddatur, semper enim incertum foret ex quo viro proles nata sit, ac propterea nec pater prolem, nec proles patrem sciret, ideoque mulieris simultanea polygamia, etiam secundario matrimonii fini repugnat, qui est, ut suscepta proles â suis genitoribus alatur, & educetur. Hinc patet quo loco habenda sit sententia Platonis, qui uxores omnibus communes esse voluit, propterea ab Aristotele confutatus fuit. Quare mulieris simultaneam polygamiam, turpem esse

ſolo rationis ductu Ethnici Scriptores agnoverunt. Unde id Gelliæ exprobrat Martialis.

Mæchum Gellia non habes, nisi unum.
Turpe est hoc magis uxor es duorum.

2do: Polygamia simultanea viri, ut unus plures simul habeat uxores, juri naturali simpliciter, & absolute non repugnat, quia nec primario, nec ſecundario matrimonii fini adversatur, cum vir unus pluribus fæcundandis mulieribus ſufficere potest, & plurium liberorum educationi invigilare valeat, neque etiam vitam ſocialem destruit, aut mutua impedit obsequia, cum rixosa una mulier & tractari difficilis, multo plus domesticæ tranquillitati obsit, quam duæ aut tres pacificæ uxores & si quando inter illas ſuboriantur jurgia, Vir, ut caput familiæ, eas inter, ut etiam inter domesticos, & liberos pacem componere poterit. Unde S. Augustinus de bono conjug: Cap. 17. sic ait: *Plures feminas uni viro* (copulatas) *legimus, neque enim contra naturam nuptiarum est.*

Et vero quod absolute, & simpliciter juri naturali contrarium est, illud intrinsece malum est. Quod autem intrinsece malum est, illud Deus nunquam permittere potest. Cum itaque Deus veteribus Patriarchis, & universis Judæis, pluralitatem uxorum permiserit. Evidens est, simultaneam Viri polygamiam, absolute, & simpliciter juri naturali non repugnare. Verum tamen ipsa juri naturali minus congruit. Enimvero quod obstat ne naturæ finem ſuum perfecte aſsequatur, id juri naturali minime congruere censetur. Porro polygamia simultanea obstat, ne natura in matrimonio finem ſuum perfecte aſsequatur. Pluralitas siquidem uxorum, difficiliorem reddit numerosæ prolis ſuſtentationem, & magis adhuc æducationem. Minus favet paci domesticæ, cum ex illa nascantur rixæ inter conjugæs, ac zelotypia, ut patet exemplis Saræ, & Agar, Liæ & Rachelis etsi Sorores fuerint, Annæ, & Phenennæ, inter quas rixæ, invidiæ multæ erant. Vir enim unus nec potest omnes æque amare uxores, neque illæ æqualiter eum diligere, et quæ plus amarentur, injustum in alias imperium exercere vellent, quæ minus diligerentur, invidia, odio, zelotypia perpetuo angerentur, atque inde turbæ, & diſsensiones neceſsario prodirent. Neque etiam inter diversarum Matrum prolem, diu staret concordia. Certe inter filios Jacob ex Lia progenitos, & Josephum ac Beniamin ex Rachaele propagatos, non modica fuit contentio.

Et vero quod à primæva sui institutione, quæ certe juri naturæ consentaneissima erat, deficit, imperfectum est, juri naturæ minus congruit. Porro polygamia à primæva matrimonii institutione deficit. Deus enim tum verbo, tum facto, cum esse debere perfecti matrimonii statum ostendit, ut unus uni copularetur, siquidem & unam Adæ uxorem creavit, & per os Adæ edixit: *Erunt duo in carne una*, duo inquam non tres aut quatuor in carne una. Unde Tertullianus Cap: 8. in Exhort: Castit: ait: *Duabus maritatus tres in unam efficit carnem.*

Quæres 4to: Utrum Polygamia veteribus Patribus reipsa fuerit à Deo permissa?

Resp: Fuit reipsa illis â Deo permissa, quia Abraham, Jacob, plures simul habuerunt uxores, neque unquam ob id alicujus peccati à quocunque coarguebantur, nec ob hanc causam, sanctitatis ac justitiæ laudem amiserunt, cum ipse Christus futurum affirmet Math: Cap. 8. ut electi in Regno Cælorum recumbant cum Abraham, Isaac, & Jacob. Sed præterea alii viri pii, & â Deo insigniter benedicti, plures simul uxores habuerunt. Sic I. Regum Cap: I. & 2. Elcana habuit duas uxores. Davidi 2. Regum Cap: 2. *fuerunt duæ uxores Achinoa, & Abigail:* Sic etiam 2. Paralip. Cap: 24. Joas Rex Juda *fecit quod bonum est coram Domino. Accepit autem ei Joiada uxores duas*, quas non dedisset ei Princeps Sacerdotum vir pius, si id illicitum & lege prohibitum fuisset. Et vero, Polygamia veteri lege non erat Judæis prohibita, quia hac de re nulla apud Moysem extat prohibitio, imo Moyses supponit illam in Gente sua fuisse communem. Nam Deuter: Cap: 21. ita statuit: *Si habuerit homo duas uxores, unam dilectam, & alteram odiosam, genueritque ex ea liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum:* quo statuto Deus per Moysem tacite polygamiam Judæorum approbasse censendus est. Quare polygamia nullibi Judæis tamquam facinus aliquod fuit à Prophetis objecta. Unde SS. Patres Tertullianus, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, & alii docent, veteres Patriarchas qui polygami fuerunt, nullo se peccato obstrinxisse, plures enim uxores habebant Deo sic disponente ut fidelis populus augeretur, & quia ut inquit Augustinus hoc *gentis illius ætas sinebat, & temporis ratio svadebat.*

Dices. Genesis Cap: 23. dicitur: *Dedit Abraham*

 cun-

cuncta, quæ possederat Isaac, filiis autem concubinarum, largitus est munera. Si concubinæ, ergo veræ uxores non erant, cum quibus legitimum maritale commercium haberi potsit. Unde & Joan: Cap: 8. Judæi ut demonstrent se descendere non ex Agar, pellice Abrahæ, sed ex Sara vera illius uxore, sic inquiunt: *Nos ex fornicatione non sumus nati.*

Resp: Nomine concubinæ, non semper intelligitur inhonesta mulier, ad illicitos concubitus adhiberi solita, sed aliquando apud veteres, & frequenter in sacris Scripturis usurpatur pro vera uxore, quæ procreandæ prolis accipiebatur, sed secundi ordinis erat, atque primariæ uxoris ancilla fuerat, liberi ejus nullum jus ad paternam hæreditatem habebant, si primaria prolem haberet, unde de Agare dicitur Gen: Cap: 21. *Ejice ancillam & filium ejus, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Atque sic Agar & Cethura dicuntur Abrahæ concubinæ, quod & inde comprobatur, quod quæ in uno loco dicuntur concubinæ, in alio simpliciter appellantur uxores, sic Genes. Cap: 16. Agar dicitur Abrahæ uxor & Cethura Gen: Cap: 24. pari modo uxor simpliciter appellatur. Et Judicum Cap: 19. unica cujusdam Levitæ conjux, & uxor & concubina vocatur, dicitur enim de illo: *accepit sibi uxorem concubinam de Bethleem Juda*, concubina quidem vocatur, sed vera uxor erat, at nonnisi secundi ordinis, atque sine solemnitate ducta.

Ad id quod additum est de Judæis, hæc est responsio. Idololatria sæpissime in sacris Scripturis fornicationis nomine designatur, & hoc vocabulo illa Judæis à Prophetis exprobratur, Judæi ergo Christo respondentes, dicunt se Patrem Abraham habere: *Pater noster Abraham est*: ac proinde se non descendere à Parentibus qui cum Diis alienis fornicati essent, non propterea ex fornicatione natos, sed ab Abraham, aliisque Patriarchis, qui unum semper Deum coluerunt, descendere. Unde concludunt: *Unum Patrem habemus Deum.*

At inquies. Cur ergo tanto crimini imputatum est Salomoni, quod plures habuerit uxores.

Resp: Salomoni crimini imputatum est, quod: *jam senex adamavit mulieres alienigenas multas*, ita ut ei fuerint *uxores quasi Reginæ 700. & concubinæ 300.* hoc ergo erat immane Salomonis crimen, quod mulieres alienigenas in uxores duxerit, quod severe erat â Deo prohibitum, & quod illarum numerum ad scandalum usque multiplicave-

ćaverit. At si Salomon intra limites Patris ſui David ſtetiſset, reprehensioni non fuiſset obnoxius.

Quæres 5to: In præſenti Evangelicæ legis statu, polygamia simultanea estne licita ac permiſsa?

Reſp: Polygamia simultanea in lege nova illicita est, eamque Christus abrogavit, ac ſevere prohibuit. Et id apertiſsime constat ex verbis Christi, qui Math: Cap: 19. sic ait: *Qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos: & dixit: propter hoc dimittet homo patrem, & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Quibus verbis Christus Matrimonium ad primævam revocat institutionem, juxta quam duo tantum non tres, aut quatuor erant in carne una, atque per hoc uxorum pluralitatem ſustulit & prohibuit. Quare Apostolus I. Corinth: Cap: 7. ait: *Propter fornicationem unusquisque uxorem ſuam habeat, & unaqueque ſuum virum habeat,* ad evitandam itaque fornicationem, iis qui ſe continere non poſsunt, permittit Apostolus, ut unusquisque uxorem habeat, ſed non uxores plures, & quemadmodum concedit, ut unaquæque ſuum virum, utique unum, non plures habeat, ita pariter indulget ut unusquisque ſuam habeat uxorem, similiter unam non plures. Et vero ſuperaddit ibidem Apostolus: *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro. Mulier ſui corporis potestatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis potestatem non habet, ſed mulier.* Si vir ſui corporis potestatem non habet, ſed mulier, quam in uxorem duxerat, illud ergo in plures uxores dividere nequit, alias uxorem ſuam fraudaret, ac quemadmodum totum corpus mulieris uni debetur viro, ita totum corpus viri, uni debetur mulieri, in illiusque est potestate, qua ipsa privari nequit. Sed & SS. Patres omnes unanimi consensu docent, polygamiam in nova lege illicitam & à Christo prohibitam eſse; quam in rem laudari præcipue poſsunt Ambrosius, Hieronymus, Innocentius I. & alii. Sufficit hic adduxiſse Nicolaum I. Papam qui ad consulta Bulgarorum reſpondens ait: *duas tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit.* Tandem, rem definivit Concilium Trident: Seſs: 24. Can: 2. his verbis: *Si quis dixerit, Christianis licere plures simul habere uxores, & hoc nulla divina eſse prohibitum lege, anathema sit.*

Quæres 6to: Polygamia ſucceſsiva estne licita?

Resp:

Resp: Polygamia ſucceſsiva ſub lege Evangelii licita est, tum mulieri, tum viro. Et id constat ex Apostolo Paulo qui I. Corinth: Cap: 7. ait: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat tantum in Domino*, & ibidem de Viduis inquit, *quod si non continent nubant. Melius est enim nubere, quam uri.* Quemadmodum vero mulier mortuo viro liberata est à lege maritale, & cui ipsa voluerit nubere potest, maxime si ſe continere nequeat, ita pariter & vir mortua uxore liberatus est à vinculo conjugali, & ipse ergo quæ ei placuerit, illam in matrimonium ducere potest. Licitæ ergo nec prohibitæ ſunt in nova lege ſecundæ, aut tertiæ Nuptiæ. Verum tamen vetustis temporibus ſevera erat Eccleſiæ diſciplina erga Bigamos. Namque I. pænitentia ipsis imponebatur, qua non niſi exacta, ad communionem Fidelium admittebantur. Sic enim statuit Concilium Laodicenum. Can: I. *De his qui ſecundum Eccleſiaſticam regulam libere, ac legitime ſecundis nuptiis juncti ſunt, oportet ut parvo tempore transacto vacent orationibus, ac jejuniis, quibus etiam, juxta indulgentiam, communionem reddi decrevimus.* Quamvis autem Ecclesia Bigamis pænitentiam imponebat, quia ferventiori abrepti concupiscentia ad ſecundas convolabant nuptias, illas tamen ratas eſse censebat, quia juxta Eccleſiaſticam regulam, libere, ac legitime contractas fuiſse declaravit 2. Bigami ad ſacros ordines ſemper irregulares habebantur, quod constat luculentiſsime ex Tertulliano, Origene & aliis. 3. Bigami ſpeciali Sacerdotis benedictione carebant. quod etiam ab Alexandro 3. in Synodo Lateranensi Œcumenica. 3. decretum est, & hucusque ſervatur.

Quæres 7mo: Quid de Matrimonii indiſsolubilitate dicendum est?

Resp: Matrimonium ſub duplici ratione conſiderari debet, *1mo:* prout est tantummodo *ratum*, & prout est etiam *consummatum*. Matrimonium est tantummodo *ratum*, quando ſecundum Eccleſiæ leges est contractum, est vero *consummatum*, quando post legitime contractum conjugalis ſubſequitur copula, illudque complet. *2do.* ſpectari matrimonium potest quoad *vinculum*, & quod *thorum*, matrimonii *vinculum* est nexus conjugum, quo ita ſecum copulantur, ut à ſe ipsis ſeparari & ad alias convolare nuptias nequeant, *thorus* mutuum contubernium, vitam ſocialem, cæteraque Conjugum officia designat. Unde

de duplici ratione matrimonium dissolvi potest, scilicet quoad vinculum, & quoad thorum. Matrimonium dissolvitur quo ad *vinculum*, quando ipse matrimonii nexus ita abrumpitur, ut Conjugibus ad alias Nuptias convolare liceat. Solvitur quoad *thorum*, quando manente Conjugii vinculo, à conjugalibus officiis & ab ipso contubernio Conjuges divelluntur.

Judæis permissum fuit â Moyse, certis de causis dato libello repudii, dimittere uxores suas, quo facto ad alias nuptias uterque Conjugum convolabant. Mens Lutheri fuit, pluribus de causis matrimonium, etiam quo ad vinculum dissolvi posse, nempe adulterii causa, ob molestam cohabitationem, injustam conjugis desertionem. Calvinus solum adulterii causam videtur admittere, insultatque Ecclesiæ Romanæ, quod vetuerit propter adulterium, vinculum matrimonii solvere. Græci in consvetudine habent causa adulterii, etiam quo ad vinculum matrimonium solvere, & ad novas Nuptias convolare. Concilium Tridentinum de matrimonii Sacramento pertractans, quod ad ipsius spectat indissolubilitatem, sic constituerat Can: 7. Sess: 24. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelium, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utramque, vel innocentem qui ansam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit: anathema sit.* Verum hoc Canone Græcorum consvetudo, etsi cum veritate haud cohereat, intacta relicta est, neque illi hæreseos nota inusta fuit, sed tantummodo Heterodoxos perstringit Concilium, illorumque errorem diris devovet, qui Ecclesiam Romanam erroris incusabant, quod propter adulterium, matrimonii vinculum dissolvi non permittat. Unde dogma fidei hac in re, in eo tantum consistit. *Ecclesiam non errare dum docet, matrimonium per adulterium non solvi*, quare multi Theologi censent hoc, quod in Ecclesia Latina matrimonium quo ad vinculum propter adulterium non dissolvatur, ad fidem non pertinere, sed tantum ad disciplinam.

Quæres 8vo: Utrum Matrimonii vinculum sit jure Divino indissolubile?

Resp: Matrimonium in nova lege jure Divino est indissolubile. Enimvero Christus. Math: Cap: 19. libel-

lum t

lum repudii, à Moyse propter duritiam cordis Judæis permissum abrogavit, matrimonium ad primævam revocans institutionem, immutabiliter constituerat, ut ruptis etiam naturalis addictionis, quæ Patri, & Matri omni debetur jure, vinculis, vir suæ uxori, & uxor suo indivulse adhæreat marito, adeo ut duo sint in una carne, ac tandem decretorie edixit: *quod Deus conjunxit, homo non separet*, quibus perennem matrimonii indissolubilitatem constituit. Et hanc matrimonii indissolubilitatem inculcat Apostolus multis in locis Epist: ad Rom: Cap: 7. sic ait: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*, quibus verbis docet Apostolus, matrimonii ligamen indissolubile esse, & nonnisi morte solvi. Præclare Augustinus libro 2. de Nuptiis adulterinis sic inquit: *Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Ergo consequenter & vir alligatus est, quamdiu mulier ejus vivit. Hæc alligatio facit, ut aliis conjungi sine adulterina copulatione non possint.* Traditam vero doctrinam repetit Paulus I. Corinth: Cap: 7. dum ait: *Iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro suo non discedere, quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Domini ergo præceptum est, Christi mandatum, ut uxor à marito suo non discedat, & vir uxorem suam non dimittat. Merito itaque Concilium Trident: Sess: 24. de matrimonii Sacramento Can: 5. sic constituit: *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum: anathema sit.* Quamquam vero jure divino matrimonii vinculum, generaliter loquendo indissolubile sit, sunt tamen quædam exceptiones, casusque particulares, in eodem jure divino expressi, in quibus matrimonii vinculum dissolvitur.

Quæres ymo: Qui ergo sunt illi casus, in quibus jure Divino Matrimonii vinculum solvi possit?

Resp: Istiusmodi casus duo sunt. *Primus* conversio infidelis, de quo sic habet Apostolus Paulus I. Corinth: Cap: 7. Et quidem primo fidelibus conjugatis præceptum Domini inculcat, ut nec vir uxorem suam, nec uxor maritum suum deserat. *Iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si disces-*

discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari, Et vir uxorem non dimittat, ubi evidenter Apostolus quando ex præcepto Domini prohibet, ne uxor à viro discedat, & vir uxorem ne dimittat, non separationem thori tantum prohibet, sed dissolutionem maritalis vinculi vetat, quare mulieri, quæ à viro discedit inculcat ut maneat innupta, aut viro suo reconcilietur. Deinde ex consilio sibi à Domino inspirato, hortatur virum fidelem, ut si habeat uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, ac pari modo, si mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. *Cæteris ego dico non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non domittat virum*; rationem vero dati â se consilii hanc Apostolus affert: *Sanctificatus est enim vir infidelis, per mulierem fidelem, sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* Porro sicuti præceptum Domini non solum thorum, sed & vinculum respicit matrimonii, ne illud dissolvatur, ita etiam consilium Apostoli fideli datum conjugi, ne infidelem dimittat compartem, si hæc consentit cohabitare, utrumque complectitur vinculum scilicet, & thorum, quod etiam ex adjecta conditione magis elucet, si inquam pars infidelis consentit, cum parte fideli cohabitare, quæ cohabitatio certe non domesticum solum innuit contubernium, sed & thori communionem, atque maritalis nexus persistentiam. Tandem postremo concludit Apostolus: *Quodsi infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Ex quo tale deducitur argumentum. Servitus de qua in his postremis versibus loquitur Apostolus, alia non est; quam lex illa & vinculum conjugii, de qua locutus est idem Apostolus, ad Romanos scribens Cap: 7. & à qua liberatur nonnisi cum mortuus fuerit vir ejus. Porro istiusmodi servituti non est subjectus fidelis, cum discedit infidelis. Ergo per discessum infidelis, fidelis non est amplius subjectus legi, nec ultro vinculo matrimoniali obstrictus. Et vero cum infidelis discedit, & fideli quoque permittit Paulus discedere, neque præcipit ut retineatur. Sed per istiusmodi discessum, nequit intelligi sola separatio quo ad thorum, sed etiam solutio maritalis vinculi. Quemadmodum enim in superioribus de Fidelium disserens matrimonio, dum prohibet uxorem à viro discedere, vinculum matrimonii,

tene-

tenere docet, unde ei, quæ pertinaciter contra factam prohibitionem discesserit, præcipit ut maneat innupta. Et pariter cum prohibet ne fidelis dimittat infidelem, si hic consentit cum illo habitare, tunc non solum communitatem thori, sed etiam ligamen matrimonii supponit subsistere, neque in tali casu illud solvi, unde & per mutuum contubernium asserit, virum infidelem sanctificari per mulierem fidelem, atque mulierem infidelem per virum fidelem. Igitur etiam quando permittit Apostolus fidelem discedere, cum ab eo infidelis discedit, non solum thori separationem permittit, sed & vinculi maritalis solutionem supponit. Et certe quantum attinet matrimonium fidelis cum infideli, duplicem proponit Apostolus casum. Primo quidem cum infidelis consentit habitare cum fideli, & in hoc casu, non quidem hortatur illum ut maneat in vinculo maritali, & cum infideli simul habitet. Secundo vero quando infidelis non vult cum fideli habitare, & in tali casu; declarat Paulus fidelem conjugem, non esse servituti subjectum, si infidelis discedit, discedat, ac proinde omne disrumpi maritale vinculum.

Et id confirmatur auctoritate, praxique, per plurima sæcula continuata. Gratianus qui floruit usque ad annum 1151. in suo Decreto Causa 28. Can: 2. quæst: 2. ita habet: *Si infidelis discedit odio Christianæ fidei, discedat: non est enim frater, aut soror subjectus servituti in hujusmodi, non est enim dimisso peccatum propter Deum, si cum alia se copulaverit. Contumelia siquidem Creatoris, solvit jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur. Infidelis autem discedens & in Deum peccat, & in Matrimonium, nec est ei fides servanda conjugii.* Post Gratianum eadem habet Innocentius 3. qui anno 1198, summus Pontifex creatus fuit. Cap: 7. de Divortiis, ubi hæc statuit: *Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia Divini nominis, vel ut eum pertrahat in peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit. Et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus. Si infidelis discedit, discedat.* Atque Innocentii statutum, secuta est Ecclesia, maxime Romana, hancque praxim Romani Pontifices decretis suis confirmarunt. Neque etiam supponendum est, Gratianum primo hanc opinionem invexisse, aut Innocentium cæco modo ejus auctoritatem secutum fuisse, siquidem in re tanti momenti invehi in Ecclesiam quidpiam novi non potest, sine contradictione, ac resisten-

stentia, nullus vero per octo sæcula invenitur Auctor qui contrarium scripserit ac docuerit, juste ergo præsumi debet, ante Gratianum & Innocentium hanc praxim viguisse & traditione à primis sæculis acceptam fuisse.

Objicies: Juxta Christi Oracula Marci Cap: 10. & Lucæ Cap: 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Idem tradit Apostolus Paulus, qui toties repetit mulierem alligatam esse legi, quandiu vir ejus vixerit, & nonnisi eo mortuo, ab istiusmodi lege solvi, ut possit nubere cui ipsa voluerit. Eadem docent omnes SS: Patres, neque ullus eorum, casum infidelis â fideli conjuge discedente excipit. Imo Hieronymus diserte hunc casum comprehendendo, ex præcepto Apostoli fidelem ab infideli non posse discedere affirmat, namqué libro 1. contra Jovinianum sic ait: *prœcipit ne credens repudiat non credentem*, & Augustinus libro 1. de Adulterinis coniugiis cap: 18. sic inquit: *Prohibet Apostolus consilio charitatis, quia infidelibus offert impedimentum salutis non solum quia perniciosissime scandalizantur offensi, verum etiam quia in alia conjugia cum ceciderint viventibus eis â quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime resolvuntur.*

Resp: Christi oracula & Pauli doctrina generalia sunt, exceptiones non patiuntur, nisi illas quas ipse & Paulo suggessit, & Ecclesiæ per Spiritum suum inspiravit. Porro Paulo suggessit, ut si infidelis discedit, discedat, servituti autem illius frater aut soror, non est subiecta, Ecclesiæ vero suæ inspiravit, ut si unus coniugum mundo moriatur, atque per sollemnia vota se Deo consecraverit, á lege coniugii liber maneat, quodsi in uno casu, cuius nulla in Sacris Scripturis mentio reperitur, exceptio tenet, quia de fide est: Matrimonium ratum per Religionis vota dissolvi, debet & in altero casu tenere, qui expresse Paulo à Christo suggestus fuit,

Porro testimonia SS. Hieronymi & Augustini, non sunt ad casum. Verum enim est secundum doctrinam Pauli, datumque ab ipso consilium, si infidelis consentit habitare cum fideli, ille ipsum dimitere non debeat, sed si infidelis non vult habitare cum fideli, aut nonnisi cum injuria Craatoris, ac ipse discedit, discedat, servituti ipsius fidelis subiectus non est. Et hoc Christum sapientissime constituisse, non solum in gratiam suæ religionis, sed magis in gratiam salutis suorum Fidelium, alioqui vir, aut mulier, quia fidem amplexa est perpetuæ continue-

continentiæ oneri, quod multis & durum, & periculosum est, subiacere debuiſset.

Quæres xomo: Quis est ille secundus casus in quo Matrimonii vinculum solvi poſsit?

Resp: Matrimonium nonnisi ratum, sed non consummatum, Religiosa profeſsione, etiam quo ad vinculum solvitur. Atque istud definivit Concilium Trident: Seſs: 24. Can: 6. his verbis. *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis profeſsionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Quod merito à Concilio Tridentino decretum est. Si quidem jam pridem ante illud Concilium, Matrimonium simpliciter ratum religiosa profeſsione diſsolvi consueverat, quod constat ex variis ſapientiſsimorum Romanorum Pontificum Decretis, quales fuerunt Leo, Innocentius III. & Alexander III. qui cap: 2. de Convers: Coniugatorum sic habet: *Post consensum legitimum de præsenti datum, licitum est alteri, altero etiam repugnante, Monasterium eligere, sicut quidam Sancti de Nuptiis vocati fuerunt, & dummodo inter eos carnis commixtio non intervenerit, & alteri remanenti, si commonitus servare noluerit continentiam, licitum eſse videtur, ut ad secunda vota transire poſsit.* Et hoc dogma semper in Ecclesia retentum fuit, quod manifestum efficitur ex pluribus Sanctorum factis, puta S. Theclæ, quæ ut scribit S. Epiphanius hæresi 78. *pactas nuptias dissolvit, cum primario cuidam Civitatis totius, desponsata jam fuiſset.* S. Grogoriæ, quæ ut refert S. Gregorius Magnus lib: 3. Dialog: Cap: 14. *constitutis jam nuptiis in Ecclesiam fugit, & sponsum habere meruit in cœlo, quæ sponsum fugit in terra.* S. Edilfridæ, quæ ut scribit Venerab: Beda lib: 4. Histor: Angl: Cap: 19. relicto Egfrido Anglorum Rege, monasticam vitam amplexa est, uti jam aliquoties ab aliis factum erat. Porro hæc conjugia quo ad vinculum soluta fuiſse inde patet, quia Egfridus aliam duxit uxorem nomine Ermenburgam, nullo Pastorum reclamante; & his Sanctorum exemplis inniki Pontifices declararunt, licere sponso derelicto, alias inire nuptias. Nusquam vero eo deveniſsent, nisi Traditione perpetua, saltem orali didiciſsent, Matrimonium in tali casu rescindi.

Et certe sic institui decuit à Christo Religionem, ut nemini damnosa, aut invisa efficeretur. Fuiſset vero invisa, & damnosa, si sponsum in sæculo manentem, neque continentiæ idoneum, à nuptiis in perpetuum abstinere

nere cogeret. Sane ut Matrimonium ratum religiosa profeſsione dirrimatur, satis est: ut sub hac solum conditione á Fidelibus contrahatur. Jam vero ex S. Thoma Doctore quæst: 61. Art: 2. Matrimonium sub ea solum conditione â Fidelibus initur, si interea, antequam consumetur, alter conjugum ad frugem melioris vitæ convolet. Ergo posito quod alter conjugum ad frugem melioris vitæ convolaverit. Matrimonij vinculum diſsolvitur.

Dices: Adducta Sanctarum mulierum exempla, ſunt extra rem, quia prioribus Ecclesiæ sæculis nullus erat Religiosus Ordo.

Resp: Prioribus Ecclesiæ sæculis nullus quidem fuit Religiosus Ordo, ſecundum præsentem formam à Concilio Lateranensi 4. præscriptam, at fuit quo ad ſubstantiam. Enimvero ſubstantia Ordinis Religiosi posita est, in cælibatu, ac omnimoda continentia, in Superiori legitimo exacta obedientia, & usu boni temporalis, dependenter ab ejus voluntate. Porro facile credi potest, sanctas fæminas, quæ à pactis conjugiis ante coitum receſserunt, castitatem omnimodis Deo conſecraſse, Episcopis ad unguem obtemperaſse, & pro illorum arbitrio, vel renunciaſse facultatibus ſuis, vel iis nonnisi, dependenter ab eorum arbitrio usas fuiſse. Et vero illa Virginum conditio, quæ primis etiam sæculis in Ecclesia conservabantur, nihil differt à præsenti Religiosa profeſsione.

Quæres 22mo: An etiam per adulterium ab uno Conjugum commiſsum, vinculum Matrimonii diſsolvatur?

Resp: Vinculum maritale non diſsolvitur propter adulterium alterius Conjugis. Enimvero Matrimonii vinculum indiſsolubile est, extra casus in sacris Scripturis, aut Traditione expreſsos. Porro per adulterium Matrimonii vinculum diſsolvi, neque in Scripturis sacris, neque in Traditione expreſsum invenimus; imo SS. Patres & Concilia contrarium docent, scilicet vinculum Matrimonii per adulterium non solvi S. Joannes Chrysost: Homil: 17. in Caput 5. Math: scribens de eo, qui uxorem propter adulterium dimiserat, sic loquitur: *Ille, etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum, quod adulteram fecit ex conjuge ſua*, cum hæc nimirum alteri nupserit, & iterum sic inquit: *Hic vero accipiendo alienam, adulter effectus est. Neque enim mihi referas, quia illam alter ejecit, nam expulsa quoque uxor eſse ejus, qui eam expulit, perseverat:* Præterea Homil. 62. docet *mulierem*

lierem etiam omni nequitia plenam, eſse perpetuo retinendam, quamvis onerosum illud & durum videatur. S. August: libro 1. de Conjug: aduli: Cap: 8. sic inquit: *Majus est adulterium uxore non fornicante dimiſsa, alteram ducere, quam si fornicantem quis dimiserit, & hanc alteram duxerit, non quia & hoc adulterium non est, ſed quia minus est, ubi fornicante dimiſsa, ducitur altera.* Concilium Elibritanum. Can. 9. ita decernit, *Fidelis fœmina, quæ adulterum maritum reliquerit, & alterum ducit, prohibeatur, ne ducat, si autem duxerit, nón prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de sæculo exierit.* Concilium Florentinum in ſuo Decreto ita habet: *Quamvis ex causa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est.* Tandem Concilium Trident: Seſs: 24. Can: 7. sic definivit: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit aut docet, juxta Evangelium, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non poſse diſsolvi: anathema sit.*

Obijcies: Math: Cap: 19. sic ait Christus. *Quicunque dimiserit uxorem ſuam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſsam duxerit, mœchatur.* Quibus verbis manifeste docet Christus, uxorem propter adulterium dimitti poſse, & aliam duci, clariſsime ergo hic ponitur & hæc à statuta Matrimonii indiſsolubilitate exceptio, si inquam alter Conjugum adulterium commiserit.

Resp: Duo Pharisæi à Christo ſua interrogatione exquirebant. Primum an liceret juxta legem Moysis dare uxori libellum repudii, & alteram ducere. Secundum, an id facere liceat, quacunque de causa. Corruptus siquidem inter Judæos invaluerat mos, quacunque levi etiam ex causa, dimittendi uxores ſuas, & alias ducendi, cum tamen Moyses nonnisi ob graviſsimas causas, & quidem ad duritiam cordis Judæorum, id fieri permiſerit. Christus ergo ad duplex quæsitum, duas dedit responsiones. *Ad 1mum*: quidem respondit, sine adjecta fornicationis causa, mulierem non eſse dimittendam, vinculum Matrimonii eſse indiſsolubile, libellum repudii eſse abjiciendum, ut quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, quare statim præmonet, quod qui dimiserit uxorem ſuam, vinculumque Matrimonii rumperet, facit eam mæchari, & qui dimiſsam duxerit, pariter mæchiæ reum eſse. *Ad secundum* vero respondet, non licere uxorem dimittere quacun-

eunque ex causa, ſed ſolum graviſsima ex ratione, videlicet ex causa fornicationis perpetratæ, & hoc fieri permittit, non ipsum Matrimonii vinculum ſolvendo, ſed tantum à thoro Matrimoniali sese ſeparando: prius siquidem ad primum quæsitum respondendo, libellum repudii abrogaverat, ad primævam institutionem Matrimonium revocavit, & indiſsolubilitati ipsius consulens, mandavit: ut quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Quare Christi verba duo continent, scilicet datur facultas dimittendi uxorem propter adulterium, & prohibetur alteram ducere, unde adjecta clausula, *excepta fornicationis causa*, prius afficit, non vero posterius. Quibus Christus Matrimonii conditionem stabilem constituit, vinculum, & thorum corroboravit, etiam quo ad thorum non quacunque ex causa, ſed propter adulterium tantum uxorem dimittere permittendo, & tunc etiam dimiſsam manere innuptam præcipit. Atque hoc modo recte convenit S. Mathæus cum Marco, & Luca Evangelistis, Marcus siquidem & Lucas absolute, & sine adjecta fornicationis causa referunt Christum dixiſse: *Quicunque dimiserit uxorem ſuam, & aliam duxerit mæchatur. Et si uxor dimiserit virum ſuum, & alii nupserit mæchatur.* Marci Cap: 10. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mæchatur, & qui dimisſam à viro ducit mæchatur.* Lucæ Cap: 16 Quorum textus cum clariores sint testu Mathæi, per illos hic, illustrari debet, ac propterea, si agatur de vinculo Matrimonii, concordiſsime omnes tres Evangelistæ Mathæus, Marcus, atque Lucas, Christi afferunt oraculum, nulla adjecta fornicationis exceptione, quod qui dimiserit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimiſsam duxerit, adulterat, si vero agatur de Matrimonii thoro, stat juxta Mathæum Christi mandatum, non quacunque ex causa dimittendam eſse uxorem, ſed propter fornicationem dimitti poſse, ita tamen juxta Apostolum Paulum illam debere innuptam manere, aut viro ſuo reconciliari. Atque sic omnes SS. Patres Christi verba intellexerunt, eaque interprætati ſunt. Sic Augustinus libro I. de Adult: Conjug: Cap: 9. *Qui ergo nos ſumus, ut dicamus, est qui mæchatur uxore ſua dimiſsa, alterum ducens, & est, qui hoc faciens non mæchatur, cum Evangelium dicat, omnem mæchari; qui hoc facit.* Et Patres Concilii Milevitani anno 416. celebrati, sic statuunt, Can: 17. *Placuit, ut ſecundum Evangelicam, & Apostolicam disciplinam, neque dimiſsus ab uxore, neque dimiſsa â marito,*

to, alteri conjungantur, ſed ita maneant, aut sibi reconcilientur.

CAPUT SECUNDUM

De Materia, forma, atque Ministro Sacramenti Matrimonii.

Quodlibet Sacramentum à Christo Domino institutum, tria neceſsario habet, materiam, formam, & Ministrum. Cum itaque Matrimonium verum sit novæ legis Sacramentum, illa tria, materiam scilicet, formam, ac Ministrum habere debet.

ARTICULUS 1mus

De materia, ac forma Sacramenti Matrimonii.

Quæres 1mo: Quæ sit materia Sacramenti Matrimonii?

Resp: Materia Sacramenti Matrimonii ſunt actus contrahentium, quibus & mutuum consensum designant, mutuamque sibi matrimonialem ſpondent fidem: ſeu paucis verbis rem totam complectendo, contractus matrimonialis juxta leges initus, & signis exterioribus manifestatus, est materia Sacramenti Matrimonii. Matrimonium siquidem aliud non est, quam mutuus virum inter ac mulierem contractus, quo maritalem ac individuam sibi appromittunt vitæ societatem, ratio tantummodo Sacramenti ei ſuperadditur, quia illum Christus Sacramentum eſse voluit. Actus igitur sive verba, sive etiam nutus, quibus Matrimonium ineuntes ejusmodi contractum perficiunt, Sacramentumque benedictione Sacerdotali completum ſuscipiunt, rationem materiæ hujusce Sacramenti habere putantur. Unde & S. Thomas Doctor. 3. part. quæst: 84. art: 1. sic ait: *In illis Sacramentis quæ habent effectum correspondentem actibus humanis, ipsi actus humani ſunt loco materiæ, ut accidit in Pœnitentia, & Matrimonio.*

Quæres 2do: Qualis debet eſse istiusmodi Matrimonialis contractus?

Resp:

Resp: Ut Sacramentum Matrimonii subsistat, debet istiusmodi contractus juxta Ecclesiæ leges constitui, quare si fiat contra Ecclesiæ statuta, erit irritus, atque invalidus, ac proinde nullum erit Matrimonii Sacramentum, quia materia ipsius, quæ est contractus legitime inter virum, ac mulierem initus, tunc deficiente autem materia, nullum Sacramentum perfici potest.

Quæres 3tio: Quæ sit forma Sacramenti Matrimonii?

Resp: Cum materia Sacramenti Matrimonii, sita sit in iis actibus, quibus conjuges Matrimonialem inter se contractum constituunt, ac perficiunt, forma igitur ejusdem Sacramenti, reponenda est in iis verbis, quibus Sacerdos Conjugibus benedicendo, matrimonialem illorum contractum confirmat, atque ratificat. Et id maxime congruit menti Patrum Concilii Tridentini, qui Sess. 24. de Reformatione Cap: 1. præcipiunt ut *Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* Quare in omnibus Ritualibus præscribuntur certa verba, quibus Sacerdos contrahentibus Conjugibus benedicit, eorum Matrimonium ratificat, ac confirmat, recte ergo illa formam hujus Sacramenti constituere dignoscuntur.

Quæres 4to: Potestne Ecclesia circa Matrimonium aliquas condere leges, statuere impedimenta?

Resp: Cum moderni Hæretici, Matrimonium Sacramentum esse, pertinaciter negent, atque illud nonnisi profanum ac civilem contractum esse reputent, ideo etiam omnem de Matrimoniis cognitionem, non ad Ecclesiasticos, sed ad civiles Judices pertinere dicunt, Ecclesiæquè potestatem denegant, leges circa matrimonia condendi, impedimenta statuendi. Hos errores Concilium Tridentinum Sess: 24. damnavit sequentibus Canonibus, 4to: qui his verbis conceptus est: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* & 12. tenoris sequentis. *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit.* Certe cum Matrimonium verum sit novæ legis Sacramentum, necessario consequitur Matrimonium potestati Ecclesiasticæ subiacere, atque Ecclesiam posse circa Matrimonium leges opportunas condere, impe-

impedimentaque etiam dirimentia, statuere. At Joannes Launoius, celebris Scriptor, inconsiderate affirmare ausus est, omne jus circa Matrimonium, Principibus Sæcularibus competere, & nonnisi ex illorum indulgentia & præcario, Ecclesiam hac potestate uti, fabulatur.

Quæres 5to: Utrum reipsa habeat Ecclesia potestatem per ſeipsam leges condere, & impedimenta matrimonii statuere?

Resp: Habet indubitate. Enim vero hanc potestatem & à Christo accepit, & primis statim Ecclesiæ sæculis eam exercuit. Certe impedimentum ligaminis, abolito repudii libello, Christus constituit, Marci Cap: 10 & Lucæ Cap: 13. *Omnis qui dimiserit uxorem ſuam, & aliam duxerit mœchatur.* Paulus Apostolus I. Corinth: Cap: 7. de matrimonio fidelium tractans, prohibet: ne mulier à viro ſuo discedat, quodsi discesserit, debere innuptam remanere, de infideli vero disponit, si discedit, discedat: & prius Cap: 6to damnat ac reprehendit matrimonium incestuosi Corinthii, quod uxorem patris ſui habere non erubuerit. Christus autem & Apostoli hanc potestatem jure hæreditario Ecclesiæ reliquerunt, quamque ipsa semper exercuit, quod ex innumeris patet Conciliis: Sic Concilium Ancyranum anno 314. celebratum Can: 2. raptus impedimentum constituit. Concilium Neocæsariense eodem tempore habitum Can: 2. jubet: ut inter affines Matrimonium non contrahatur. S. Basylius Epistola I. Canonica ad Amphilochium, impedimentorum Voti, Raptus, & Affinitatis mentionem facit, atque de hoc ultimo ita scribit: *Sanctiones istæ, â sanctis nobis ſunt viris traditæ.* Concilium etiam Generale Chalcedonense anno 451. hoc Decretum emisit: *Sancimus Virginem, quæ se Domino Deo dedicavit, similiter ac monachos, non licere Matrimonio conjungi, si vero hoc feciſse inventi fuerint, excommunicentur.* Tandem Synodus Trullana Can: 53. Matrimonio impedimentum affinitatis spiritualis apposuit. Ex his ergo manifeste efficitur, Ecclesiam tradita sibi â Christo ad constituenda Matrimonii impedimenta potestate, à ſui exordio usam fuiſse. Id ipsum Traditione non interrupta confirmatur. Enimvero: Tertullianus libro de corona militis Cap: 13. commemorat, impedimentum quod ex Religionis disparitate oritur. Syricius Papa in Epist: I. ad Himerium Tarraconensem statuit: non licere Matrimonium inire cum puella, quæ alteri desponsata fuit.

Inno-

Innocencius I. Epist: ad Victritium Rotomagensem Episcopum, impedimentum voti, ab Ecclesia constitutum rursus confirmat, & Epist: 9. ad Probum, impedimentum ligaminis, nova sanctione corroborat. Leo Magnus in Epist ad Anastasium Thessalonicensem negat Subdiaconis Matrimonium concedendum esse, & in Epist: ad Rusticum Narbonensem, impedimentum conditionis agnoscit. Tandem Gregorius 5tus, sub finem Sæculi X. in Concilio Romano, decretum tulit contra Robertum Regem Francorum, quo declaravit irritum esse Matrimonium illius, cum Berta consangvinea sua contractum.

Et certe, cum omnem in res spirituales potestatem Christus Ecclesiæ suæ concessit, quæ necessaria est ad optimam Fidelium gubernationem, ad mores illorum sancte, & pie componendos, uno verbo quæ necessaria est ad salutem animarum comparandam. Hujusmodi autem est potestas ferendi leges, quæ spectant publicam Sacramentorum admistrationem, nuptiarum sollemnitatem, & conditiones quibus fideles possint eas licite, & valide contrahere. Pendet enim ut plurimum tota vitæ ratio, ac ipsa salus æterna, ex Matrimonio debite, vel indebite contracto, neque dici potest, minus pertinere ad Ecclesiam, quam ad Principes sæculares, providere de illa optima contrahendi Matrimonii ratione, unde cælo acquiruntur fideles, ut & Regno, cives adoptantur.

Dici itaque nequit Ecclesiam leges circa Matrimonia condendi, & impedimenta statuendi, potestatem precario à sæcularibus Principibus accepisse, aut illam sibi contra eorum jura usurpasse. Quia *1mo.* Ecclesia à sui exordio hac potestate semper usu est, cum adhuc Imperatores, Regesque infideles essent, illam ergo ipsi precario concedere non poterant. *2do.* Nunquam ostendi potest tempus, quo Ecclesia hac potestate, aut ex Principum beneficio, concessam accepit, aut contra eorum jura usurpatione sibi arrogavit, Quod enim semper usa est Ecclesia, id juxta sapientissimam S. Augustini regulam, Christus Apostolis, Apostoli Ecclesiæ tradiderunt. *3tio*: Quoties Principes sæculares Matrimonia contra Ecclesiæ præscripta inire voluerunt, à Romanis Pontificibus dispensationem expostularunt, qui etiam inita illegitime à Principibus connubia reprehenderunt, & pro muneris sui ratione recognoverunt. Cujus rei innumera habemus exempla.

Obijcies 1mo: Deus ipse in Levitico præscripsit, cum quibus Matrimonium contrahi posit, cum quibus non posit. Ecclesia ergo contra divinum præceptum facit, si alia apponat impedimenta, præter descripta in Levitico. *2do:* Matrimonium est contractus Civilis, Ecclesia autem non habet potestatem de rebus civilibus ordinandi, sed id ad sæculares pertinet Principes. Per constituta ab Ecclesia impedimenta, etiam civilis Matrimonii contractus corruit, saltem ergo indirecte Ecclesia hoc pacto in civilia potestatem sibi usurpat, quo jura Principum læduntur. *3tio:* Sacramenti Matrimonii substantia in mutuo Conjugum contractu consistit, estque illius materia. Cum autem Ecclesia nullam habeat potestatem in substantiam Sacramentorum, nequit per oppositionem impedimentorum, efficere, ut mutuus Conjugum contractus, qui antea validus esset, & ad contrahendum Matrimonium sufficiens, expost sit invalidus, & minime sufficiat.

Resp: Ad 1mum: Licetsi in Levitico Deus pro veteri lege aliqua impedimenta præscripserit, non tamen vetuit, ne alia in nova lege adderentur. Quia in veteri etiam lege, post tempora Moysis, alia impedimenta, iis, quæ in Levitico annotata sunt, adjecta fuerunt.

Ad 2dum: Matrimonium est quidem contractus civilis, sed est etiam Sacramentalis. Prout ergo est contractus civilis, subjacet civili ordinationi Principum sæcularium, prout vero est Sacramentum, subest Ecclesiasticæ jurisdictioni. Quod vero per opposita impedimenta, non solum Sacramentum Matrimonii corruat, sed etiam civilis concidat contractus, id ex eo provenit, quia Sacramentum Matrimonii in mutuo Conjugum contractu fundatur; quæ ergo Matrimonialem contractum destruunt, Matrimonii etiam Sacramentum irritant. Hunc vero contractum matrimonialem non attingit Ecclesia, quatenus ipse ad effectus pure Civiles ordinatur, sed tantummodo prout ad effectus spirituales refertur, & prout ipse Sacramentum constituit, ac proinde per hoc nullam sibi Ecclesia in civilia arrogat potestatem, sed eam intactam Principibus sæcularibus relinquit.

Ad 3tium: Ecclesia non mutat Sacramenti substantiam, si contractui conjugali, ut validus sit, aliquas conditiones præscribat, quæ vel ad impedienda mala, aut ad augendum spirituale Conjugum bonum, maxime faciunt. Christus quippe constituit civilem contractum pro materia

teria Sacramenti matrimonii, ſed minime determinavit, qualis eſse deberet, & quibus conditionibus fieri eum oporteat, ut ille legitimus ac firmus habeatur, ſed id, ut opportune decerneret, Eccleſiæ ſuæ reliquit, quæ itaque dum certas conditiones ad conjugalem contractum exigit, & illas ipsi apponit, materiam Sacramenti non mutat, illa enim ſemper eadem est, scilicet mutuus Conjugum contractus, juxta leges legitimus, ac validus.

Quæres 6to: Quid ergo poſsunt ſæculares Principes circa Matrimonii impedimenta?

Resp: Principes ſæculares, per se potestatem habent ad Reipublicæ utilitatem ea statuere atque contractui matrimoniali apponere, ob quorum defectum, nullos ille effectus civiles pariat. Sicut enim Matrimonium, prout est Sacramentum, ab Ecclesiæ potestate dependet, ita etiam quatenus contractus est civilis, Sæculi Principibus ſubijcitur. Unde præclare S. Thomas Doctor scribens in libros 4. Sentent: dist: 34. quæst: 1. art. 1. ait: *Matrimonium, in quantum est in officium naturæ, statuitur jure naturæ, in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili, in quantum est Sacramentum, statuitur jure divino. Et ex quolibet dictarum legum, potest persona effici ad Matrimonium illegitima.* Et vero cum Matrimonium uti est contractus Civilis, sit totius Reipublicæ fundamentum, illius erit ad bonum totius Communitatis ordinare, cui cura Communitatis commiſsa est. Hanc vero Principibus sæcularibus competere, nemo dubitavit. Poſsunt ergo illi leges opportunas circa matrimoniales contractus ineundos, constituere. Unde Imperatores, & Principes Christiani, multas leges circa matrimonialem contractum constituerunt, impedimenta quædam ipsi apposuerunt, quemadmodum id apertiſsime evincitur ex Codice Theodosiano, & Justiniano, has autem leges non solum Ecclesia non reprehenderat, ſed potius SS. Patres, atque Romani Pontifices illas laudarunt. Ita Theodosii legem, qui matrimonium inter consobrinos vetuerat S. Ambrosius Epist. 66. ad Paternum laudavit. Et S. Augustinus lib: 17. de Civit: Dei Cap: 16. de eadem constitutione sic ait: *Quis dubitet honestius hoc tempore etiam consobrinorum prohibita eſse conubia.* Syricius Papa in Epist: ad Himerium, Monachorum, & Monialium matrimonia proscribens, inquit: *Quod & publicæ leges, & Ecclesiastica jura condemnant.*

Sed

Sed & Patres Concilii Milevitani 2di, edita lege, ut maritus, qui se ab uxore sejunxisset, ea vivente alteram non duceret, statuerunt supplicandum esse Imperatori, ut idem juberet. Concilium quoque Lateranense l. postquam Canone 5. vetuerat matrimonia inter consangvineos, id corroborat auctoritate legum civilium, quia nimirum id *& divinæ, & sæculi leges prohibent.*

Objicies: Si ita est, contingere aliquando potest, Matrimonium esse irritum in ratione contractus civilis, quod tamen validum est in ratione Sacramenti, si nempe Princeps sæcularis aliquod impedimentum dirimens Matrimonio apponat, quod Ecclesia non probat. Hoc autem valde absurdum foret, & in tali casu nullum censeri deberet etiam Sacramentum Matrimonii, nam contractus civilis, qui est hujus Sacramenti materia, tunc irritus est lege Principis.

Resp: Nullum est absurdum, si in foro conscientiæ valeat matrimonium, quod juxta divinas, & Ecclesiasticas leges est contractum, & in foro externo irritum sit quo ad effectus scilicet civiles, quia contra civiles leges fuerat initum. Neque tunc corruit Sacramentum Matrimonii, quia eo in casu contractus civilis per contractum naturalem, scilicet per mutuum Conjugum consensum, suppletur, licetsi ergo contractus matrimonialis in eo casu quasi irritus secundum leges civiles censeatur, quia nullos effectus civiles parit, in se tamen validus est. Sed jam religione, ac pietate Principum diu factum est, ut ipsi nulla Matrimonio apponant impedimenta, & ipsis annuentibus, jus impedimenta Matrimonium dirimentia statuendi, à sola exerceatur Ecclesia.

ARTICULUS 2dus

De Ministro Sacramenti Matrimonii.

Quæres 1mo: Quid de Ministro Matrimonii sentiant Theologi?

Resp: Theologi omnes in duas hac in quæstione abeunt partes. Alii volunt ipsos contrahentes esse Ministros, ita ut aut eorum quivis sibi Sacramentum administret, aut alter alteri, vir uxori, uxor marito. Et hujus opinionis fautores fuerunt vix non omnes veteres Scholastici. Alii

ex

ex adverso tenent, Sacramenti Matrimonii Ministrum esse Sacerdotem, & his temporibus ea ſententia ita gravioribus arridet Theologis, ut plane contrariæ opinioni prævaleat. Et reipsa longe probabilius est, Ministrum Sacramenti Matrimonii ſolum eſse Sacerdotem.

Quæres 2do. Quibus argumentis probatur, Sacramenti Matrimonii ſolum Sacerdotem eſse Ministrum?

Resp: Multis id evincitur argumentis. Et quidem 1mo. Ille est Sacramenti Matrimonii Minister, qui ſolus est Minister benedictionis qua Matrimonium obsignatur, ſanctificatur, gratia Sacramenti confertur. Porro ex Patribus, benedictione Sacerdotali Matrimonium obsignatur, ſanctificatur, gratia Sacramenti confertur. Tertulianus libro 2. ad Uxorem, inquit: Matrimonia fidelium *Ecclesia conciliat, benedictio obsignat.* S. Ambrosius Epist: 19. ait: *Ipsum conjugium velamine Sacerdotali, & benedictione, ſanctificari oportet.* Atque istiusmodi benedictio Sacerdotalis & pro ſacra ſemper à Patribus & Conciliis reputata est, & constanter in Ecclesia adhibita fuit. Unde Syricius Papa Epist: 1. docet ipsam sine ſacrilegio nulla poſse trangreſsione violari, & Concilium Carthaginense præcipit, ut propter illius reverentiam, nocte ipsam ſubsequente, in virginitate Sponsi permaneant. Constanter etiam in Ecclesia adhibita est, illius siquidem meminit Clemens Alexandrinus libro 3. Pædagogi, ubi illas carpit mulieres, quæ alienis capilliciis exornatæ, ad recipiendam à Presbytero nuptialem benedictionem accedunt, unde ait: *Cui manum imponet Presbyter, cui benedicet, non mulieri quæ est ornata, ſed alienis capillis, & per ipsos alteri capiti.* S. Basilius libro 7. in Examerон testatur, per benedictionem Sacerdotalem, ſponsos copulari consveviſse. Unde Can: 2. C. XXX. quæst: 5. statutum est: *Nullus fidelis occulte nuptias faciat, ſed benedictione accepta à Sacerdote, publice nubat in Domino.* Et hoc primis etiam Ecclesiæ ſæculis statutum & usitatum fuit, quare S. Ignatius Martyr in Epistola ad Polycarpum ita ſcribit: *Decet ut ſponsi, & ſponsæ, de ſententia Episcopi, conjugium faciant, quæ nuptiæ sint ſecundum Dominum.*

2do. Idem probatur ex continua Traditione. Quotquot enim ante Scholasticos de Sacramento Matrimonii ſcripserant, simul etiam de benedictione Sacerdotali veluti ad ipsum omnino neceſsaria, locuti ſunt, nullus vero ostendi potest Ecclesiasticus scriptor, qui prioribus decem Sæ-

culis

culis asseruerit contrahentes Matrimonium, esse illius Ministros, quare multa Ritualia, signanter Romanum Anno 1494. collectum, Sacerdotem Sacramenti Matrimonii Ministrum esse indicant & supponunt. Certe inauditum est in Ecclesia veteri, quod simplex Laicus, imo & fœmina, possit esse publicus, ac solemnis alicuius Sacramenti Minister, cum certum fixumque in Sacris Scripturis habeatur, Apostolos, eorumque successores Episcopos scilicet, & Presbyteros constitutos esse Ministros, & dispensatores Mysteriorum Dei. Hinc præclare S. Thomas Doctor libro 4. contra Gentes Cap: 78. sic inquit: *Matrimonium inquantum ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet ut subjaceat regimini Ecclesiastico, ea autem quæ populo per Ministros Ecclesiæ dispensantur, Sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur est Ecclesiæ Sacramentum, unde & quædam benedictio per Ministros Ecclesiæ adhibetur.*

3tio. Tandem Concilium Tridentinum Sess: 23. anno 1563. celebrata de Refor: Matrim: Cap: 1. satis clare insinuat, Sacerdotem esse Sacramenti Matrimonii Ministrum, sic enim statuit: *Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* Neque enim Concilium Parochi præsentiam ad Matrimonium celebrandum præscribit & requirit solummodo tamquam testis, non vero tamquam Ministri Sacramentum conficientis, quia præter Parochum, alios exigit testes, & Parocho præscribit formam qua uti debeat in celebrando Matrimonio conjungendique Sponsis, quæ forma neque præscriberetur, neque foret necessaria, si Parochus in celebrando Matrimonio testem solum agere deberet, non Ministri fungi officio; unde idem Concilium eodem in loco, ad celebrandum Matrimonium semper præsentiam requirit Parochi, vel de ipsius, aut Ordinarii licentia, alterius Sacerdotis. Unde subsequentia Concilia Remense, Turonense, Cameracense, Rotomagense & alia bene multa, Parochos ministros Sacramenti Matrimonii esse dicunt.

Objicies 1mo: Eugenius 4. in Armenorum instructione, ita definiat de Matrimonio agens: *Causam ejus efficientem regulariter esse mutuum consensum per verba de præsenti.* Ille autem est Minister Sacramenti, qui illud efficit.

efficit. Porro ex Eugenio, Sacerdos Matrimonii Sacramentum non efficit, sed Contrahentes per verba de presenti mutuum suum significantes consensum. Illi ergo sunt hujus Sacramenti Ministri. *2do*: Clandestina Matrimonia rata, ac valida fuerunt, antequam à Concilio Tridentino irritarentur, quod etiam ab eodem Concilio exprefse declaratum fuit. Porro Matrimonia Clandestina sine Sacerdote, sine ipsius benedictione celebrabantur. Non ergo Sacerdos, aut ejus benedictio ad validitatem Matrimonii omnino tunc necefsaria efse censebatur.

Resp: ad 1mum. Eugenius loquitur de causa Matrimonii ut est contractus, qui per verba de præsenti mutuum consensum inter Sponsos designantia, perficitur, & hujusmodi contractus, reipsa causa funt contrahentes. At si in Matrimonio ratio Sacramenti consideretur, causa efficiens est Sacerdos, qui juxta Concilium Tridentinum, Sponsos in Matrimonium conjungit, & juxta Rituale Romanum, illud nomine Ecclesiæ confirmat, ac benedicit, atque fua benedictione contractum Matrimonialem ad rationem Sacramenti elevat. Neque his contrarium Eugenius insinuavit, imo iis favet: In fuo namque pro Armenis efformato Decreto, hoc posuit principium: *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & intentione Ministri.* In omnibus Sacramentis Minister conficiens Sacramentum est distinctus à fuscipiente illud, materia distincta est à forma. Hæc igitur etiam in Sacramento Matrimonii verificari debent. Porro si non Sacerdos, fed Contrahentes efsent Ministri Sacramenti Matrimonii, iidem efsent conficientes, & recipientes Sacramentum, verba quibus Sponsi mutuum exprimunt consensum, erunt materia simul & forma hujus Sacramenti. Quod quia implicat, non contrahentes, fed Sacerdos est Minister hujus Sacramenti.

Ad 2dum. Matrimonia clandestina ante Concilium Tridentinum rata, ac valida fuerunt, fed folum in ratione contractus Civilis, non vero in ratione Sacramenti, ideoque talia Matrimonia, ut inquit Concilium: *S. Dei Ecclesia ex justis causis femper detestata est, atque prohibuit.* Pofse autem in Matrimonio rationem contractus civilis à ratione Sacramenti fejungi, res est quæ in controversiam vocari nequit, quod vel ex eo patet, quod in iis locis ubi Concilium Tridentinum quoad disciplinam non est receptum, etiam modo clandestine, & sine Sacerdo-

te contracta Matrimonia, valeant in ratione Contractus, non in ratione Sacramenti. Jam vero nusquam Concilium Tridentinum declaravit, Matrimonia Clandestina olim contracta fuiſse tamquam Sacramenta valida, cujus rei testis luculentiſsimus est Pallavicinus, qui libro 23. Cap. 9. hæc affirmat: *Nunquam declaravit Concilium, Clandestina Matrimonia fuiſse Sacramenta, adeo ut graves Theologi id negent*, & Melchior Canus, celebris Theologus, qui Concilio Tridentino interfuit, hanc fuiſse PP. Tridentinorum mentem contendit. Sed quia constans fuit in Ecclesia ſensus, ut Matrimonia rationem Sacramenti haberent, ministerium & benedictionem Sacerdotis eſse neceſsariam, ideoque diu etiam ante Concilium Tridentinum Episcopi ejusmodi Matrimonia quæ Clandestine & sine benedictione Sacerdotali contrahebantur, ſevere prohibuerunt, & illa Ecclesia detestata ſemper fuit.

TRACTATUS

DE

ACTIBUS HUMANIS.

CAPUT PRIMUM

De natura Actuum Humanorum, eorumque Regulis.

ARTICULUS 1mus

De natura Actuum humanorum.

Quæres 1mo: Quid sit actus humanus?

Resp: Actus humanus is dicitur, qui ab homine deliberate agente, libere efficitur, unde præclare S. Thomas 1ma: 2dæ: quæst: I. Art: I. sic ſcribit: *Actionum, quæ ab homine aguntur, illæ ſolæ proprie dicuntur humanæ, quæ ſunt proprie hominis, in quantum est homo. Differt autem homo ab aliis irrationabilibus creaturis in hoc, quod sit ſuorum actuum Dominus. Unde illæ ſolæ actiones vocantur proprie humanæ, quarum homo est Dominus. Est autem homo Dominus per rationem & voluntatem. Illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberate procedunt.* Quare ut actus vere & stricte sit humanus, neceſse est 1. ut fiat deliberata voluntate, hoc est ex prævia cognitione eorum in quibus est actio, ſcilicet eorum quæ actioni insunt, ipsamque circumstant. 2. ut fiat libere non coacte, neque aliqua præmente neceſsitate. Quæ enim violenta ſunt, aut cogente neceſsitate extorta, proprie actus humani non ſunt, quia illorum homo dominus non est. Hinc ab actibus humanis differunt actus hominis, qui nec ex voluntatis electione, nec ex prævia intellectus cognitione procedunt.

Quæres 2do: Quomodo dividi ſoleant actus humani?

Resp: Actus humani multipliciter dividuntur, præcipue tamen dispertiri ſolent, in bonos & malos, & in hoc moralitas eorum consistit, quod ſcilicet aut boni,

ac virtuosi sint, vel etiam mali & peccaminosi. Boni vero actus humani illi dicuntur, qui regulis morum sunt conformes, ac propterea laude atque præmio digni; mali illi sunt, qui regulis morum sunt difformes, unde vituperium, pœnamque merentur.

Quæres 3tio: De bonitate ac malicia actuum humanorum, quæ sint opiniones?

Resp: Pervulgatissima est modo impiorum, ac omnium incredulorum opinio, nihil esse natura sua bonum, aut malum, ac proinde justum, & injustum, honestum & turpe, vana esse nomina, omni sensu destituta. Hunc errorem, multis ante Christum sæculis nonnulli ex Philosophis Ethnicis docuerunt, maxime Epicurei, quos secutus est Hobbesius, qui in libro de Cive Cap: 12. affirmare ausus est, quod ut actio justa, vel injusta sit, id à jure imperantis totum provenire, solamque utilitatem, justi & æqui matrem esse; quo semel constituto & Religio tota, & simul cum Religione humana ipsa societas collaberetur, ac funditus everteretur, quod etiam Libertinis nostri ævi, in votis esse non obscure dignoscitur. Sed contrarium ratio & Religio svadet, quare omnes veri, ac recti amatores docent, antecedenter ad quascunque leges, bonum à malo, justum ab injusto natura sua differre ac discrepare.

Quæres 4to: Istiusmodi error, nullam scilicet humanam actionem natura sua aut bonam aut malam esse, quibus refellitur argumentis?

Resp: Bene multis refellitur argumentis; et quidem ex 1mo: Si nihil est natura sua bonum aut malum, omnia esse indifferentia sunt, ac proinde hominum opinione, utilitate àgentis, voluntate imperantis, bona, aut mala fiunt, omnia igitur scelera, quæ natura horret, si cuipiam utilia sint, licita erunt, si ab imperante jubeantur, bona sunt, præclarissimæ quoque virtutes. si incommodum, aut aliquod temporale detrimentum adferant, aut imperantis opinioni, palatui non congruant, vitia erunt. Hoc autem vel ipsi Ethnico Philosopho maximum visum est paradoxum, unde Cicero libro de legibus sic inquit: *Si utilitate omnia metienda sunt, negliget leges, easque perumpet, si poterit, is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. Ita fiet ut nulla omnino sit justitia, si neque natura est, & ea, quæ propter utilitatem constituitur, utilitate alia convellitur, atque si natura confirmatura jus non erit, virtutes omnes tolluntur. Ubi enim liberalitas? ubi Patriæ caritas? ubi pietas? ubi aut bene merendi de altero, aut refe-*

referendæ gratiæ voluntas potest existere? Nam hæc nascuntur ex eo quod natura propensi sumus ad diligendos homines, quod fundamentum juris est. Quodsi populorum jussis, si Principum decretis, si sententiis judicum, jura constituerentur, jus esset latrociniis servire, jus adulterare, jus testamento falsa supponere, si hæc suffragiis, aut scitis multitudinis probarentur. Ex mente itaque Ciceronis, nulla omnino est justitia, si natura non sit, quæ justum rectumque constituit, virtutes omnes tolluntur, si non sit natura jus confirmatura. Natura ergo, non opinione, lege, non utilitate, justum, rectumque constituitur, ipsa natura justum, rectumque confirmat. Et hoc est, quod paulo tardius Paulus Apostolus docuit, atque tradidit Epist: ad Romanos Cap: 2do scribens: *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi lex sunt.* Deus siquidem naturam hominis optime efformavit, fecit namque illum à principio rectum, ut inquit Sapiens: inclinationes, ac propensiones bene ordinatas ipsi indidit, preterea lumen celeste, quo dirigeretur illi infudit, atque hoc pacto, ipse homo sibi est lex, regula, ac norma morum, quæ naturæ ejus rationali conveniunt, bona, ac recta sunt, quæ ipsi adversantur mala, atque iniqua censentur, quæ vero naturæ rationali convenientia, aut adversantia sunt, talia non opinione aut lege hominum constituuntur, sed sua natura ejusmodi sunt, quare ex ipsa humana natura recte considerata, innumera deducuntur consectaria, moralem vitam hominis attingentia. Inde enim fluit crapulam, ebrietatem, inordinatam libidinem, iram, mala esse, quia naturæ humanæ nociva, atque repugnantia sunt: temperantiam, sobrietatem, continentiam, bona esse, quia naturæ humanæ consentanea, & illi conducentia sunt; & hoc est ut inquit Tullius, *jus non scriptum, sed natum, quod non didicimus, verum à natura ipsa arripuimus, ad quod non dicti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.*

2do. Quemadmodum verum à falso, natura sua discrepat, neque dici potest veritatem aut falsitatem ex hominum opinione pendere, ita quoque bonum à malo, virtus à vitio, natura sua differunt, neque ullatenus asseri potest, hæc ex hominum præventionibus, pactis, aut legibus derivari. Et quia verum à falso, natura differunt, ideo quædam natura sua sunt vera, alia natura sua falsa, unde etiam dantur propositiones, quæ æternæ veritates vocitantur, exg. *totum est majus sua parte*, quia falsæ nullo

modo

modo efse pofsunt, his vero oppositæ, & contrariæ, immutabiliter sunt falsæ, ita quoque alia sunt natura bona, virtuosa; his opposita mala, vitiosa, ex quo fluunt propositiones practicæ, pari modo æternæ veritates, quas nemo sanæ mentis negare potest, cujusmodi sunt istæ: *Deum efse colendum. Parentes efse honorandos. Nemini irrogandam fore injuriam*: atque de his omnibus quilibet sine ulla instructione, sola magistra natura instrui, & convinci intra semetipsum potest, & sicuti nemo etiam rudissimus negare potest: *totum efse majus sua parte*, ita nemo etiam impiifsimus refragari potest: *Deum efse colendum. Parentes honorandos.* Quemadmodum itaque verum à falso, natura differant, & natura sua alia sunt vera, alia falsa, neque quibuscunque intervenientibus hominum opinionibus, pactis, legibus fieri, pofsunt vera falsa, aut falsa vera, ita etiam bonum à malo natura sua discrepat; alia sunt natura sua bona, virtuosa, alia natura sua mala, vitiosa, & hoc immutabiliter adeo, ut nullæ hominum præventiones, nullæ leges, pacta, efficere pofsunt, ut bona, sint mala, mala, bona.

3tio: Et vero istiusmodi practicas veritates etiam barbaris, & sylvestribus nationibus compertas efse, certifsimum est, apud quas divinitatem coli, justitiam servari, & beneficientiam, ac gratitudinem, aliasque virtutes exerceri, vitia vero ipsis contraria, omnibus execrationi efse, compertum est. Unde Cicero libro I. de legibus, inquit: *Quæ natio non benignitatem, non comitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit, quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non odit.* Hic autem communis etiam barbararum Gentium sensus, non aliunde proficisci potuit, nisi & à Divino lumine, quod hominibus infusum est, & ab immutabili, atque æterna lege, quæ à Deo cordibus nostris infusa est. Per hæc nobis innotescit, quæ bona, recta, ac justa sunt, quæ turpia, iniqua, atque inhonesta sunt. Quare S. Augustinus Enarr: in Psal: 56. sic ait: *Cui iniquo non facile est loqui judicium? aut quis de justitia interrogatus, quando non habet causam, non facile respondeat, quid justum sit. Quandoquidem manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permifsus est, ut efset, unde judicarentur, & quibus lex ipsa data non efset.* Igitur & ante omnem scriptam legem, ipsa rerum natura, justum ab injusto discernebatur, & hoc nemo

nemo ignorare potest, quia hæc naturalis, atque sempiterna à Conditore nostro, in cordibus nostris scripta est veritas: *quod tibi non vis, alteri ne feceris*, atque hac veritate illi etiam dijudicantur, quibus nulla est lex scripta. Quod & Cicero agnovit, libro I. de Legibus scribens: *Lex est ratio summa, insita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibet contraria.*

4to: Sed & ipsi interni hominis sensus evincunt, ipsa natura bonum á malo discrepare. Etenim multa sunt, quæ probationem, laudemque ac plausum à nobis invitis etiam extorquent, multaque sunt principia morum, quæ ita evidentem in se habent æquitatem, ut rectitudo eorum & omnibus comperta, & ab omnibus comprobata sit, sunt quoque multa flagitiosa, quorum turpitudinem nemo non aversetur. Nemo etiam est, quamvis perditissimus, qui post patrata scelera, conscientiæ suæ non sentiat graves remorsus, & recte institutam vitam grata, & jucunda semper consequitur recordatio. Demum si officia nostra erga Deum, proximos, ac nosmetipsos perpendimus, multa sunt recte facta, ad quæ nos ipsa natura excitat, ac impellit. Porro istiusmodi interni sensus, conscientiæ vox, naturales, ac nobis congenitæ inclinationes, quoniam non ab hominum variis ac diversis opinionibus, non â legibus, pactis, usibus, ac consvetudinibus proveniunt, sed ab ipso naturæ nostræ Conditore nobis infusa, implantata sint, certissimum sunt, ac infallibile criterium, quo bona, & mala discernimus, & illa natura sua differre cognoscimus.

Certe hominum opiniones, instituta, nationum pacta, leges, consvetudines, & multiplicia, & diversa sunt, sensus vero animi nostri morales, principia morum practica, inclinationes versus bonum, aversiones à malo, in quam multis, & gravioribus punctis, unanimes, uniformes, secum concordantes sunt, casu aut fortuitu in unum convenire non poterant. Ergo cogente natura, ducente Creatore id factum esse supponendum est. Ex communibus ergo, ac universalibus omnium hominum ac nationum sensibus, inclinationibus, præconceptis morum principiis, evidentissimum est, bona & mala, non ab hominum opinione, vel à pactis, institutis, consvetudine pendere, sed ex natura sua differre, ac discrepare.

5to: Eadem veritas sequenti insuper comprobatur argumento. Certum est hominem fuisse á Deo conditum, dubitari ergo non potest, eundem fuisse ad certos fines præordinatum, bonum itaque atque omnino conveniens,

necef-

necessariumque est, si Divinæ ordinationi obsequens, ad finem sibi præstitutum propria libertate se dirigat, malum, si ab illo deflectat. Sic superna ista ordinatione homo tendere debet in Deum, sicut in finem suum ultimum, quæ ergo illum deducunt in cognitionem, & amorem Dei, sunt naturaliter bona, & quæcunque illum à Deo abducunt, sunt naturaliter mala. Pariter homo multa sibi ipsi debet, ut se nimirum conservet, suæque rationis ductum sequatur, quæ si faciat, sibi ipsi conscius est se recte agere, si illa prætermittat, male operari. Denique homo ad societatem á Deo ordinatus est, in societate constitutus, bonum igitur est, si ea præstet officia, quæ Societati debentur, & malum si ea negligat.

Præterea si hominem in seipso tantum consideremus, statim aliquis ordo naturalis apparet inter animam, & corpus, inter rationem, ac inferiores appetitus, sic itaque ab homine procurari debet corpus, ut vires animæ non obtundantur, sed potius juventur, & sic concedendum inferiori appetitui, ut actus rationis minime impediantur, si vero secus fiat, erit naturaliter malum, vinolentiæ igitur, & commessationes, & inordinatus venereorum usus, per quæ rationis actus impeditur, tum etiam passionibus subdit, quæ liberum rationis judicium perturbant, sunt naturaliter mala.

Objicies 1mo. Ante leges latas, omnia erant indifferentia, & nonnisi per leges, & statuta evaserunt bona, aut mala, ac proinde actionum humanarum turpitudo ac honestas, à libera saltem supremi legislatoris Dei voluntate pendere debet. *2do.* Notiones boni, & mali, non sunt eædem apud omnes populos, quorum aliqui Parentes ipsos senectute jam confectos, morte aficere, pium esse judicant. Alii non solum hostium, sed eorum etiam, quos maxime caros habent, carnes comedunt. Alii furta, adulteria, homicidia, impune perpetrant. Imo quod magis mirandum est, apud cultiores ipsas nationes, quædam obtinuisse scimus, quæ nobis horrenda, & naturæ maxime repugnantia videntur, cujusmodi erant sacrificia humana, crudelis liberorum expositio, suicidium. Ex quo sequitur nullas esse boni, malique naturales notiones, nihilque natura bonum, aut malum.

Resp: ad 1mum Si ante latas leges omnia erant indifferentia, quænam ergo ratio fuit, ut legibus furtum, homicidium, prohiberentur potius, quam præciperentur. Si nulla fuit ratio, ergo potuissent hæc quoque legibus præcipi,

sipi, quod absurdum eſse nemo negaverit, si autem aliqua ratio fuit, ergo non erant omnia ante leges indifferentia, ac proinde, antecedenter ad leges quascunque temporales, in ſe bona, aut mala fuerant ſecundum illam æternam legem, quæ in Deo ſemper fuit, quæque in natura rerum fundatur, ac ſolidatur: unde S. Augustinus libro I. de libero arbitrio, sic Evodium compellabat: *Simul etiam te videre arbitror, in illa temporali lege nihil eſse justum, atque legitimum, quod non ex hac æterna, ſibi homines derivarint.* Quapropter: hanc æternam legem, ſemper ab unoquoque legislatore respici oportere, idem S. Doctor libro de vera Religione admonet dicens: *Conditor legum temporalium, si vir bonus est, & ſapiens, illam ipsam consulit æternam legem, de qua nulli animæ, judicare datum est, ut ſecundum ejus immutabiles regulas, quid ſit pro tempore jubendum, vitandumque, discernat.*

Neque etiam dici potest, totam actionum humanarum honestatem, turpitudinemque, à libera ſupremi legislatoris Dei præcipientis, aut prohibentis voluntate pendere. Hoc enim posito, illud consequens eſset, potuiſse Deum probare, aut etiam præcipere adulteria, rapinas, homicidia, imo & sui blasphemias, & odium, quod vel cogitare horrendum est; cum enim Deus ſapientiſsimus, ac justiſsimus sit, non potuit ea velle, aut præcipere, quæ ejus justitiæ, ac ſapientiæ repugnant.

Ad 2dum. Notiones boni & mali, non eo ſensu dicuntur naturales, ut sine ullo rationis consilio neceſsario percipiantur, quemadmodum sensus doloris, aut voluptatis percipiuntur, ſed ita vocitantur naturales, ut recta ratio, cupiditatibus minime obnubilata, aut pravis consvetudinibus non totaliter efferata, illas illico percipiat, si eas vel minimum consideret, nam & apud eos etiam, qui rectis boni, ac mali notionibus, imbuti ſunt. Nonnunquam fit, ut tumultuantium paſsionum æstu in transversum acta, judicio practico mala, vel turpiſsima eligat. Simili itaque modo contingere potuit, ut incultæ quædem nationes, quæ ferino potius, quam humano vivunt modo, rectas boni, malique notiones, non quidem omnino, ſed magna ex parte amiserint, quare ipse Cicero observabat libro I. de Legibus, *tantam eſse corruptellam malæ consvetudinis, ut ab ea tamquam igniculi extingvantur à natura dati boni ſensus, exorianturque, ac confirmentur vitia contraria.* Verum ſemper apud ipsos aliqua viguerunt juris naturalis universaliora principia, quamvis de-

defectu attentionis, atque recti ratiocinii, iis male usi fuerint. Sic aliqui ex pietate, parentes ætate decrepitos, occidendos putabant, ut eos senectutis incommodis liberarent, & alii victimas humanas Diis immolabant, ut majorem erga eos venerationem ostenderent. Cæterum apud cultas nationes, & apud illustriores Philosophos, multa & potiora juris naturalis præcepta, viguisse compertum est, quamvis luminis supernaturalis defectu, nec omnia viderint, & in multos, magnosque errores, lapsi fuerint. Hæc autem illorum ignorantia, ostendit quidem naturæ nostræ corruptionem, ac supernæ revelationis necessitatem, non autem naturales notiones boni & mali, communes non fuisse. Ex eo autem quod barbari quidam populi, rationis vocem non audientes, aut non attendentes, principia juris naturæ vel ignoraverint, vel iis male usi fuerint, non est cum Hobbesio concludendum, recti, honestique notiones, ab institutis, educatione, ac consvetudine, tantummodo pendere. Etsi enim instituta hominum, educatio, consvetudoque, plurimum valeat ad notiones justi, injustique excolendas, tum etiam ad virtutum habitus in nobis efformandos, ut facilius, ac promptius bonum sectemur, malumque declinemus, attamen indubitatum est, in natura ipsa esse, has practicas veritates implantatas, quæ postea recta institutione, magis evolvuntur, quare Cicero libro 1. de legibus sic inquiebat: *Communis intelligentia nobis notas res efficit, easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia, hæc autem in opinione existimare, dementis est.*

Dices. Ergo ideæ, ac notiones boni, ac mali, sunt nobis innatæ?

Resp: In tanti momenti controversia, qualis est præsens, non est conveniens, ut ad privatas Scholarum opiniones recurramus, satis est animadvertere, legem naturalem cordibus nostris à Deo inscriptam, ex qua notiones justi & injusti derivantur, esse impressionem divini luminis in nobis factam, seu participationem legis æternæ, rationali creaturæ communicatam. Et homo Divini hujus luminis particeps, hoc naturale discrimen, quod est inter bonum & malum, percipit, quomodocunque tandem perceptio ista in nobis fiat.

AR-

ARTICULUS 2dus

De regulis, quibus Actus humani diriguntur, ac bonitas sive malitia eorum ſecernitur.

Quæres 1mo. Quæ est regula dirigendis, ac discernendis actibus humanis inserviens?

Resp: Certum, & indubitatum est, rationem humanam eſse actuum nostrorum regulam, ac normam: ideo namque Deus lumen rationis homini infudit, ut illo illuminaretur, regeretur, atque eo actus ſuos dirigeret, moderaretque. Unde S. Augustinus libro de utilitate credendi Cap: 12. inquit: *Rectum factum nullo modo eſse potest, quod non è recta ratione proficiscitur.* Recta autem ratio ea dicitur, quæ naturæ rerum conformis est. Cum vero actiones humanæ, quæ à recta ratione dirigendæ ſunt, nonnisi vel circa finem, vel circa media versantur, ratio in iis quæ praxim respiciunt, recta est, si fini & mediis, ad finem consequendum adhibitis, conformis sit, nimirum: si ratio actionem humanam, ad illum dirigat finem, qui hominem vere beatum efficere potest, & media talia ſeligat, quæ istiusmodi fini proporcionata ſunt. Non ergo rectitudo rationis, ab opinione unicuique propria desumitur, ſed à conformitate cum rerum natura, quæ invariabilis, & incommutabilis est. Sed hujus temporis increduli, rejecta ac postposita, quacunque ſupernaturali revelatione, in morum negotio, humanam tantummodo rationem audiendam, ac ſequendam eſse, pertinaciter affirmant: unde ſolam rationem humanam ſufficientiſsimam eſse statuunt, ad discernendam actuum humanorum bonitatem sive malitiam, atque ipsam unicam statuunt regulam, qua ipsi moderentur, atque dirigantur, neque ad id ſupernaturalem revelationem, ullo modo neceſsariam eſse, putant. His quam maxime proximi ſunt, qui ſpreta Ecclesiæ Catholicæ doctrina, posthabita SS. Patrum auctoritate, in doctrina morum, ſolam rationem humanam judicem, ac magistram eſse volunt.

Quæres 2do. Utrum ſola ratio humana ſit ſufficiens regula, qua actus humani dirigi, atque illorum bonitas sive malitia poſsit ſecerni?

Resp: Sola ratio humana non est ſufficiens regula, qua actus humani dirigantur, atque bonitas, sive malitia eorum discernatur. Enimvero: quanta sit brevitas humanæ rationis, atque imbecillitas illius, non in metaphysi-

 cis

eis tantum, ſed & in moralibus, unde æterna hominis pendet felicitas, quod obstacula, difficultates non leves in vero, rectoque inveniendo, compertum est omnibus: unde in multis, aut verum rectumque inveniri nullatenus potest, aut ſaltem non potest illa haberi certitudo, quæ in materia morum neceſsaria est, ubi agitur de officiis, quæ proximis, nobismetipsis, potiſsimum vero Deo creatori debemus, in iis error potest eſse facilis, & pernicioſiſsimus, unde Sapientiæ Cap: 9. dicitur: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſensum, multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra ſunt, & quæ in prospectu ſunt, invenimus cum labore, quæ autem in cælis ſunt, quis investigabit.* Præterea rationem humanam tenebris obvolutam eſse, nemo dubitare potest, cum gravi studio, longo labore aliqua discimus, longe plura ignoramus, in illis, quæ nos noſse putamus, persæpe à veritate aberramus. Paſsionum quoque vehementia, in transversum frequenter abripimur, ſensus recti, justique, pravitate morum ſupprimuntur, ut ſæpe ſæpius divinum illud rationis lumen, quod nobis à Deo infusum est, obtenebratur. Sensit id Cicero, unde libro 3. Tusculanarum Disputationum sic inquit: *Nunc natura parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibusque depravatis sic restingvimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. Simul ac editi in lucem ſumus, in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte Nutricis errorem ſuxiſse videamur. Cum vero magistris traditi ſumus, tum ita variis inbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat.* Cum itaque ratio humana brevis, ac imbecillis sit, multis erroribus obnoxia, tenebris obvoluta, ſola in moralibus dux ac magistra eſse nequit. Sed etsi quantalibet perspicacitate, ac intelligendi vi, ipsa polleret, verum ſemper multis ex pravis inclinationibus obnubilatur, inordinatis paſsionibus cæcatur, perversis cupiditatibus, habitibusque depravatur, ipsiusque pervertitur judicium, ipsa illius attentio, neceſsaria rei discuſsio prævenitur, atque sic ipsa in errorem quam frequentiſsime inducitur, falsitate captivatur. Solius ergo rationis ductum, atque judicium, in iis quæ Deum, & proximos, nosque ipsos ſpectant, quis pruden, cautus, & ſibi bene consulens ſequi poterit? certe nemo, nisi ipse volens præcipitium quærat. Et vero ut actus humani tuto,

to, ac secure ad honestatem dirigantur. de illorum bonitate, ac malitia dijudicetur, necesse est nosse finem, ad quem homo à Deo præordinatus, atque creatus fuerat, quid divina lege ipsi præconstitutum, atque præscriptum sit, quæ illi imposita officia, erga suum creatorem, proximum, atque seipsum, scire oportet, ad quem finem ultimo humani actus referendi sunt, quis sit præsens moralis hominis status, quæ corruptio ac depravatio illius, quæ vera ipsius felicitas. Hæc enim omnia bonitatem, malitiamque actuum humanorum, aut constituunt, aut saltem cum ipsa stricte connectuntur. Illi siquidem actus humani censentur boni, qui fini à Deo homini constituto, illius veræ felicitati, impositisque officiis consentanei sunt, atque ad suum ultimum referuntur finem, mali vero sunt, qui his adversantur, atque contrariantur. Porro sola humana ratio, neque ostendit nobis finem, ad quem homo à Deo ordinatus est, neque quæ præcepta, officia illi imposuit, neque præsentem hominis moralem statum, aut finem ad quem ultimo actiones nostræ referendæ sunt, detegit. Sola ergo humana ratione, actus humani, nec dirigi, nec dijudicari possunt.

Obijcies: Tanta perspicuitas in doctrina morum invenitur, ut hanc unusquisque sua ratione perfecte assequi possit. Ipsi etiam plebei, eo usque pertingere possunt, ut omnia videant, quæ ad morum doctrinam spectant, multo vero magis id assequuntur illi, qui inter homines politiores sunt. Neque existimandum est, Deum, qui dedit nobis facultatem intelligendi tot veritates, quæ speculativæ dici consveverunt, quæque sine ullo præjudicio à nobis ignorari possunt, non contulisse etiam talem capacitatem, ut cum eadem evidentia, præcepta quoque morum assequeremur, à quorum cognitione pendet, nostra agendi ratio, atque felicitas. Igitur ratio humana, & omnes morales veritates, facile assequi potest, & iis humanos actus ad honestatem dirigere valet. Quodsi hoc rationi humanæ denegetur, omnis prorsus veritas è medio tollitur, atque hoc unicum superest, ut de omnibus dubitetur, quo nihil est absurdius, ac magis noxium.

Resp: Lumine rationis ab unoquoque id omne videri, quod ad actuum humanorum directionem prærequiritur, atque ad secernendam illorum bonitatem, malitiamque opus est, plus quam falsum esse, ipsa evincit experientia. Homines quidem policiores, & studio litterarum exculti, uberiorem habent præceptorum moralium cogni-

gnitionem; attamen ipsi solo lumine naturali, non sunt in omnibus perfecte instructi, quæ actuum humanorum postulat directio. Enim vero: quotidie homines, paſsionibus abrepti, cupiditatibus illecti, pravis afectibus præventi, præjudiciis, falsisque opinionibus præoccupati, imaginatione delusi, malum dicunt bonum, bonum malum. O! quam multi peritiores etiam, ut inquit Apostolus ad Romanos Cap: 1mo: *Evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obscuratum est insipiens cor eorum, Dicentes enim se eſse sapientes, stulti facti ſunt.* Certe nullus etiam acutiſsimus inventus est, qui solius rationis ductum ſequens, infeliciter non erraverit, & in abſurdiſsimos errores prolapsus non fuerit. Affirmari itaque nequit omnia quæ ad actuum humanorum directionem neceſsaria ſunt, ſolo lumine naturali nota, atque perspecta eſse. Quemadmodum autem veritates quæ ſpeculativæ dici consveverunt cognoscendi, ita etiam morum præcepta percipiendi, dedit nobis Deus capacitatem, eo quod ratione nos exornaverit, verum, cum hæc & natura ſua limitata sit, & per peccatum originale multum debilitata, ignorantiæ tenebris circumfusa, caligine paſsionum, cupiditatumque circumdata, in quam multis ipsa deficit, à veritate deviat, errore ſeducitur.

Quamvis autem humanæ rationi denegetur, ipsam ſolam ad directionem actuum humanorum ſufficientiſsimam eſse, inde tamen minime consequitur, jam de omnibus dubitandum eſse, nihilque nobis notum, perspectumque eſse. Neque enim quod intellectus humanus, non omnes ſpeculativas aſsequatur veritates, inde quis concludere potest, ipsum nullas percipere poſse, ac propterea in metaphysicis de omnibus eſse dubitandum, quia multa novit, quamvis non omnia, in multis quæ metaphysica ſunt, plena habetur certitudo, & de illis dubitare non licet. Ita pariter, licetsi in moralibus ratio humana non omnia cognoscat, inde non ſequitur, ipsam in iis, quæ mores ſpectant nihil percipere, multa namque morum præcepta cognoscit, ex iis multa morum consectaria deducit, de quibus nemo prudens dubitare potest. Quamquam igitur non omnia, quæ moralem concernunt doctrinam, ipsi perspecta sint, multaque ipsam lateant, non inde ſequitur, in moralibus de omnibus dubitandum eſse.

Quæres 3tio: Ergo solo jure naturæ, actus humani dirigi, & illorum moralitas discerni nequit?

Resp: Ita est. Enimvero ut ſolo jure naturæ actus humani dirigi, & illorum moralitas discerni poſsit, ne-

ceſse

esse est, ut non solum primaria juris naturalis principia, sed & secundaria, ac cetera omnia quæ ex illis ratiocinatione deducuntur, nota, ac perspecta sint. Namque quotidie hominibus agenda occurrunt, tum ea, quæ ex primis juris naturæ principiis consequuntur, tum illa; quæ ex secundariis inferuntur. Equidem prima juris naturæ principia, & quæ ex illis immediate ac proxime deducuntur, quæque ideo principia secundaria vocitantur, nota ac perspecta sunt, sed multa, ac propemodum infinita sunt, quæ ex illis ratiocinatione inferri debent. Hæc vero quam sint cognitu difficilia, ardua, quam multi sese illis immiscent errores, maxime ubi longior, ac difficilior requiritur ratiocinatio, ipsa constat experientia. Hinc illi juris naturalis tractatores, qui multi ex Heterodoxis extiterunt, cum ex solo jure naturæ, hominum officia præscribere auderent, in gravissimos etiam, turpesque errores prolapsi sunt, usuras, polygamiam, concubinatum probaverunt. Sed & Casuistæ illi Catholici, qui plus, quam par erat, humanæ rationi deferentes, post habita Ecclesiæ, ac SS. Patrum auctoritate, ex solo jure naturæ, doctrinam morum tradere conati sunt, quam turpiter aberrarunt, quorum errores Ecclesia etiam damnavit. Ergo solo jure naturæ, actus humani dirigi, & illorum moralitas discerni nequit.

Et vero: jus naturæ ratione nobis innotescit. Hæc vero sola non est sufficiens, ad actus humanos dirigendos, eorumque bonitatem, aut malitiam discernendam. Ergo id ex juris naturæ præscriptis fieri nequit.

Tandem, actus humani non solum juri naturæ subjacent, sed etiam positivis, ac liberis Dei, & Ecclesiæ legibus, quæ jus naturæ nullatenus attingit. Juxta positivas Dei, & Ecclesiæ leges actus nostros efformari necesse est, qui illis respondent, boni sunt, qui adversantur, mali. Solum ergo jus naturæ non sufficit ad dirigendos, atque dijudicandos actus humanos.

Quæres 4to: Preter rationem humanam, quæ est alia regula, qua actus humani diriguntur?

Resp: Quoniam ratio humana, non est regula ad dirigendos actus humanos per se sufficiens, illi superaddi debet altera perfectior, & plene sufficiens, & hæc est divina Revelatio, qua actus nostros ad honestatem dirigere, eorumque bonitatem, atque malitiam tuto, ac intrepide dijudicare possumus, ac debemus. Enimvero, Deus non contentus eo, quod lumen vultus sui homini infunde-

funderit, legemque in cordibus nostris insculpserit, ut eum finem, ad quem nos condidit, certius afsequeremur, præceptis quoque suis nos instructos voluit, voluntatemque suam verbis suis nos edocere dignatus est, tum ideo, ut nos, ad sublimiora elevaret, quæ humana ratio afsequi non valet, tum ideo, ut iis nos instrueret, quæ licet supra rationem non sint, tamen propter imbecillitatem ipsius, non facile, & sæpifsime cum errore attingimus, tum denique ut illis, quæ ratione novimus, certius, & sine periculo deceptionis, confirmemur. Hæc igitur divina præcepta in omnibus sequi, illis actus nostros, utpote tutissimæ, ac infallibili regulæ conformare debemus, illaque norma agendi nobis efse debent. Unde S. Thomas libro I. contra Gentes Cap: 4. sic inquit: *Salubriter divina providit clementia, ut ea etiam, quæ ratio investigare potest, fide tenenda præciperet, ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes efse, & absque dubitatione, & errore.* Nam quemadmodum docet S. Augustinus libro 3. contra Epist: Parmeniani: *Ideo sunt tamquam sincerifsimum speculum proposita hominibus oracula divinarum paginarum, ut ibi quisque videat quodlibet peccatum, quantum sit, quod forte magnum est, & male viventium cæco more contemnitur.*

Certe cum ratio humana tam imbecillis sit, erroribusque obnoxia, necefsarium omnino fuit, ut Deus ipse doceret homines, quid justum rectumque sit, unde Sapiens Cap: 9. sic Deum alloquitur: *Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum tuum de altifsimis, & sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines.* Igitur Salomon Rex constitutus, sic orat Deum libro 3. Regum Cap: 3. *Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare pofsit, & discernere inter bonum, & malum.* Sed & ipsi Ethnici Philosophi, Plato, Socrates, Alcibiades, & cæteri istiusmodi Sapientes, tenebrarum caligine undique se circumfusos efse fatentur, & idcirco necefsariam divinam lucem efse ad ejusmodi difsipandas tenebras docent, atque eadem se perfundi enixis precibus implorant. Annuit votis hominum misericordifsimus Deus. Et hoc pro sua infinita bonitate præstitit, quam abundantifsime. Divini siquidem libri, sive veteris, sive novi testamenti, pleni sunt cælestium præceptorum, quibus informamur, & ad recte vivendum instruimur. His ergo regi, actusque nostros illis dijudicare debemus. Et sane, divinæ

reve-

revelatio non solum ea nobis manifestat, quæ credere debemus, ſed & illa nos edocet, quæ facere, quæ fugere oportet. Sicuti ergo divina revelatio, est regula fidei nostræ, ita etiam esse debet norma vitæ nostræ. Atque hæc divina morum regula, longe est humana ratione ad nostros sive dirigendos, sive dijudicandos actus efficatior, potentior, tutior, atque omnibus opportunior. Simul enim ac Sacræ litteræ, ea, qua par est, recipiuntur veneratione, Deum iisdem nos docentem, atque instituentem, revereri, ac venerari debemus. Supremi ergo dominii majestas, ipsius magisterii summa sanctitas, infallibilis certitudo veritatis, arctiſsima obtemperandi obligatio, religiosaque subjectio, ut traditis præceptis pareamus, nos cogunt, atque compellunt. Humanæ autem rationis judicata, atque naturæ lex, quamvis & ipsa à Deo proveniant, hoc tamen non ita facile á nobis attenditur, & si attendatur, quoad plura ſemper incerti sumus, utrum à recta ratione, à lege naturæ dimanent, ſed propter varias hominum opiniones, quæ de iis circumferuntur; ſemper dubii manemus. Deinde legis naturæ, humanæque rationis auctoritate non æque movemur ac Divinæ, nam lege naturali, nostraque ratione, ipsi nobis præcepta dare quodammodo videmur, Divina autem, ipsum Deum præcipientem agnoscimus. Tandem humanæ rationis quanta sit imbecillitas, unusquisque est sibi conscius, quo fit, ut saltem multa rationis, legisque naturæ dictamina, quæ non omnino perspicimus, multum apud nos auctoritatis deperdant, neque cum ea ullo modo comparari potest, quam divinæ legi ineſse videmus. Nequit ergo in dubium revocari, divinam revelationem præ humana ratione, aut naturæ jure, ad humanos dirigendos, dijudicandosque actus, majorem vim, efficaciamque habere, unde efficitur ipsam præ humana ratione eſse regulam perfectiorem, efficatiorem atque tutiorem. Sed est etiam omnibus hominibus aptior, ac facilior. Enimvero quæ ex juris naturæ principiis ope humanæ rationis deducuntur, non pauca quidem ſunt, ſed longe plurima ſunt, ac majorem humanorum actuum, officiorumque partem constituunt, quæ nonnisi longiori, ac difficiliori ratiocinatione eruuntur, ac proinde non ſolum non ſunt omnibus nota, ſed à plerisque prorsus ignorantur, ad hæc enim percipienda, & mentis perspicacia, ingenii acumen, studium litterarum, examinis diligentia prærequiritur, quibus major hominum pars caret, ac destituitur. Quæ vero morum

rum præcepta in divina revelatione continentur, nullo negotio ab omnibus perspici, ac intelligi poſsunt. Igitur divina revelatio, præ humana ratione, est morum regula & facilior, & omnibus hominibus accomodatior.

CAPUT SECUNDUM

De libertate & moralitate actuum humanorum, eorumque imputatione.

ARTICULUS 1mus

De libertate actuum humanorum.

Quæres 1mo: Quid, & quotuplex est libertas?

Resp: Libertas est immunitas, ac exemptio à ſubjectione, ſervitute, coactione, ſeu neceſsitate. Duo posteriora hic maxime considerantur, unde duplex ponitur libertas, una à coactione, quæ etiam ſpontaneitatis dicitur, & hæc est libertas voluntatis; altera â neceſsitate, quæ etiam electionis, indifferentiæ, sive arbitrii vocatur. Libertas à coactione est immunitas ab omni violentia, contra propensionem voluntatis illata. Hæc igitur competit ei omni, qui non coacte, ſed ſponte agit, licetsi ex neceſsitate agat. Libertas à neceſsitate illa est, quæ omnem neceſsitatem interiorem, & exteriorem excludit. Hoc ſensu liber est, qui potest agere, vel non agere, hoc eligere, vel aliud. Quia vero electio unius præ alio, multipliciter fieri potest, ideo libertas arbitrii, alia est *contradictionis*, quæ est indifferentia ad contradictoria, ad agendum videlicet vel non agendum, ad amandum exg. vel non amandum, alia *contrarietatis*, quæ est indifferentia ad contraria, ad agendum ſcilicet hoc, vel ejus contrarium exg. ad amandum, vel odio habendum; alia *disparitatis*, quæ est indifferentia ad disparata, ad agendum hoc vel illud, non ei oppositum, ſed disparatum exg. ad orandum, vel studendum.

Quæres 2do: Quid libertati opponitur?

Resp: Libertati arbitrii ſeu indifferentiæ opponitur neceſ-

necessitas, quæ est determinatio ad unum, ita, ut voluntas ab eo abstinere nequeat. Hæc necessitas alia est *naturæ*, quæ scilicet nobis congenita est, & provenit à naturali inclinatione, ad unum invincibiliter determinante, talis est in nobis amor, quo beati, ac felices esse volumus; alia est *adventitia*, si voluntas nostra à quopiam intrinsece ad unum invincibiliter determinaretur. Est quoque necessitas alia *antecedens*, & absoluta dicitur, quæ rationis, & voluntatis usum antecedit, atque ita ipsius extorquet consensum, ut illum voluntas denegare non possit; alia necessitas *consequens*, quæ etiam hypothetica vocatur, quæ liberam voluntatis subsequitur determinationem, sic necesse est exg. Petrum loqui, cum ad loquendum se determinaverit. Est etiam necessitas alia *specificationis*, alia *exercitii*. Necessitas *specificationis* tunc est, quando voluntas ita ad unam speciem actus determinatur, ut in oppositam speciem ferri non possit, sic Christus ita ad bonum determinatus fuerat, ut peccare non posset. Necessitas *exercitii*, cum quis non solum ad hanc speciem actus, sed etiam ad hunc numero actum ita determinatur, ut non modo non possit in oppositum ferri, sed neque ab isto abstinere valet. Sic Deus ad amorem sui necessario rapitur. Hæc tamen necessitas circa unum, non impedit libertatem circa alia, sic Deus qui necessario se ipsum amat, creaturas libere diligit.

Tandem necessitas est alia *physica*, cum voluntas ita vult unum, ut aliud hic & nunc velle non possit; alia *moralis*, cum voluntas ita ad unum trahitur, ut nonnisi cum magna difficultate, quæ tamen actu, & de facto vinci potest, in aliud ferri possit.

Quæres 3tio. Quæ ad libertatem requiritur immunitas?

Resp: Calvinistæ, Lutherani, ac post ipsos Jansениani, veram homini libertatem abnegantes, ut in tam crasso, atque perniciosissimo errore fucum multis facerent; libertatis essentiam, in sola spontaneitate, atque immunitate â coactione, sitam esse affirmarunt, immunitatem à necessitate ad ipsam requiri pernegant, unde quamvis homo sive à terrena concupiscentia ad malum, sive á cælesti delectatione ad bonum necessitatur, liberum attamen illum esse asserebant. Hunc errorem nonnulli in Academia Lovaniensi resuscitarunt, sed à Pio 5. & Gregorio 13. in damnatis Michaelis Baii propositionibus, proscriptus fuit, quarum una sic sonat: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario*

sario

sario fiat, libere tamen fit. altera sic habet: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* tertia demum sic exprimitur: *Homo peccat, etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

Quæres 4to: An igitur ad libertatem hominis, non sufficit immunitas à coactione?

Resp: Ad veram hominis libertatem non sufficit immunitas à coactione, sed necessaria est immunitas á necessitate. *Probatur.* Libertas, quemadmodum vel ipsa hujus vocis etymologia declaratur, est immunitas à servitute, quare tunc homo plene liber esse censetur, cum sui Dominus est. Porro servitutem non sola coactio, violentiaque inducit, sed & præmens necessitas. Qui non violentia coactus, sed necessitate constrictus est, sui Dominus censeri nullo modo potest, quia sive coactione, sive præmente necessitate, cum sub alterius redactus sit potestatem, jam sui juris non est, liber propterea non est. Ad veram ergo libertatem non sufficit immunitas à coactione, sed necessaria insuper est immunitas à necessitate. Ut itaque homo in actibus vere liber sit, illorum ipse Dominus esse debet, in sua potestate illos habere debet, ut illos ad honestatem dirigat, juxta morum regulas regat, ac proinde in illis non solum à coactione, sed ab omni præmente necessitate immunis esse debet. Hæc docent excellentissimi Christianæ Religionis Philosophi. Clemens Alexandrinus libro 4. Stromatum ita scribit: *Id est in potestate nostra, cujus ex æquo sumus Domini, & ejus quod ei adversatur, ut philosophari vel non, credere vel non:* & S. Thomas Doctor in I. dist: 25. quæst: I. Art: I. ad 2dum sic inquit: *Ad libertatem arbitrii pertinet, ut aliquam actionem facere possit, vel non facere.*

Et vero omnia Scripturarum oracula, in quibus describitur, asseritur, ac quasi depingitur humana libertas, in eo reponitur, atque constituitur, quod homo possit, ac debeat dominari appetitui suo, sub se illum continere, quod cum possit legem transgredi, non est transgressus, cum valeat facere mala, tamen non fecit, quod relictus sit à Deo in manu consilii sui, & ad quod voluerit, sive ad aquam, sive ad ignem, possit porrigere manum suam, quod cum proposita illi fuerit mors & vita, vita eligenda ipsi svadetur, quod non habens necessitatem, sed potestatem suæ voluntatis, statuit in corde suo servare virginem suam, quod destinavit in corde suo non ex tristitia, aut necessitate aliis benefacere, veluti hilaris dator, Deo acceptus. Hæc

vero

vero omnia, quomodo vera eſse poſsunt, niſi hominis libertas non ſolum à violenta coactione, ſed etiam à præmente neceſsitate immunis, & aliena sit. Sub præmente neceſsitate, ad illicita trahente, quomodo potest homo ſuis cupiditatibus dominare, pro ſua volunte eligere vitam vel mortem, manum ſuam ad aquam porrigere vel ad ignem. Si ad bonum vel malum ineluctabili adigitur neceſsitate, quomodo in manu consilij ſui relictus est, ubi neceſsitas, quid loci habere potest consilium, quomodo verum erit, hominem cum poſsit legem transgredi, non tamen ipsam transgreſsum eſse, cum poſset facere mala, illa non feciſse; quomodo qui virginem ſuam ſervavit, non ex neceſsitate, ſed ex potestate ſuæ voluntatis id fecit. Hæc itaque cum simul conjungi, componi nequeant, ex Sacris Scripturis manifestiſsimum est, veram hominis libertatem non in ſola immunitate à coactione consistere, ſed & immunitatem ab omni ineluctabili neceſsitate prærequirere.

His consonant SS. Augustinus, & Thomas Doctor Angelicus. Et quidem S. Augustinus libro de fide contra Manichæos Cap: 10. hæc ſcribit: *Quis non clamet, stultum eſse, præcepta dare ei cui liberum non est, quod præcipitur facere, & iniquum eſse eum damnare, cui non fuit potestas juſsa complere*: & libro de duabus animabus Cap: 12. inquit: *peccati reum tenere quemquam, quia non facit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis est, & insaniæ. Quamobrem animæ quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est si libero, & ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere ſuo, potestas nulla conceditur, peccatum tenere non poſsumus.* Hic clariſsime S. Pater libertatem humanam in eo ponit, quod homo poſsit facere vel non facere, potestatem habet agendi, vel ab opere abstinendi, quare illum à peccato eximit, cui non fuit potestas juſsa implendi, qui natura impellente, non voluntate ſvadente quidpiam mali fecerat, cum ipsi deeſset indiferens ad faciendum vel non faciendum animi motus, neque ab opere ſuo abstinere poterat. Jam vero ubi præmens adest neceſsitas ad unum ineluctabiliter determinans, licetsi coactio desit, ibi potestas faciendi vel non faciendi, agendi vel ab opere abstinendi, ſupereſse nequit, ac proinde nec libertas, ad quam non ſolum immunitas à coactione, ſed & ab omni neceſsitate requiritur. Quare idem S. Augustinus libro 2do contra Fustum ait: *Liberum arbitrium, quo vel bene vel male vivetur, propter justum judicium Dei, ab*

omni

omni necessitatis vinculo vindicamus. S. autem Thomas libertatem in indifferentia reponit, quod scilicet voluntas ex duobus unum potest eligere, aliud reprobare, quare Part: I. quæst: 83. Art: 3. sic inquit· *Ex hoc liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere, alio recusato. Et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet;* & art: 4. subdit: *Liberum arbitrium nihil aliud est, quam vis electiva.* Jam vero ubi ex præmente necessitate, ad unum determinamur, licet id sit secundum nostram inclinationem ac proinde spontaneum, à coactione alienum, ibi electio locum habere nequit. Essentia namque, ac natura electionis, secundum eundem S. Doctorem, est indifferentia, unum præ alio assumendi, unde 1ma 2dæ quæst: 13. art: 2. sic inquit: *Cum electio sit præacceptio unius respectu alterius, necesse est, quod electio sit respectu plurium, quæ eligi possunt. & ideo in his, quæ sunt prorsus determinata ad unum, locum non habet.* Itaque tum ex ratione, tum ex auctoritate apertissime constat, ad libertatem humanam, non sufficere immunitatem à coactione, sed etiam ad illam omnino requiri immunitatem à necessitate.

Obijcies: S. Augustinus libro de duabus animabus Cap: 10. eam voluntatem qua peccatur, ita definivit, *est animi motus, cogente nullo*, cui definitioni consonat illa, quam tradit S. Prosper libro contra Collat: Cap: 9. *liberum arbitrium est rei sibi placitæ spontaneus appetitus*, unde & S. Thomas in 2do dist: 25 quæst: I. art: 4. ait: *liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non potest.* His sola à libertate excluditur coactio, non simplex necessitas. Quare S. Augustinus sæpius docet, nos ex eo precise liberos esse, quod volumus, sic in Enchir: Cap: 105. ait: *Voluntas, aut voluntas non est, aut libera est*, & alibi sæpissime ad sartam, tectamque servandam libertatem, solum requirit ut libenter velimus. Hinc etiam S. Thomas quæst: 24. de verit: art: I. inquit: *Necessitas naturalis inclinationis, libertati non repugnat.*

Resp: S. Augustinus, sæpissime coactionem sumit minus proprie, per ipsam, quamcunque intelligendo necessitatem, sive illa ab extrinseco ex violentia quavis procedat, sive ab intrinseco quocumque præmente oriatur principio, unde quando à libertate coactionem excludit, non solum illam excludit violentiam, quæ contra voluntatis inclinationem infertur, sed & omnem excludere censetur necessitatem undecunque illa proveniat. Sane S. Augustinus

stinus libro I. Retract: allatam voluntatis definitionem, ad Protoparentes noſtros maxime ſpectare dicit, ſic ſcribens: *Qui primi in paradiso fuerunt humano generi origo mali nullo cogente peccando, hoc est libera voluntate peccando, quia & ſcientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator ſuasit, ut hoc fieret, non coegit.* Ubi nemo non videt, à S. Doctore coactionem, quam libertati opponit, ſumi non ſolum prout abſolutam excludit neceſsitatem, quia ſuasioni tantummodo tentatoris conſentiendo, primi Parentes noſtri peccarunt, ſed etiam prout ignorantiam propellit.

Nec diverso ſensu S. Proſper appetitum ſpontaneum ſumit, prout inquam à quacunque immunis eſt neceſsitate. Loquitur enim ibi de ea libertate, qua Adam præditus erat dum peccavit, quæ certe in illo feliciſsimo innocentiæ ſtatu, cum adhuc Protoparens noſter, nullos rebellis concupiſcentiæ experiebatur motus, ab omni ad malum impellente neceſsitate, immunis erat.

S. etiam Thomas Doctor in textu objecto, ſumit coactionem prout opponitur, tum violentiæ, tum ſimplici neceſsitati. Nempe duplicem ibi ſtatuit coactionem, unam quam compulſionem vocat, & eſt violentia, qua compelli dicit eas vires animi noſtri, quæ organis corporis noſtri affixæ ſunt, quarum actus violenter nonnumquam extorquentur, aliam quam impulſionem eſse dicit, & hæc eſt ſimplex neceſsitas, veluti illa, qua intellectus demonſtrationis vi cogitur, aut voluntas amore boni, in communi trahitur, quod non velle non poteſt. Recte itaque docet Angelicus Doctor; liberum ex eo dici, quod cogi non poteſt, ſcilicet; neque coactione compellente, quæ proprie dicta violentia eſt, neque coactione impellente, quæ ipſa eſt præmens neceſsitas. Igitur S. Thomas libertatem humanam, à coactione, & à neceſsitate immunem eſse voluit. Pari modo dum S. Auguſtinus dicit, nos liberos eſse ex eo quod volumus, nihilque ad illam plus requirit, quam ut libenter velimus, loquitur de libertate ſpontaneitatis, quæ ipſius voluntatis eſt, & merito dicit: *Voluntas, aut voluntas non est, aut libera est,* quia ſcilicet ad actus ſibi intrinſecos, qui eliciti dicuntur, cogi nequit, eſsetque contra naturam ipſius, ſi ad eos cogi poſsit, quia tunc & vellet & non vellet, ac proinde & eſset voluntas, & non eſset, quod implicat. Ad talem ergo ſpontaneitatis libertatem, ſufficit quod libenter volumus, totaque voluntatis libertas in eo eſt, quod ex propria illius inclinatione volumus.

Solam itaque coactionem talis excludit libertas.

Sed

Sed est alia libertas arbitrii, ac indifferentiæ, & ad hanc non ſufficit ſola ſpontaneitas, ſeu immunitas à coactione, non ſufficit quod libenter volumus, ſed neceſse est quod velimus ex electione, nulla præmente neceſsitate, adeo: ut cum volumus hoc facere, poſsimus velle non facere, vel aliud facere, atque ideo actus nostros in potestate nostra habeamus, illorum Domini simus. Jam vero in potestate nostra, actus nostros habere, illorumque Domini eſse non poſsumus, nisi ab omni immuni neceſsitate, poſsimus facere vel non facere, hoc, vel aliud. Unde S. Augustinus libro de ſpiritu & litt: cap: 32. sic inquit· *Hoc quisque habere in potestate dicitur, quod si vult facit, si non vult, non facit.*

Similiter quando S. Thomas neceſsitatem naturalis inclinationis, affirmat libertati non repugnare, de libertate ſpontaneitatis loquitur, cui ſola repugnat coactio, non vero de libertate arbitrij, cui quæcunque adversatur neceſsitas, sic enim loco citato ſcribit S. Doctor: *Sicut de primis principiis non judicamus ea examinantes, ſed naturaliter iis aſsentimur, ita & in appetibilibus de fine ultimo, non judicamus judicio discuſsionis, ſed naturaliter approbamus, propter quod de eo non est electio, ſed voluntas. Habemus ergo respectu ejus liberam voluntatem, cum neceſsitas naturalis inclinationis libertati non repugnet, non autem liberum judicium, cum non cadat ſub electionem.* Ex quibus manifestiſsimum apparet, juxta doctrinam Angelici Doctoris, quæ & veriſsima est, neceſsitatem naturalis inclinationis, non repugnare libertati ſpontaneitatis, quæ voluntatis est, ſed repugnare libertati arbitrij, ac indifferentiæ, de qua maxime nobis interest.

Ut ergo non ſolum S. Thomæ Doctoris Angelici, ſed & Augustini, aliorumque SS. Patrum locutiones, ubi de libertate, vel ex profeſso tractant, vel incidenter meminerunt, recte intelligantur, animadvertendum est; coactionem multipliciter ſumi, & intelligi. *1mo*: stricte pro vi, qua voluntas prorſus invita ac reluctans, adigeretur ad actus ſuos, volendum ſcilicet vel nolendum, & hoc ſensu definitur coactum: *Id quod est à principio extrinseco renittente paſso*, & talis coactio impoſsibilis est, repugnat naturæ voluntatis, quia ipsa ad actus elicitos cogi nequit. *2do.* minus proprie & latius, pro determinatione ad unum, quando voluntas neceſsitate quadam preſsa, ad unum determinatur. *3tio*: Latiſsime pro quadam vi morali, quæ nec stricte voluntatem cogit, cum id sit impoſsibile, nec eam

eam necessario ad unum determinat, cum ad aliud flectere se possit, sic si quis avarus, mendicorum turbæ, mortem minitanti, nisi pecuniam dederit, crumenam porrigat, dicitur coacte egisse, tametsi actio ejus immunis sit, tum à rigida illa, stricte sumpta coactione, tum à physica necessitate, quæ præmit, & ad unum necessario determinat, tunc siquidem, cum voluerat pecuniam dare, contrarium & velle, & facere poterat.

Non minus etiam, sensus harum vocum, *sponte*, *volens*, ambiguus est, cum enim spontaneum opponatur coacto, tot spontanei, quod coacti species esse debent, unde spontaneum sumitur. *1mo.* prout excludit internam voluntatis violentiam, quæ ipsi nunquam inferri potest. Et hoc primo sensu, ille dicitur volens agere, qui agit ex voluntatis inclinatione. *2do.* sumitur prout excludit physicam necessitatem, & hoc secundo sensu, dicitur quis volens agere, qui agit ex propria electione, sine determinatione ad unum necessitante. *3tio.* accipitur, prout eam etiam excludit necessitatem, quæ moralis dicitur, atque hoc tertio sensu volens aliquis dicitur facere, qui facit sine difficultate.

Varie autem SS. Patres, ac diverso sensu, quemadmodum materia, quam tractabant, exigebat, voces, *coacte*, *sponte*, *volens*, usurparunt, quare coactionem aliquando stricte, aliquando late & minus proprie pro simplici necessitate sumpserunt, quandoque etiam latissime pro quacunque necessitate morali, seu. gravi difficultate. Similiter etiam spontaneitatem, aliquando stricte sumpserant, pro sola immunitate à coactione, aliquando latius pro immunitate à necessitate, quandoque etiam latissime, pro immunitate ab omni difficultate. Nec mirum istud videri debet, quia cum barbaræ, quibus nunc utimur voces, *necessitari*, *necessitare*, in usu antiquitus non essent, quod per eas nunc exprimimus, per *exactionis* nomen tunc exprimebatur: Unde SS. Patres cum dicebant hominem esse liberum, quia non cogitur, quia sponte vult, & volens agit, id unum intendebant, hominem esse liberum, quia in agendo à præmente necessitate immunis est, coactionem siquidem, & ei oppositam spontaneitatem, late accipiebant. Quod vel ex eo evidentissime constat, quod SS. Patres talem homini asserebant libertatem, qualis ad merendum, & demerendum prærequiritur. Porro juxta constantem, & unanimem illorum doctrinam, ad merendum, vel demerendum, illa requiritur libertas, ut homo immunis sit ab

omni necefsitate, pofsit agere vel non agere. Ubi vero fola adest fpontaneitas stricte fumpta, atque fola excluditur coactio stricte accepta, eo ipso non excluditur necefsitas, estque ipsa cum illa compatibilis, atque sic potest aliquis fponte, ac volens agere, & tamen necefsario facere, quemadmodum bonum in genere fponte, non coacte, & tamen necefsario diligimus. In fola ergo fpontaneitate stricte accepta, libertatem, quæ vere & proprie hominis libertas est, SS. Patres non reposuerunt, fed ad illam immunitatem ab omni necefsitate, quæ fpontaneitas est late fumpta, omnino requirebant.

Sed præterea quoniam nonnunquam SS. Patres, libertatem voluntatis discernebant, à libertate arbitrii, illam in fola fpontaneitate, & immunitate à coactione stricte fumptis reponebant, atque ideo hominem libere agere dicebant, quia volens agit, libertatem vero arbitrii, in electione, atque agendi indifferentia constituebant, qua homo fuorum actuum dominus, pofsit agere, vel non agere. Hæc clara funt ex adductis SS. Patrum textibus, & clariora fient ex adducendis.

Quæres 5to. An igitur homo in statu naturæ lapsæ, vera polleat libertate arbitrii, ac indifferentiæ?

Resp: Homo in præsenti statu naturæ lapsæ, vera pollet libertate arbitrii, ac indifferentiæ. *Probatur 1mo.* ex facris Scripturis. Deuter: Cap: 30. Moyses populo Israelitico mandata Dei proponens, sic inquit: *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & e contrario mortem, & malum. Elige ergo vitam, ut & tu vives, & femen tuum.* Et Josue Cap: 24. ait: *Optio vobis datur, eligite hodie quod placet, cui fervire debeatis, utrum diis, quibus fervierunt Patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorreorum, in quorum terra habitatis, ego autem, & Domus mea, Domino ferviemus.* Jam vero electio in libertate indifferentiæ consistit, & in his quæ prorsus determinata funt, optio efse nequit. Unde S. Thomas Doctor 1ma. 2dæ quæst: 13. art: 2. sic inquit: *Cum electio sit præacceptio unius respectu alterius, necefse est ut electio sit respectu plurium, quæ eligi pofsunt, & ideo in his, quæ funt determinata ad unum, electio locum non habet.* Sed & Ecclesiastici Cap: 15. hæc legimus: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii fui, adjecit mandata & præcepta fua, si voluerit mandata fervare, conservabunt te.* Quæ Ecclesiastici verba & veram hominis describunt libertatem, libertatem

fci-

ſcilicet arbitrii ac indifferentiæ, qua sibi ipsi, prout eî placuerit, consulere, & si voluerit, mandata ſervare poſſit, & homini in præsenti statu naturæ lapsæ constituto, applicantur, idem siquidem ſunt cum verbis Christi, quibus interroganti cuidam, *quid bonifaciam, ut habeam vitam æternam*, respondit Math, Cap: 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: ipse etiam Ecclesiasticus, ſermonem ſuum mox convertit ad hominem in præsenti statu existentem dicens: *Ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Cum ergo his & vera hominis libertas depingitur, & illa homini in præsenti naturæ lapsæ statu existenti aſſeratur. Vere ergo liber est. Et vero idem Ecclesiasticus sic loquitur de homine justo: *Erit illi gloria magna, qui potuit transgredi, & non est transgreſſus, facere mala, & non fecit*: quibus consonat S. Paulus I. ad Corinth: Cap: 7. ubi laudat illum, & ipsum bene facere aſſerit, qui judicavit in corde ſuo ſervare virginem ſuam, *non habens neceſſitatem, potestatem autem habens ſuæ voluntatis.* Qui vero cum poſſit mandata transgredi, male facere, attamen illa non facit, mandata non transgreditur, ſed illa ſervat, atque non habens neceſſitatem, bene agit, ſuæ voluntatis exercens potestatem, vere liber est, libertate ſcilicet arbitrii, & indifferentiæ, Hæc itaque quoniam modis omnibus competit homini in præsenti naturæ lapsæ statu constituto. Vere igitur ipse liber est.

2*do*. Idem probatur ex SS. Patribus. Cum Manichæi hæretici, libertatem homini denegarent, illam S. Augustinus strenue defendit, ac vindicavit. Et quidem libro 2. contra Faustum Cap: 5. â fato ſe abhorrere dicit: *Ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel male vivitur, propter justum judicium Dei, ab omni neceſſitatis vinculo, vindicemus.* Talem ergo libertatem homini Augustinus aſſerebat, quæ ab omni neceſſitatis vinculo, immunis eſſet. Cum vero postea exorta eſſet Pelagiana hæresis, quæ liberum arbitrium extollens, gratiam deprimebat, ita Augustinus gratiam propugnavit, ut et liberum arbitrium aſſereret, quare libro 2. de nuptiis, & concupisc: Cap: 3. ita Pelagianos alloquitur: *Liberum in hominibus eſſe arbitrium, utique dicimus, non hinc estis Pelagiani, ista quippe Catholica fides dicit*, atque cum iterum alii sic gratiam defenderent, ut liberum arbitrium negare viderentur, integrum conscripsit librum de gratia, & libero arbitrio, ut utrumque simul admitti debere osten-

deret, unde Epist: 215. concludit: *Fides sana Catholica, neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam, neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid.* Sed preter Augustinum, multi alii occurrunt SS. Patres, qui Fatalistis, Manichæis, cæterisque liberi arbitrii eversoribus, se valide opposuerunt, sufficiat hic S. Hieronymum adduxisse, qui libro 2. contra Jovinianum sic ait: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, nec corona est:* quæ verba S. Augustinus libro de natura & gratia Cap: 65. postquam laudavit, sic exclamat: *Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam?* His addendus est S. Thomas Doctor, qui quæstione 6. de malo sic inquit: *Quidam posuerunt, quod hominis voluntas ex necessitate moveretur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur, non enim omne necessarium est violentum. Hæc autem opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti, vel demeriti in humanis actibus, non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones, quia non solum contrariatur Fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis, si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis philosophia consistit.* Nihil certe clarius, nihil fortius pro humana libertate afferri potuit. Hic enim & veram hominis libertatem constituit in immunitate à præmente necessitate, & talem libertatem homini reipsa inesse invictis rationibus probat, atque contrariam opinionem hæreticam, & sanæ philosophiæ contrariam esse pronuntiat.

Quæres 6to. Estne igitur dogma fidei catholicæ, hominem in statu naturæ lapsæ, vera gaudere libertate?

Resp: Est dogma fidei Catholicæ, quia ab Ecclesia hæc indubitata veritas multoties fuit definita. Et quidem in Concilio Constantiensi Sess: 8. proscripta fuit hæc Wiclefi propositio: *Omnia de necessitate absoluta eveniunt.* Concilium quoque Tridentinum Lutteri & Calvini proscribens errores statuit Sess: 6. Can: 4: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, neque posse dissentire si velit, anathema sit;* & Can: 5. *Si quis libe-*

liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum amiſsum, & extinctum dixerit, aut rem eſse de ſolo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique â ſatana invectum in Ecclesiam, anathema sit.

Obijcies 1mo. Ille non est liber, qui non habet in potestate vias ſuas. Porro ex Scripturis Sacris constat, hominem non habere in potestate vias ſuas. Sic Jeremiæ Cap: 10. dicitur: *Scio Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, & dirigat greſsus ſuos:* & Paulus ad Romanos Cap: 9. ait: *Non est volentis, neque currentis,* Capite vero 7. dicit hominem captivari ſub lege peccati, unde de ſe ipso ait: *Non quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago.* *2do.* S. Augustinus pluribus in locis docet, per Adæ peccatum deperditum eſse liberum hominis arbitrium. Sic Enchir: Cap: 30. *Libero arbitrio male utens homo, & se perdidit, & ipsum:* atque ex istiusmodi Protoparentis nostri peccato, duram profluxiſse peccandi neceſsitatem, affirmat idem S. Doctor libro 2. de persev: just: Cap: 5. ubi sic ait: *Quia peccavit, ſecuta est peccantem peccandi dura neceſsitas.*

Resp. ad primum. Homo ſolus, propriis viribus relictus, & sine Dei adjutorio, non habet in potestate vias ſuas, neque ſemper ipse potest ad rectum greſsus ſuos ordinare atque dirigere, adeo, ut nunquam à ſemita veritatis deviet, ſed hæc cum Dei auxilio, quod nemini denegatur, præstare potest. Unde dicitur Prov: Cap: 16. *Cor hominis disponit viam ſuam, ſed Domini est dirigere greſsus ejus.* Eodem modo intelligenda ſunt verba Apostoli dicentis: *Non est volentis, neque currentis,* ſolius ſcilicet hominis, ut ad optatum felicitatis æternæ, per bona opera currendo, perveniat finem, ſed id est hominis currentis, & volentis cum divina miseratione, & Dei auxilio, unde statim addidit, *ſed miserentis Dei,* quare etiam Corinthios Epist: 1. Cap: 9. sic exhortatur: *Sic currite, ut comprehendatis.*

Quod vero dicit Apostolus, hominem captivum teneri ſub lege peccati, id libertati humanæ nihil plane nocet. Namque per legem peccati intelligit eo loci Paulus, pravæ concupiscentiæ motus, quibus in hac miserabili vita ſubjecti ſumus, & quos inviti etiam ſentimus, unde ibidem sic ait: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Certe hæc lex peccati, cum sit in membris carnis, alia non est, nisi rebellis concupiscen-

scentia, quæ ſemper ſpiritui, & legi mentis resistit. Et hanc concupiscentiam, quia ex primi Parentis nostri peccato fluit, atque ad peccandum ſemper trahit, ideo Apostolus malum & peccatum appellat, ac quoniam inviti etiam, ac reluctantes ipsam experimur, & ſummopere ſalubre homini foret, si illam non ſentiret, hoc bonum eſse censet & dicit: *Non quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago.* Non de bono opere, aut peccato personali hic loquitur Apostolus, quasi neceſsitate præmente ab illo abstraheretur, ad hoc impelleretur, ſed de ipsa concupiscentia, quæ regnat in membris carnis nostræ, cujus motus ſentire vel non ſentire non est liberum homini, quia neceſsario quisque, quamdiu in hoc mortali corpore vivit, ipsos experitur, unde ſubjungit: *Si autem, quod nolo, illud facio, jam non ego operor, ſed quod habitat in me peccatum.* Verum iis aſsentiri, vel diſsentire, liberæ est hominis voluntatis, ut bene docet S. Augustinus libro de Spir: & litt: Cap: 34. ſcribens: *Consentire vel diſsentire, propriæ voluntatis est.* Et ipse Apostolus malæ concupiscentiæ ad peccatum trahenti ſe resistere gloriatur dicens: *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem*, & iterum: *Ipse mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati.* Libertatem itaque hominis in faciendo, vel abstinendo, quod bonum, aut malum est, in consentiendo, & diſsentiendo pravis concupiscentiæ motibus, adstruit Apostolus, non illam negat.

Quod attinet S. Augustinum, tum ipse, tum alii SS. Patres affirmant, in Adamo periiſse libertatem, ſed illam, quæ erat à peccato, quia amiſso feliciſsimo innocentiæ statu, peccatis ſubjecti facti ſumus, verum illa non periit, qua à neceſsitate immunes ſumus, licetsi & ipsam attenuatam, atque per rebellem concupiscentiam, per ignorantiæ tenebras, debilitatam eſse aſserant. Ita mentem ſuam explicat ipse S. Augustinus libro 1. contra duas Epist: Pelagian: Cap: 2. ubi sic inquit: *Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana indiget gratia, dicente Domino. Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis, utique ad bene, justeque vivendum.* Quare & Synodus Tridentina Seſs: 5. docet, totum Adam per prævaricationis offensam ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuiſse. Cum vero S. Augustinus homi-

homini duram incumbere peccandi necessitatem, affirmat, non absolutam & invincibilem, sed moralem tantum, quæ gratiæ divinæ auxilio vinci potest. Enimvero cum Pelagiani rejecto peccato originali, existimabant hominem pari momento se ad vitia, vel virtutes moveri, ut errorem hunc confutaret Augustinus, ubique contendit, per Adæ peccatum invectam esse peccandi necessitatem, verum S. Doctor necessitatem hanc, etsi duram & prementem, nulli invincibilem esse dicit, imo illam vinci posse, pluribus in locis expresse docet. Sic libro 2. de Actis cum Felice Cap: 8. inquit: *Consvetudo quantumvis roborata, ab homine superari potest*, & libro 1. Operis imperfecti ait: *Ut non adsit ista necessitas peccandi, donat ille, cui dicitur. De necessitatibus meis erue me*: ac tandem libro de duabus animabus sic inquit: *Multa sunt quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere, sed nulli tam liberum, quam illo fuit*, scilicet Adam, *qui Deo suo, â quo erat conditus rectus, nullo prorsus depravatus vitio, adstabat.* Nimirum contendebat Augustinus in præsenti corruptæ naturæ nostræ statu, non esse illam plenam, perfectamque libertatem, qua potiebatur Adam, antequam peccasset, sed imminutam, attenuatam, debilitatam, atque inde, & ex naturæ ipsius corruptione subsecutam fuisse peccandi necessitatem, sed semper vincibilem, & superabilem, qua, etsi multa mala sunt, quæ homines agunt, liberum tamen est illis, ab eis abstinere.

Quæres 7mo: Potestne etiam rationibus naturalibus, libertas humana comprobari?

Resp: Libertas humana, multis rationibus naturalibus, argumentisque inde petitis potest comprobari. Et quidem validissimum pro nostra libertate nobis suppeditat argumentum, intima nostra conscientia. Etenim, intime persvasi sumus, nos quemadmodum ratione, ita & libertate pollere. Namque quilibet hoc sentit, se quidem ita velle esse felicem, ac beatum, ut nullatenus possit sese ab istiusmodi desiderio expedire, quare necessario cupit esse felix, ac beatus, sed bona particularia, ita quisque vult ac desiderat, ut ipse sibi conscius sit, posse se illa non velle. Et reipsa de illis sæpe consultamus, nonnunquam suspensi hæremus. deliberamus, quia scilicet, cum semper habeant aliquam admixtionem mali, ad illa necessitate non trahimur, sed plena libertate fruimur. Et hic opportunum est considerare, minoris etiam momenti deli-

deliberationes nostras, in quibus determinationis nostræ ad hoc potius, quam ad aliud, eſse non potest alia ratio, præter libertatem nostram. Sic exg. pro meæ libertatis exercitio, volo manum movere, eamque dextrorsum, vel sinistrorsum, pro lubitu, aut illam inquiete conservare. Porro hoc unum exemplum ſufficit, ut nostræ libertatis convincamur etiam in aliis rebus, in quibus, quamvis majora appareant agendi, vel non agendi motiva, nunquam tamen talem, ac tantam vim habent, ut voluntas neceſſario ab iis pertrahatur, quia ſemper alia opposita motiva considerare potest, & vel manere ſuspensa, ut aliquoties evenit, vel se ad quam libuerit partem inclinare.

His accedit, homines gaudio, ac voluptate affici, quando percipiunt se rectum ac vere bonum intendiſse, ac prosecutos fuiſse, pudore vero, ac pænitudine, eum pacato paſsionum æstu deprehendunt se nonnisi bonum apparens, quod in se vere malum est, elegiſse. Hoc autem non aliunde provenit, nisi inde, quia nostræ libertatis conscii sumus, qua potuimus hæc mala declinare, adeoque istorum in nobis ipsis causam agnoscimus, ſed & evidenter apparet discrimen inter illa mala, quæ nobis involuntarie, & inopinato accidunt, aut ad quæ vi extrinseca cogimur, & illa quæ ipsi deliberate, & volentes agimus imprimis, licetsi aliquando dolorem, ac tristiciam sentimus, ſed conscientiæ remorsibus non pungimur, in posterioribus, conscientiæ remorsibus exagitamur, nos illorum vere pudet, ac pænitet. Ratio vero hujus discriminis alia non est, nisi quia intime persvasi sumus, nos hæc libere perpetraſse, illa inopinato, & nobis invitis accidisse. Ipsum ergo constans, & invariabile conscientiæ nostræ testimonium, validiſsimum suppeditat pro nostra libertate argumentum. Et hoc exinde magis adhuc confirmatur, quod istiusmodi intimus sensus, non sit privatus dumtaxat unius aut alterius hominis, ſed communis plane omnium nationum, de plena hominis libertate persvasio conspirat. Hinc illæ ideæ justi, & injusti, meriti, & demeriti, præmii, pænæ, laudis, ac vituperii, omnium animis insitæ, quæ vanæ, ridiculæque prorsus eſsent, nisi in homine veram eſse libertatem ſupponerent. Quæ quidem ut omnibus nota eſse ostenderet Augustinus, dicebat in libro de duabus animabus Cap: XImo. *Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis & docti in bibliothecis, & magistri in Scholis, & Antistites in sacratis locis, & in orbe terrarum genus humanum.*

Hinc

Hinc etiam justa supplicia à Magistratibus in reos decreta sunt, non tantum ut isti humanæ societatis hostes, de medio tollantur, ut fit cum lupis, aliisque ferocibus belluis, sed etiam ut paucorum supplicia, alios ab impiis facinoribus absterreant, quod quidem inutile esset, si homines arbitrii libertate non pollerent. Merito ergo semper fuit omnibus hominibus persvasum, atque pro certo ubique reputatum, nullum esse bonum aut malum morale, quod homini imputari possit sine libertate, quamobrem actiones puerorum, usum rationis nondum habentium, aut amentium, nunquam ad meritum, vel demeritum imputatæ fuerunt. Ex sola itaque ratione invicte probatur, hominem vere liberum esse.

Sed his merito addi debent rationes, quibus S. Thomas Doctor, humanam evincit libertatem. *1mam:* Sic ponit, part: 1ma quæst: 81. art: 3. Si homo non esset liber, frustra essent consilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, vel enim homo necessitate quapiam determinatus esset ad hæc, quæ consuluntur, præcipiuntur, facienda, & adimplenda, vel non. Si primum, frustra consuluntur, præcipiuntur, quia necessario fient, si secundum, iterum frustra prohibentur, quia vitari nequeunt, & ab iis homo abstinere non potest. Porro consilia, præcepta, exhortationes, prohibitiones, ubique terrarum sunt in usu, ac ubique vigent, necessario ergo supponunt hominem esse liberum. *2dam:* Taliter 1ma, 2dæ quæst: 13, art: 6. adornavit: *Potest homo velle, & non velle, agere & non agere, potest etiam velle hoc, aut illud, cujus ratio ex ipsa virtute rationis accipitur. Quidquid enim ratio potest apprehendere ut bonum, in hoc voluntas tendere potest. Potest autem ratio apprehendere ut bonum non solum hoc quod est velle, aut agere, sed hoc etiam, quod est non velle, & non agere. Et rursum in omnibus particularibus bonis, potest considerare rationem boni alicujus, & defectum alicujus boni, quod habet rationem mali, & secundum hoc, potest unumquodque hujusmodi bonorum apprehendere, ut eligibile, & fugibile.* Scilicet, homo liber est, si potest velle, vel nolle, agere, & non agere, velle hoc, vel aliud. Sed hoc potest homo. Voluntas siquidem rationem sequitur. Jam vero ratio in omnibus, quæ ipsi occurrere, & obversari possunt, potest bonum & non bonum, atque malum apprehendere, ac perspicere. In quo autem ratio perspicit, & apprehendit non bonum, atque malum, illud voluntas nolle potest, in quo perspicit, & appre-

apprehendit bonum, illud velle potest, ac propterea secundum rationis apprehensionem, & ipsius perceptionem, agere, vel non agere, velle, & nolle, hoc vel illud. Cum vero in his sita sit plena hominis libertas, consequens est, vere illam homini competere.

Obijcies 1mo: Omnes, qui ex sensu conscientiæ suæ putant se liberos eſse, liquido falluntur, quemadmodum delirans, somnians, credunt se libere loqui, agere, cum tamen loquendi, agendi, impetum cohibere non poſsunt. Quare ipsa experientia, & ratio clare docet, homines ea solum de causa liberos se eſse putare, quia suarum actionum conscii sibi sunt, & causas á quibus ad illas determinantur ignorant. Ex sensu itaque conscientiæ nostræ, nullum pro libertate humana depromi potest argumentum. *2do:* In electionibus nostris, quæ præmiſso motivorum examine, fiunt, mens nostra à motivis fortioribus tota dependet, adeo ut voluntas nihil aliud eligere poſsit, quam id, quod reipsa eligit. Si enim quod voluntas eligit, rationem habet ſufficientem, neceſse est, ut illius oppositum ratione ſufficiente careat, adeoque à voluntate eligi non potest, nisi dicatur aliquid fieri sine ratione ſufficiente, quod eſset fortuitum casum introducere.

Resp: ad 1mum: Hæc ipsa, quæ in objectione adducta sunt, non solum argumentum pro libertate humana ex sensu intimo adductum non labefactant, sed illud confirmant. Quemadmodum enim deceptiones delirantium, somniantium, aut ebriosorum, ex sano rationis judicio deteguntur, & corriguntur, ita quoque, si intimæ conscientiæ sensus, quo de libertate nostra certi reddimur, deceptuosus, ac fallax foret, ex rationis judicio hæc deceptio, & falsitas detegeretur, cum itaque ille constans, & uniformis semper sit, nec unquam falsitatis argui potuit, recte concluditur, illi fidendum eſse. Quod nisi fiat, neceſse est, ut de nostra etiam existentia dubitemus.

Ad 2dum: Principium rationis ſufficientis, adeo universaliter sumi nequit, ut nulla detur exceptio, quia plura occurrere poſsunt, in quibus ratio ſufficiens eligendo hoc, vel illud, nullum habeat locum exg. optio alicui detur unam eligendi ex duabus margaritis, quas non videt, sed perfectiſsime æquales eſse pro certo habet, unam profecto, pro sua libertate seliget, sine ulla alia ratione ſufficiente, nisi quia ipsi sic placet, & pro ratione sua illi stat voluntas. Sed etiamsi detur in electionibus nostris semper ex parte objecti eſse aliquam rationem ſufficientem

hæc

hæc nulla alia erit nisi bonum vel malum in eo apparens. Quidquid enim ratio potest apprehendere ut bonum, in hoc voluntas tendere potest, & quidquid apprehendere potest ut malum, potest ab eo se avertere. Jam vero in omnibus rebus, potest homo considerare rationem alicujus boni, & defectum alicujus boni, quod habet rationem mali, & propterea potest unumquodque apprehendere ut appetibile, vel etiam ut fugibile. Et ipse quotidianus rerum usus nos docet, pro libertate nostra nos considerare vel motiva, in quibus ratio sufficiens continetur, objectum amplectendi, vel opposita, quibus voluntas ad illud fugiendum inclinatur.

Dices: Ostendi nequit, in quo nostra libertas exerceatur, cum nihil sit in nostra potestate. Certe in nostra potestate non est *intellectus*, quia plura sunt, quæ omni adhibita diligentia, cognoscere non possumus, sæpe fallimur, & nemo est, qui quamvis maxime cupiat, omnes possit declinare errores. Neque etiam in nostra potestate est *memoria*, cum non possimus recordari, & multo minus oblivisci quando volumus. Imo nec ipsa *voluntas* in nostra est potestate, quandoquidem illa adeo est mutabilis, ut nemo sit, qui possit, etiamsi id omnino statuat, eandem voluntatem diu immutabiliter conservare. Tandem multo minus in nostra potestate sunt appetitus nostri, cupiditatibus enim abrepti multa agimus, quorum nos postea pænitet, & quorum ante pænituit, iterum facimus.

Resp: Hæc frustra obijciuntur, probant enim tantummodo, nostram libertatem esse limitibus circumscriptam, & magnam in nobis esse vim passionum, ut sæpe nonnisi cum difficultate eis resistere possimus. Non possumus quidem omnia cognoscere, sed si volumus plura percipimus. In multos labi errores, est naturæ nostræ defectus, sed qui diligentia, ac industria utitur, in pauciores incurrit, multosque evitat. Non est in nostra potestate oblivisci, nec omnium, quorum volumus, recordari, quædam tamen sunt ad memoriam excolendam media opportuna. Verbo, multa sunt in quibus possumus nostram libertatem exercere, quamvis non omnia sint à Deo in nostra potestate recondita. Itaque licet homo per voluntatem, & liberum arbitrium sit dominus suorum actuum, non tamen est dominus suarum naturalium potentiarum, & ideo quamvis liber sit ad volendum, vel ad non volendum, non tamen volendo, efficere potest, ut volun-

voluntas in eo quod vult, immobiliter permaneat. Quantacunque autem sit perduellis concupiscentiæ nostræ vis, semper potest homo cum auxilio gratiæ divinæ illi resistere, & hoc ex eo ipso apparet, quod postquam ejus motibus cessimus, nos pudet, ac pænitet, quod certe non contingit in morbis, aliisque infortuniis, quæ necessitate naturæ patimur, quorum neminem pudet, neque pænitet.

Quæres 8vó: In quo sita sit radix libertatis?

Resp: Certum est, ad libertatem & intellectum concurrere, & voluntatem, sed libertas radicaliter est in intellectu, formaliter vero in voluntate. Ita docet S. Thomas Doctor 1ma 2dæ quæst: 17. art: 1. quod & probat, sic: *Radix libertatis est voluntas, sicut subjectum, sed sicut causa est ratio. Ex hoc enim voluntas potest libere ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni, & ideo Philosophi definiunt liberum arbitrium, quod sit liberum de ratione judicium, quasi ratio sit causa libertatis.* Et quidem intellectum esse primam libertatis radicem, primamque causam, vel ex eo solo veteri adagio patet: *Nihil volitum, quin præcognitum*, unde sequitur, voluntatis motum ex cognitione objecti oriri, & ita quidem, ut voluntas nihil velle possit, quod prius à ratione non fuerit veluti bonum propositum, atque judicatum, alioquin voluntas foret appetitus irrationalis. Quare nequit esse peccatum in voluntate, nisi error & deordinatio præcesserit in intellectu, & quamvis in peccatoribus, potest esse judicium rectum in universali, sed in particulari agibili, eorum judicium semper corrumpitur, quapropter licetsi nonnulli malum quod agunt, speculative cognoscunt, omnes tamen semper sequuntur judicium practicum, quo ipsis hic, & nunc objectum apparet delectabile, bonum, & amplectendum.

Formaliter tamen libertas est in voluntate, in qua sola est electio, unde etiam ipsi tribuitur meritum, & demeritum. Unde S. Augustinus libro de duabus animabus Cap: 10. inquit: *Nonnisi voluntate peccatur.* Ex quo omnino consequitur, ut quamdiu manet judicii indifferentia, nunquam potest voluntas necessario ad aliquid amplectendum moveri, quia voluntas in nullum fertur objectum, nisi quatenus ei bonum repræsentatur; quotiescumque igitur judicium intellectus circa bonitatem, vel pravitatem objecti, erit indifferens, hoc est, quotiescumque poterit intellectus voluntati repræsentare objectum, vel sub aspectu boni, vel sub aspectu mali, semper erit in

volun-

voluntate libertas, illud vel amplectendi, vel aversandi atque declinandi.

Quæres 9no: Utrum potentia peccandi pertineat ad libertatem?

Resp: Potentia peccandi, ac proinde indifferentia ad bonum & malum, non pertinet ad eſsentiam libertatis: Deus siquidem in iis bonis, quæ nobis præstat, liberrimus est, nulla autem est, neque eſse potest, in eo indifferentia ad malum, quia malum velle nequit: præclare id exponit S. Thomas Doctor: in 2. dist: 25. quæst: 1. art: 1. scribens: *Ad rationem liberi arbitrii non pertinet ut indeterminate se habeat ad bonum vel malum, quia liberum arbitrium per se est ordinatum ad bonum, cum bonum sit objectum voluntatis, nec in malum tendat, nisi propter aliquem defectum, quia apprehenditur ut bonum, cum non sit voluntas, aut electio nisi boni veri aut apparentis, & ideo ubi perfectiſsimum est liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest, quia imperfectum eſse non potest. Sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non facere poſsit, & hoc Deo convenit, bona enim quæ facit, potest non facere, nec tamen malum potest facere.* Quare indifferentia ad bonum & malum, seu potentia peccandi, est potius imperfectio, ac proinde cum libertas nostra per peccatum primi Parentis nostri debilitata, corrupta, ac diminuta fuerit, propterea valde imperfecta sit; ideo SS. Patres communiter eam exponunt per indifferentiam voluntatis nostræ ad bonum & malum, per potentiam bene vel male agendi. Cæterum iidem SS. Patres, non raro mentionem faciunt libertatis á peccato, quam gratia nobis tribuit, ut cum inquit S. Bernardus libro de gratia, & libero arbit: *Triplex est nobis proposita libertas, á peccato, á miseria, á neceſsitate. Hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione natura, in pristinum restauramur á gratia, media nobis reservatur in Patria.*

ARTICULUS 2dus

De moralitate, & imputatione actuum humanorum.

Quæres 1mo: Quid sit moralitas, & imputatio actuum humanorum?

Resp: Moralitas actuum humanorum, est illorum bonitas,

nitas, vel malitia. Imputatio est, quod ad pænam, aut mercedem deputentur. Nonnulli è grege Hæreticorum, qui juris naturæ interpretes vocari amant, moralitatem actuum humanorum, cum illorum imputabilitate confundunt, cum tamen evidentifsime illa reipsa distincta efse appareat. Moralitas siquidem actuum humanorum, bonitas fcilicet, & malitia eorum, est quid primum in ipsis, imputatio vero est consectarium moralitatis, & prius est quod actio sit moraliter, bona, aut mala, quam quod alicui imputetur ad præmium, vel ad pænam. Non enim alia de causa actio hæc deputatur homini ad pænam, nisi quia mala est, ideo vero alia ipsi deputatur ad præmium, quia bona est. Itaque prius est actionem efse moraliter bonam, aut malam, quam eam ad pænam vel præmium deputari. Unde & Genesis Cap: 4. dixit Deus ad Cain: *Si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in forribus peccatum aderit.* Sed etiam antequam actio quæpiam homini imputetur, non folùm attenditur an bona, vel mala sit, fed etiam gradus malitiæ, aut bonitatis ipsius expenduntur, ut major, aut minor pæna, majus aut minus præmium, agenti destinetur. Quare moralitas actuum humanorum, cum illorum imputatione confundi non debet.

Quæres 2do: In quo consistit moralitas actuum humanorum?

Resp: Certum imprimis est, moralitatem actuum humanorum, non efse denominationem pure extrinsecam. Enimvero, moralitas actuum humanorum, est bonitas ac malitia eorum, hæc vero est ipsis intrinseca, in natura eorum fundatur, denominatio vero pure externa, nihil ponit in rerum natura. Præterea, rerum denominationes, ab hominum opinione, acceptatione, vocum usu, dependent, moralitas vero actuum humanorum, ab his independens est, invariabilis, immutabilis, femper eadem, cum externæ demominationes mutabiles, variabiles, ac pro locorum, temporum, nationum diversitate, diversæ sint. Moralitas itaque actuum humanorum, non est pure externa denominatio.

Itaque moralitatem actuum humanorum, aliqui in libertate reponunt. Sed male, quia libertas necefsario quidem ad moralitatem actuum humanorum prærequiritur, cum actio quæ non est homini libera, nequeat bona, aut mala moraliter efse, aut dici, neque etiam ad præmium, aut pænam deputari; attamen ipsa moralitas eorum, in libertate minime consistit. Certe idem actus huma-

humanus invariata libertate, duplicem moralitatis speciem induere potest, ut si ex se indifferens quidpiam aliquis egerit, modo propter bonum, modo propter malum finem, in priori namque casu erit actus bonus, in secundo erit malus. Errant ergo qui moralitatem actuum humanorum, in libertate consistere putant.

Verum longe pejus errant, qui cum Hobbesio, totius moralitatis fundamentum propriam utilitatem statuunt, eo enim totam moralitatem evertunt, atque hominis erga alios officia è medio tollunt. Certe si sola propria utilitas, moralitatis fundamentum sit, jam nulla de aliis habenda nobis erit cura, nisi dum illa nobis utilis erit, nos ceteris omnibus anteferre semper poterimus, eaque omnia adversus cæteros homines nobis licita erunt, quæ utilia atque proficua nobis reputabuntur. Denique nihil in se bonum, aut malum, nisi quod nobis utile aut nocivum est. His vero positis, tota moralitas è fundamentis subvertitur, totus, ac integer inducitur Epicureismus, atque ad omnem impietatem latissima panditur via. Repugnat siquidem ut quis honeste ac virtuose vivat, vitia fugiat, qui nihil in agendo quærit, quam propriam utilitatem, ad illam siquidem omnes actiones suas referet, propria utilitate omnia qualiacunque sint, metietur. Unde præclare Cicero Libr: I. de Legibus sic inquit: *Qui non ipso honesto movemur ut boni viri simus, sed utilitate aliqua, atque fructu, callidi sumus non boni, nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem, & judicem. Quid in deserto loco nactus, quem multo auro spoliare possit imbecillem, atque solum. Noster quidem hic natura justus vir, ac bonus, etiam colloquetur, juvabit, in viam deducet, is vero qui nihil alterius causa faciet, & metietur suis commodis omnia, videtis credo, quid sit acturus.* Certe quævis actio licet in se iniqua, atque criminosa, uti talis, ab illo qui propriæ nonnisi studet utilitati, haberi non potest, si aut veræ aut etiam secundum ipsius apprehensionem reputatæ adversetur commoditati. Quare multi etiam in Atheismum, aut Deismum prolapsi, id unicum volunt, ut moralitas actuum humanorum, uniuscujusque utilitate definiatur. Et vero, moralitas eadem apud omnes homines esse debet, utilitas autem propria diversa est pro cujusque conditione, & opinione. Præterea utile ab honesto, natura sua distingvitur, eique quam sæpissime adversatur. Nequit ergo propria utilitas, esse fundamentum, aut regula moralitatis.

Quæ-

Quæres 3tio: In quo ergo reponenda est moralitas actuum humanorum?

Resp: Moralitas actuum humanorum, reponenda est in ordine ad regulas morum, ita ut actus humanus dicatur, & reipsa sit bonus, cum est regulis morum conformis, malus vero, cum est ipsis difformis atque dissentaneus. Enimvero in naturalibus illa censentur esse bona, & laude digna, quæ juxta naturæ normam, & artis regulas, confecta sunt, quæ contra ea vituperantur, ac mala esse reputantur, pariter in moralibus, quæ morum regulis conformia, ac consentanea sunt, bona sunt, laudem atque præmium merentur, quæ illis sunt difformia, quæ dissentanea, mala, atque vituperio, pænaque digna reputantur. Istud vero, quod actus humani sint regulis morum conformes, aut etiam difformes, à natura sua habent. Duæ siquidem sunt immutabiles ac invariabiles morum leges. Ratio scilicet Divina, quæ est lex æterna, & humana ratio, qua nobis lex naturalis intimatur. Porro quod alii actus humani Divinæ, ac humanæ rationi conformes, aut difformes sint, id à natura sua habent, quia & ratio Divina est omnium naturarum forma, exemplarque, & ratio humana omnes præcedit naturas, cum sit participatio legis æternæ, juxta quam omnia fabricata sunt. Unde & Cicero de Legibus libro I. ait: *Lex est summa ratio insita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibet quæ contraria, eadem ratio cum est in hominis mente confirmata, & confecta, lex est*: & iterum libro 2. *ergo est lex justorum injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam.* Ex quibus denuo illud consequitur, moralitatem actuum humanorum, in natura rerum fundari, esseque actibus humanis intrinsecam. Quamquam vero prima ac immediata, nobisque intima morum regula, sit hominis recta ratio, quia tamen hæc multis erroribus subjacet, inordinatis passionibus obnubilatur, atque homo sæpissime pravis inclinationibus excecatur, à veritate abducitur, ideo ut tute & secure de rectitudine morum judicemus, magis oportet attendere Divinam rationem, legem illam scilicet æternam, prout nobis à Deo revelatione manifestata est, hæc enim est immobilis, invariabilis, ac infallibilis morum regula, cui actus nostros omnino conformare debemus, unde Apostolus exhortatur Romanos Cap: 12. ut probent: *quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Quare præclare S. Thomas Doctor 1ma 2dæ quæst: 19. art: 4. sic inquit:

inquit: *Quod ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas, mensuretur, habet ex lege æterna, quæ est ratio Divina. Unde in Psalmo 4to dicitur.* Multi dicunt, „ quis ostendit nobis bona? Signatum est ſuper „ nos lumen vultus tui Domine: *quasi diceret, lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, idest à lumine tuo derivatum*; & post pauca sic concludit: *Unde manifestum est, quod multo magis pendet bonitas voluntatis humanæ à lege æterna, quam à ratione humana.*

Quæres 4to: Ut actus humani ad meritum vel demeritum imputentur, quæ requiruntur?

Resp: Ut actus humani ad meritum vel demeritum imputentur, præprimis libertas est neceſsaria, nulla siquidem actio, nisi libera, potest homini imputari. Unde Eccles: cap: 31. meretur homo gloriam, quia: *potuit transgredi, & non est transgreſsus, facere mala, & non fecit.* Et certe nemo vituperio, vel laude, pæna vel præmio dignus est in iis, quæ ipsi libera non ſunt, quæ ſcilicet vel facere non valuit, aut à quibus abstinere non potuit, quod adeo perspicuum est, ut quisque putet ſe prorsus à quacunque accuſsatione purgare poſse, & à reddenda qualibet ratione omnino immunem eſse, si aſserere & probare poſsit, ſe quidpiam ex mera neceſsitate feciſse, aut etiam per ſe non stetiſse, quin aliquid fieret. Quare quod neceſsitate facimus, vel omittimus, id naturæ nostræ, constitutioni, aut etiam vi externæ cogenti, non vero voluntati, aut arbitrio tribui ſolet. Ergo neque etiam illi imputari potest. Fundamentum itaque omnis imputationis, est libertas, quæ prout laxatur, aut restringitur, ita etiam magis vel minus imputatio locum habet, magisque, aut minus actio imputatur. Sed præterea, ut actio vel omiſsio libera, homini imputetur ad pænam, aut vituperium, neceſse est, ut quædam adsit ad actionem, vel omiſsionem obligatio. Enimvero ubi nulla est culpa, nulla constitui potest pæna, aut vituperatio, nulla per consequens imputatio eſse potest. Porro ubi nulla est obligatio, nulla etiam eſse potest culpa. Culpa namque est obligationis violatio, ac illius transgreſsio. Igitur si desit obligatio, nihil imputari poterit.

TRACTATUS

DE

LEGIBUS.

Lex actuum humanorum regula est. Multiplex autem est lex, naturalis & positiva, positiva alia est Divina, alia humana. Divina vetus est & nova, humana, vel est Ecclesiastica, vel civilis. Harum legum notitiam homo habere debet, ut recte mores ſuos instituat, actusque ſuos bene ordinet.

CAPUT PRIMUM

De lege generatim sumpta, ejus principio, fine, deque lege æterna, atque naturali.

ARTICULUS 1mus

De natura legis, ejusque principio, & fine.

Quæres 1mo: Quid sit lex?

Resp: Lex est quædam ordinatio rationis ad bonum commune instituta, ac promulgata ab eo, qui curam communitatis habet. Dicitur quoque lex, regula & mensura actuum, ſecundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur, priori modo lex definita consideratur prout legislatores respicit, ſecundo modo ſcripta ſpectat eos, pro quibus lex constituitur. Est ergo lex: *quædam ordinatio rationis*, quatenus qui fert leges, ſua utens ratione, ſecundum illius dictamen, quid sit agendum vel non agendum constituit, atque ordinat. Id autem omne, cum ad bonum commune referri oporteat, huic enim recta, & prudens legislatoris ratio consulere intendit, ideo lex vocatur: *ordinatio rationis ad bonum commune*

ne instituta. Illud vero legi superadditur quod sit: *ab eo instituta, & promulgata, qui curam communitatis habet*: quia non est vera lex, quæ fertur ab eo, qui legislativam potestatem non habet. Sed & hoc ad legem requiritur, ut lex promulgatione ſubditis innotescat. Ad veram ergo legem requitur: I. Ut à ratione procedat, ac proinde, justitiæ, atque æquitati consona sit, oportet 2. ut tendat ad bonum commune. 3. ut feratur ab eo, qui legislativam habet potestatem. 4. ut promulgatione innotescat illis, qui eam servare debent.

Dices: Leges correlationem habere debent ad cujusque regionis clima, non ad aliquam respicere justitiam.

Resp: Bonus ac sapiens legislator, non ad climatis naturam respicere debet, sed ad æquitatis regulas, imo totis viribus incumbere tenetur, ut climatis vitia corrigat, & quamvis influxum aliquem in homines clima habeat, facile tamen bonis legibus, educatione, institutioneque, climatis vitia corrigi poſsunt, ut bene Horatius. Epistolarum libro I. cap: I. advertit.

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere poſsit.
Si modo culturæ patientem accomodet aurem.

Idque ex eo vel maxime patet, quod in populorum moribus, immutationes varias factas esse, historia nos doceat.

Quæres 2do: Utrum ad legem etiam Sanctio prærequiratur?

Resp: Nomine *Sanctionis* id intelligitur, quo legis observatio promovetur. Duplici autem ratione legis observatio promovetur, scilicet vel propositis præmiis, iis qui legem servaverint, vel indictis pænis, illis qui legem violaverint. *Sanctio* ergo consistit tum in præmiorum propositione, ac promissione, tum in pænarum comminatione, quia tam ista, quam illa, homines inducuntur ad faciendum quod lege præceptum est, & ad evitandum quod lege prohibetur. Ex hoc igitur evidentissime consequitur, ad legem ut firma, ac stabilis sit, *Sanctionem* maxime conducere. Id enim ad legem si non omnino necessarium, at maxime conducens est, sine quo lex finem ac ſcopum ſuum vix aſsequi potest, neque firma, ac stabilis eſse potest. Porro sine *Sanctione,* lex ſuum ſcopum, ac finem aſsequi & obtinere nequit. Finis enim & ſcopus legis est, bonum commune, propter quod ipsa constituitur, illud

 autem

autem obtineri nequit nisi lex observetur, non observabitur autem, nisi ad ipsius observationem, *Sanctione* homines adducantur. Sine Sanctione, & lex risui, & Legislator contemptui brevi exponetur, leges etiam maxime opportunæ atque Communitati utiles, oblivioni traduntur, in desvetudinem abeunt, nisi propositis præmiis, ac maxime adhibitis pænis, observatio illarum urgeatur. Convenientissimum ergo est, ut lex quadam Sanctione muniatur. Imo hoc omnino necessarium esse videtur, quia & ipsa edocemur experientia, sine Sanctione leges pessum iri, vanas, atque otiosas esse.

Verum tamen possunt ferri leges, illæque veri nominis leges sunt, licetsi nulla illis annectatur *Sanctio*. Quia vera lex est, quando is, qui imperandi habet potestatem, Communitati cui præest, aliquid ad bonum commune præcipit, quod exequi subditi ejus strictam habent obligationem. Porro hæc stare possunt sine *Sanctione*. Princeps siquidem qui Communitati præest, jus, potestatemque imperandi habet, licetsi nulla proponat præmia, aut ullas comminetur pænas, & sine his subditi ejus stricte tenentur, atque obligantur, jussis ejus obtemperare, imperata ipsius adimplere. Et præterea, quamvis legislator in promulgatione legis nulla præmia, nullas apponat pænas, semper tamen & præmia conferre potest, observantibus, pænas infligere illas violantibus, atque sic legi suæ consulere. Unde bene multæ leges sunt, quibus neque præmia, neque pænæ annexæ sunt; ac proinde, absolute loquendo, veræ leges esse possunt sine *Sanctione*.

Quæres 3tio: In quo potissimum consistit Sanctio legum?

Resp: Nonnulli contendunt Sanctionem legis promissioni præmiorum potissimum inniti debere, sed male, magis siquidem ipsa in comminatione pænarum consistit. Quia legislator vix in statu esse potest, ut omnes legem observantes remuneret, & licet nulla promittat ipsis præmia, jus habet à subditis suis legis observationem exigere, & rebelles pænis plectere. Et vero in eo magis *Sanctio* legis consistit, quo plus subditi ad observationem legis permoventur. Porro subditi ad observationem legis plus permoventur comminatione pænarum, quam promissione præmiorum. Ea namque est conditio humanæ naturæ, ut si de aliquo onere à se repellendo, absque ullo pænæ timore agatur, illud à se plerique, quamvis justum, & bono communi opportunum, removere adnitantur. Legibus autem

autem etsi recte, ac juste constitutis, ſemper onus quoddam imponitur, si ergo ad illud portandum ſubditi nullis pænis excitantur, pars illorum maxima ipsum excutiet, unde futurum erit, ut non ſolum lex non ſervetur, ſed etiam in contemptum veniat. Quare si Sanctionis finis ſpectetur, atque etiam conditionis humanæ habeatur ratio, *Sanctio* plus reponenda est, in comminatione pænarum, quam in promiſsione præmiorum. Equidem ad observationem legis promiſsio præmiorum excitare potest, ſed non tanta id præstat efficacia, quanta id efficit comminatio pænarum, quia ſemper homines magis afficiuntur pænis, quam præmiis. Unde vis ac potestas coactiva Legislatori cuivis omnino est neceſsaria, ut ſcilicet, inobedientes, ac legi rebelles, coerceat, legisque ſuæ observationem urgeat.

Quæres 4to: Quod est principium legis?

Resp: Principium legis, à quo lex dimanat, est recta ratio. Quia legibus, justa imperantur, iniqua prohibentur, legibus homines gubernantur, reguntur. Porro justa imperare, iniqua prohibere, homines regere, ac gubernare, opus rationis est, Principium ergo legis, unde lex dimanat, est recta ratio. Quare lex omnis rectæ rationi conformis eſse debet. Ut vero lex rectæ rationi conformiter constituatur, ratio imbuta eſse debet cognitione illorum principiorum, ex quibus profluunt universales morum regulæ. Lex enim actus humanos juxta rectæ rationis dictamina dirigere debet. Debet ergo ratio imbuta eſse cognitione illorum principiorum, ex quibus promanant universales morum regulæ, atque veritates, quæ omnis boni ac honesti fundamenta ſunt. Quo igitur magis istiusmodi morum principia perspecta fuerint, eo etiam facilius, tutius, ac perfectius leges constituuntur. Verum præterea, ut lex juste atque recte constituatur, non ſolum ratio attendere debet ad universalia morum principia, ſed etiam omnia advertere debet, quæ legi adjacent. Quandoquidem habita ratione universalium principiorum, potest aliquid in ſe ſpectatum rectum videri, recteque pro lege constitui poſse, ſed non eo ipso manifestum efficitur, utrum sit conforme iis omnibus, ad quæ attendere neceſse est, ut lex Communitati utilis sit. Fieri namque potest, ut quod in ſe justum ac rectum est, minus utile ac minus opportunum Communitati sit. Ut ergo leges justæ, atque rectæ constituantur, de illarum rectitudine simul & utilitate sine errore decernatur, ad ea omnia diligenter advertendum est, quæ legem comitantur, ac ſubsequi poſsunt.

Quæ-

Quæres 5to: Qui possunt leges condere?

Resp: Leges ferre illi possunt, qui Communitati cum potestate, & jurisdictione præsunt. Legislatio enim est actus jurisdictionis, qui exercetur in eos, quibus lex observanda indicitur, siquidem cum legislatione vis obligandi conjungitur, alioquin lex frustra constitueretur. Cum igitur leges Communitati promulgentur, ut ipsa illas servet; illorum ergo tantummodo est leges ferre, qui Communitati cum potestate, & juridictione præsunt, & quidem suprema. Namque legislatio, est præcipuus actus, quo Respublica regitur, ac gubernatur, legislationem namque cætera omnia consequuntur, quæ ad Reipublicæ regimen necessaria sunt. Ejus igitur solius legislatio esse debet, qui supremam in Rempublicam auctoritatem habet. Quare qui non propria sed aliena auctoritate Communitati præsunt, leges ferre nequeunt, quia vicariam solum potestatem gerunt.

Quæres 6to: Quis est finis legis?

Resp: Commune bonum est finis legis, unde lex omnis ad commune bonum ordinari, & tendere debet. Enimvero lex constituitur communitati, non in detrimentum, sed ad utilitatem illius, alioquin felicior foret conditio hominum, esse sine ulla lege; commune autem bonum cedit in utilitatem communitatis. Igitur lex omnis ad commune bonum ordinari, atque tendere debet, & is est illius finis. Hinc præclare Tullius libro 2. de Legibus sic inquit: *Constat profecto ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam, & beatam conditas esse leges, eosque qui primum hujusmodi scita sanxerunt, populis ostendisse, ea se scripturos, atque laturos, quibus illi susceptis honeste, beateque viverent, quæque ita composita, sanctaque essent, eas leges videlicet nominasse.* Turpiter ergo erravit Pufendorfius, qui Hobbesium secutus, docet, ad ipsum plerumque Legislatorem legem referri debere. Hoc enim semel posito, inde consequitur, ut non commune bonum, sed utilitas Legislatoris in legibus constituendis intendatur, & quæratur, quod & injuriosum est Principibus, & perniciosum populis. Enimvero tyrannus ab æquo legislatore in eo differt, quod ille cum oppressione subditorum propriæ inserviat utilitati, iste autem subditorum communi bono prospiciat, eaque omnia quam deligentissime procuret, quæ ad publicam felicitatem conducere possunt. Semel autem ponamus, legem ad ipsum legislatorem plerumque referri, Princeps

ceps condere poterit leges, propter proprium nonniſi commodum quoquomodo illæ ſe habeant ad utilitatem ſubditorum. Plerumque ergo Principes in condendis legibus, ſi non rationem tyrannorum omnino imitentur, ſaltem ad eam quam proxime accederent. Quemadmodum enim, ſi quiſpiam privatus in agendo propriam utilitatem plerumque quærat, fieri non poteſt, quin contra alios ſæpius peccet, ita etiam legiſlator, qui ſuam nonniſi in condendis legibus reſpicit utilitatem, contra ſubditorum commune bonum ſæpe aget, iisque perniciem continuo afferet.

Verum utilitates ac commoda Legiſlatoris, alia ad publicam etiam utilitatem conducunt, alia dignitati ejus non ſolum conveniunt, ſed etiam debentur, & in decorem quoque ſubditorum aliquo modo cedunt, alia demum ſunt, quæ publicæ utilitati adverſantur, & hæc ſunt quæ Legiſlator non debet reſpicere, imo illa postponere tenetur, non vero cætera, etſi non ad utilitatem, ſed ad decorem tantum Communitatis comparata eſſe videantur.

Dices: Ergone Legiſlator bonum privatum ſuorum ſubditorum procurare nequit.

Resp: Bonum privatum duplicis eſt generis, aliud quidem ultra ſingularium perſonarum utilitatem non extenditur, aliud vero non ſolum ſingularium utilitatem complectitur, ſed etiam cum communi bono neceſſariam connexionem habet. Hujusmodi eſt bonum illud, quod de vita conſervanda lege naturæ præcipitur. Nam in ſingularium quidem hominum utilitatem lex iſta cedit, tamen per eam id quoque fit, ut communi utilitati proſpiciatur. Humana enim natura ut ſervetur, in ſingularibus hominibus ſervari eam oportet. Quapropter iſtiusmodi privata bona, Legiſlator procurare & poteſt, & debet, & leges quæ circa talia privata bona verſantur, juſtæ & rectæ ſunt, quia commune bonum ſemper reſpiciunt, cum illa privata bona, vel cum communi bono neceſſariam habent connexionem, vel ad illud conducunt.

Quæres 7mo: Quale illud bonum commune eſſe debet, quod leges intendere, & procurare debent?

Resp: Bonum commune ordinis inferioris, bono communi ordinis ſuperioris, à legibus præferri non debet. Enim vero recta ratio dictat, præſtantiora ſemper præferenda eſſe, aliis, quæ comparata cum illis ſunt deterioris conditionis, quamvis ſi in ſe ſpectentur, contemni non debeant. Igitur bonum commune ordinis inferioris, non poteſt per leges præferri bono ordinis ſuperioris, & quo

præ-

præcellentius illud fuerit bonum, cui præjudicium infertur, eo quoque lex gravius peccat. Unde commune bonum præsentis vitæ, cum detrimento boni communis alterius vitæ, nulla lege quæri potest. Certe, alterum vitæ statum ſupereſse, & eum quidem æternum, in quo justi eorum, quæ in hac vita recte geſserunt, fructum percipiunt, perpetuoque communi bono gaudent, impii autem ſuorum scelerum pænas luunt, ex ipsa etiam naturali ratione compertum est. Hoc vero commune bonum ob sui præstantiam, ac præcellentiam, cum communi bono vitæ præsentis, ne comparari quidem potest. Nam illud veram in se, completamque beatitudinem continet, quam in hac vita homines nullo modo conſequi poſsunt. Cum itaque commune bonum ordinis inferioris, præferri non debeat communi bono ordinis ſuperioris, graviusque hæ in re peccatur, quo præcellentius bonum postponitur; perspectum itaque est, præsentis vitæ commune bonum, cum detrimento communis boni alterius vitæ, a nulla lege quæri poſse. Hinc S. Thomas Doctor in Opusculo de Regimine Principum libro I. Cap: 15. sic diſserit: *Cuicunque incumbit aliquid perficere, quod ordinatur in aliud sicut in finem, hoc debet attendere, ut ſuum opus ſit congruum fini. Quia igitur vitæ, qua in præsenti bene vivimus, finis est beatitudo cœlestis, ad Regis officium pertinet, ea ratione vitam multitudinis bonam procurare, secundum quod congruit ad cœlestem beatitudinem consequendam, ut scilicet ea præcipiat, quæ ad cœlestem beatitudinem ducunt, & eorum contraria, secundum quod fuerit poſsibile, interdicat.*

Dices: Cum Grotio. Regi, aut Civitati sive communitati imperium habenti, nihil injustum, quod utile. In ſumma fortuna id æqvius, quod validius, & Respublica sine injuria regi nequit. Unde leges, futuræ vitæ bonum nequaquam respicere debent.

Resp: Hæc effata atheismo maxime favere, evidens est. Si enim quod est injustum, desinit eſse tale, quia civitati, imperio, communitati utile est, eodem modo quodvis flagitium dicendum est, eſse honestum, atque licitum, cum primum imperanti, Civitati, aliquam afferre potest utilitatem, ac proinde etiam, quo jure propter utilitatem Civitatis non est aliquid censendum eſse injustum, ac flagitiosum, quod revera tale est, eodem quoque jure, ob privatam cujusvis utilitatem, injustum, impium, atque flagitiosum non habebitur, quod revera injustum, impium,

impium, atque flagitiosum est. Hoc autem semel posito, tota, quanta est, lex naturæ subvertitur, hominesque brutis deteriores efficiuntur. Quare graviter pronuntiavit Tullius libro 3. de finibus: *Nihil est, de quo minus dubitari possit, quam & honesta expetenda per se, & eodem modo turpia per se esse fugienda.* Neque etiam publica auctoritate fieri posse, ut injustum non sit, quod revera injustum est, ita probat libro 3. de Legibus: *Si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis judicum, jura constituerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus falsa testamenta supponere, si hæc suffragiis, aut scitis multitudinis probarentur. Quæ si tanta potentia est stultorum sententiis, atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non faciunt, ut quæ mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis, & salutaribus, aut cur cum jus ex injuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo.* Splendidissimo itaque rationis lumini, occulos suos claudunt, & quale esse debeat commune bonum, quod imperia, civitatesque sibi procurare possunt, non advertunt, qui eo absurditatis deveniunt, ut affirment, quod est Principi, Communitati utile, id injustum non esse, cum nihil imperio, ac civitati vere utile esse possit, quod injustum est. Vitæ ergo præsentis commune bonum, à quavis etiam Republica, publicaque potestate, cum detrimento boni communis futuræ vitæ, quæri non potest.

ARTICULUS 2dus

De lege æterna.

Quæres 1mo: Quid sit lex æterna.

Resp: Lex æterna est ratio divinæ sapientiæ, qua Deus in suum finem omnia facit, disponit, ac movet. In eo enim qui alios regit, cum id certo ordine faciat, præexistere debet illorum ratio, quæ in eorum gubernatione efficit, & disponit. Hæc autem ratio est lex illa quam sequitur Deus, dum sibi subjecta regit. Cum ergo Deus omnia quoad omnium rerum gubernationem à sua sapientia determinata habeat, quodque determinavit, sine ulla mutatione exequitur, nomine legis æternæ intelligenda est ratio Divinæ sapientiæ, qua Deus in suum finem omnia movet, ac disponit. Unde S, Augustinus libro 22. contra Fau-

Faustum Cap: 27. ait: *Lex æterna est ratio Divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Sed & Cicero lumine naturali noverat, legem æternam eſse ſummam Dei rationem, sic enim libro 2. de legibus scribit: *Hanc video sapientissimorum fuiſse ſententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod eſse populorum, ſed æternam quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi, prohibendique sapientiam, ita principem illam legem, & ultimam mentem eſse dicebant.* Igitur lex æterna, à Divina providentia distingvi videtur. Lex enim æterna, est prima ratio sapientiæ Divinæ, in rerum gubernatione, providentia autem est ratio, quæ juxta priorem illam rationem in gubernatione operatur, quare lex æterna est ratio illa, qua constitutum est, quomodo res gubernari debeant; providentia vero est ratio, qua res eo modo reipsa gubernantur, quo ab æterna lege determinatum est, quapropter providentia executionem ordinis, lex æterna ipsum ordinem respicit. Sapientiſsime hac de re scripsit S. Thomas Doctor quest: 5. de veritate art: 1. *Providentia in Deo proprie non nominat legem æternam, sed aliquid ad legem æternam consequens. In Deo lex æterna non est providentia, sed providentiæ quasi principium, unde et convenienter legi æternæ tribuuntur actus providentiæ.*

Quæres 2do: Utrum lex æterna in Deo reipsa existat?

Resp: Lex æterna reipsa in Deo existit. Enim vero, mundum Divina providentia regi, atque gubernari, indubitatum est, tota ergo universitas rerum, Divina ratione regitur, atque gubernatur, ipsa itaque ratio gubernationis rerum omnium, in Deo præexistit, sicuti in summo universitatis Principe. Cum igitur ratio gubernationis à Divina sapientia proficiscens, sit ipsa lex gubernationis, & hæc in Deo omnino admitti debet, debet ergo & lex aliqua in Deo eſse. Unde Cicero libro 2. de Legibus inquit: *Lex vera atque princeps apta ad jubendum, & vetandum, ratio est recta summi Jovis.* Porro divina ratio ab æterno omnia concepit, neque enim Divina, & Dei propria eſse poſset, si aliquid subinde conciperet, quod ab æterno non concepiſset, hæc ergo lex, quam in Deo eſse dicimus, æterna est. Et de hac æterna lege, quæ divina sapientia est, hæc habemus: Prover. Cap: 8. *Dominus poſsedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Cum eo eram cuncta*

cta *componens.* Unde S. Augustinus libro I. de libero arbitrio sic inquit. *Quid illa lex, quæ summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, potestne cuipiam non incommutabilis, æternaque videri?* Duplex autem status cujusvis legis distinguitur, unus, quem lex habet in interna legislatoris dispositione, quatenus in mente illius descripta est, & certa voluntatis determinatione constituta; alter vero, quando est promulgata subditis, eosque constringit, atque obligat. Hunc quidem statum lex hæc Divina, ab æterno habere non potuit, quia nulli erant homines, quibus inponeretur, Habuit tamen priorem ab æterno. Et quia, ut ait Apostolus ad Romanos Cap: 4, Deus *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt*, ideo omnia, quæ futura erant, atque existere debebant, Deus uti præsentia semper ab æterno conspexit, suæque sapientiæ rationem in eorum gubernatione, cum existerent, adhibendam decrevit, inde est, ut quamvis nulli homines adhuc existerent, quibus lex illa Divina indiceretur, in mente tamen Divina existebant et tanquam præsentes spectabantur. Nihil ergo æternæ illi legi deest, quominus ipsa vera sit lex, & ut talis dicatur. Hæc breviter complexus est S. Thomas Doctor Quæst: 91. art: 1. *Nihil est aliud lex, quam dictamen practicæ rationis in Principe, qui gubernat aliquam communitatem. Manifestum autem est, quod mundus Divina providentia regatur, quod tota communitas universi, gubernetur ratione Divina, & ideo ipsa ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in principe universitatis existens, legis habet rationem, & quia Divina ratio nihil concipit in tempore, sed habet æternum conceptum, unde est, quod hujusmodi legem oportet dicere æternam.*

Quæres 3tio. Utrum ab æterna lege, ceteræ omnes profluant leges?

Resp: Ita est. Cum enim nulla lex justa eſse poſsit, nisi æternam imitetur, atque cum illa conformitatem habeat, leges omnes ab æterna, veluti à ſuo primo exemplari, derivantur. Deinde leges omnes ab æterna, sicuti à causa efficienti proficiscuntur, quatenus quæ est in Legislatoribus leges ferendi potestas, à lege æterna, qua omnia apud Deum ab æterno ordinata ſunt, ſuum principium habent.

Et vero in omnibus gubernationibus recte ordinatis, ea ſemper ratio ſervari debet, ut qui rebus minoribus præsunt, à primo gubernante dependeant, aguntque in omnibus,

bus, prout ab illo sibi constitutum fuerit, ita ut ratio inferiorum gubernantium, à ſupremi gubernantis ratione pendeat. Cum ergo lex æterna, sit ratio gubernationis in ſupremo gubernante, qui Deus est, neceſse igitur est, ut omnes gubernationes, quæ ſunt in inferioribus gubernantibus, à lege æterna proficiscantur. Hinc S. Augustinus libro 1. de libero arbitrio ait: *Quid illa lex, quæ ſumma ratio nominatur, cui ſemper obtemperandum est, per quam denique, quam temporalem vocandam diximus, recte fertur, recteque mutatur, potestne cuipiam intelligenti, non incommutabilis, æternaque videri?* Tum Evodium quemdam alloquens sic prosequitur: *Simul etiam te videre arbitror, in illa temporali lege nihil eſse justum, atque legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines derivarint, nam si populus ille quodam tempore juste honores dedit, quodam rursus, juste non dedit, hæc viciſsitudo temporalis ut justa eſset, ex illa æternitate tracta est, qua ſemper justum est, gravem populum honores dare, levem non dare:* quapropter hanc æternam legem ſemper ab unoquoque legislatore respici & attendi oportere, idem S. Pater libro de vera religione recte monet, dum ait: *Conditor legum humanarum, si vir bonus est, & ſapiens, illam ipsam consulit æternam legem, de qua nulli animæ judicare datum est, ut ſecundum ejus immutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum, vitandumque, discernat.*

Certe leges ſunt: Naturalis, Divina, Ecclesiastica, Civilis. Porro omnes istæ leges à lege æterna dimanant. Et quidem *1mo.* Lex naturalis. Ipsa siquidem innititur principiis rationis, quæ nostri menti naturaliter insunt, hæc autem principia rationis, à ſumma & prima ratione derivari tantum poſsunt, quia ſumma, & prima ratio omnes in ſe rationes complecti debet. Summa ergo & prima gubernationis ratio, cum sit lex æterna, ab ipsa derivari debent & prima rationis nostræ principia, & tota lex naturalis, qua regimur, & gubernamur, ab ea promanare.

2do. Lex Divina. Legem namque Divinam constituunt præcepta, in Verbo Divino tum ſcripto, tum tradite contenta, quibus tum quoad fidem, tum quoad mores nostros regimur. Hæc autem præcepta, ſua Deus revelatione manifestavit tempore veteris, & novæ legis, continebantur ergo illa in æterna Divina lege, alioquin Deus manifestaſset hominibus, quæ ſubsequentibus temporibus didiciſset, quo nihil absurdius dici potest.

Qua-

Quapropter Lex tum naturalis, tum Divina, quæ positiva dicitur, est quædam participatio legis æternæ, quamvis diversa ratione. Lex siquidem æterna, modo nobis per lumen naturæ innotescit, modo Divina revelatione manifestatur. Prout lumine naturæ innotescit, lex naturalis est, prout revelatione manifestatur, Divina positiva vocitatur.

5tio. Lex quoque humana, sive Ecclesiastica, sive civilis. Jlla siquidem bonum ſupernaturale respicit, quod ex Divina revelatione cognoscimus, ista bonum naturale, quod ex ratione compertum habemus, & sicuti, quæ ex principiis revelatis deducuntur, ad legem Ecclesiasticam, ita quæ ex principiis legis naturæ inferuntur, ad legem civilem ſpectant. Quia ergo lex tum Divina, tum naturalis, in lege æterna continentur, legem quoque humanam, tum Ecclesiasticam, tum civilem, in ea contineri, indubitatum est. Merito itaque ſcripsit Cicero libro I. de Legibus: *Constituendi juris ab illa ſumma lege capiamus exordium, quæ ſæculis omnibus ante nata est, quam ſcripta lex, aut omnino civitas constituta fuit.*

Quæres 4to. An, & quomodo lex æterna hominibus innotescat?

Resp: Lex æterna per ſe, & immediate non est hominibus nota, internam siquidem Dei rationem, qua cuncta regere, & moderari ab æterno constituit, distincte cognoscere homines nequeunt, unde Sapientiæ Cap: 9. dicitur: *Quis hominum potest ſcire consilium Dei? Quis cognovit ſensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Ex aliis tamen legibus, quæ proprie nobis innotescunt, aliquam legis æternæ notitiam homines habent, non omnes tamen eodem modo & ratione. Enimvero, dum homo ſua ratione utitur, honestum ſequendum, & turpe fugiendum eſse cognoscit, alia quoque multa videt moralitatis principia, quæ naturæ lumine omnibus innotescunt, & ſunt prima fundamenta ejus legis, quæ naturalis dicitur. Hæc autem omnia principia, sicuti & tota lex naturalis, ab æterna dirivantur. Legis ergo æternæ, aliquam notitiam habemus ex lege naturali. Qua autem ratione lex naturalis ab æterna proficiscitur, etiam Divina, atque humana ab illa profluit, qua propter sicut homines à lege naturali, ita etiam à Divina, & humana, in aliquam cognitionem legis æternæ perducuntur. Quamquam vero ratione etiam naturali, in cognitionem legis æternæ pervenire poſsimus, illaque nobis per lumen naturale manifestetur, ſemper ta-

men

men manifestatio legis æternæ, quæ nobis fit per Divinam revelationem, securior est, quia Divina revelatio, nulli errori obnoxia est, semperque eodem modo perseverat, ratio autem, atque lumen naturale, propter ea quæ in nobis recte rationi obstant, obscurari potest, & revera sæpius obscuratur. Lex ergo æterna certius, & securius nobis innotescit per Divinam revelationem, quam per naturale rationis lumen. Non omnes autem homines eodem modo hanc cognitionem legis æternæ, ex aliis legibus acquirunt. Quidam enim quamvis ea rationis principia videant, quæ sunt æternæ legis quædam participatio, tamen nec ex iis ea, quæ multi alii cognoscunt, ipsi assequuntur, & multo minus quadam ratiocinatione inferre valent, quæ aliqui ab æterna lege derivari noverunt. Unde æternæ legis notitiam nullam habent, quæ ipsam singillatim respiciat. Alii autem lumine naturæ, vel etiam longe perfectiori modo fidei, ad id quoque pertingunt, ut & principia rationis, videant, & ipsa à nullo alio principio, quam à lege æterna dimanare posse, cognoscant. Unde legem æternam etiam singillatim cognoscunt. Diversa ergo ratione lex æterna hominibus innotescit.

Quæres 5to. Utrum Divina voluntas legi æternæ subjecta sit?

Resp: Voluntas Divina, spectata in suis effectibus, quatenus est causa efficiens rerum omnium creatarum, ipsa legi æternæ non subijcitur. Lex enim æterna est summa ratio Dei, qua omnia creata regit, atque gubernat. Cum ergo nemo sibi ipsi subijciatur, fieri non potest, ut Deus in æterna gubernatione rerum, æternæ legi sit subjectus. Deinde inferioris est subijci legibus, Superioris autem est, suæ legi alios habere subjectos, quia ergo nullum superius est principium, quo Divina voluntas regatur in iis, quæ ad gubernationem rerum spectant, manifestum est, etiam quoad istam Divinam voluntatem legi æternæ subjectam non esse.

Equidem æternam legem, quam circa exteriorem rerum omnium gubernationem Deus constituit, semper ille sequitur, non tamen ea de causa, quod sit huic legi subjectus, sed quia quod semel constituit, sapientissime constituit, eodemque modo illud sapientissime sequitur. Quod enim quis velit modo, quod antea nolebat, vel nolit modo, quod antea volebat, id duplici ex ratione contingit, vel quia quod antea revera non erat, postea sibi incipit bonum esse, vel quia aliquid sibi bonum esse cogno-

gnoscit, quod antea ut tale non cognoscebat. Et hoc ſane sine aliqua mutatione illius non fit; Deus autem neque est alicui mutationi ſubjectus, & infinitam omnium ſcientiam habet: non est ergo mirandum, Deum etiam in exteriori rerum gubernatione, ſemper id ſequi, quod ſemel constituit, quamvis ſuæ legi æternæ non sit ſubjectus.

Quæres 6to: Quomodo entia naturalia ſubjiciantur legi æternæ?

Resp: Eſsentiæ rerum creatarum pendent ab æterna Dei lege, illique ſubijciuntur. Enimvero eſsentiæ rerum, vel ſpectentur in ſe, nulla habita ratione existentiæ earum, quæ est in illis, dum cum individuis conjunguntur, vel considerantur prout in individuis existunt. Si juxta hanc posteriorem acceptionem eſsentiæ rerum considerentur, dubitandum non est, quin illæ ab æterna Dei lege dependeant, contingens est enim, quidquid est creatum, ſolusque Deus entis neceſsarii rationem habet, à quo tantum entia contingentia eſse poſsunt. Si autem ſecundum priorem acceptionem, eſsentiæ rerum considerentur, prout in ſe ſunt, & prout inter attributa earum neceſsaria, connexio intercedit, & sic ipsæ ab æterna lege dependent. Nam eſsentiæ in ſe ſpectatæ non ſunt aliquid existens. Cum ergo quod non existit, neque ſe, neque aliud quidpiam à ſe distinctum determinare poſsit, inde consequitur, eſsentias à ſe non habere, ut hac, vel illa ratione determinatæ neceſsario sint. Id ergo ab æterna Dei lege habent. Quapropter licet æternæ, & neceſsariæ, legi tamen æternæ ſubijciuntur, atque ea ratione, qua æternus radius à luce proveniret, ita etiam æternæ, atque neceſsariæ eſsentiæ, ab æterna lege proveniunt, & sicut radius iste, licet perpetuus foret, â ſe tamen non eſset, ſed æternæ luci ſubijceretur, à qua proveniret, ita etiam rerum eſsentiæ, quamvis æternæ, & neceſsariæ, quia tamen à ſe non ſunt, ſubijciuntur legi æternæ, â qua derivantur.

Hinc omnia entia naturalia, quo ad omnes ſuos motus, & actiones, legi æternæ ſubijciuntur. Nomine siquidem entium naturalium, ea intelligimus, quæ neceſsario agunt, sive cognitione destituta sint, sive aliquam ſensibilem cognitionem habeant. Illum ergo determinatum agendi modum, quem agentia naturalia neceſsario ſequuntur, non habent à ſe ipsis, neque ab ullo alio principio in eis eſse potest, nisi à ſolo Deo. Nam quod â ſe non habet ut sit, neque etiam à ſe habere potest, ut hoc, vel illo

illo modo sit. Cum itaque agentia naturalia, à nullo alio principio, quam à Deo habeant, ut sint, ab eo etiam solo habere possunt determinatum agendi modum, quem necessario sequuntur. Ejus ergo æternæ legi, quoad omnes motus, actionesque suas subijciuntur. Et re quidem ipsa, agentia naturalia Deo omnino subjecta esse debent. Cum vero subjectio omnimoda exigat, ut non solum quatenus sunt, à Deo pendeant, sed etiam quatenus virtutem agendi habent, eaque utuntur; manifeste inde consequitur, ut in suis motibus, & actionibus, subjecta Deo esse debeant, ac proinde ab ejus æterna lege pendeant. Unde Regius Propheta postquam omnia cælestia & terrestria corpora à Deo creata esse dixit, hæc superaddit Psal: 48. *Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit:* ac propterea, omnia terrestria, quæ à Deo condita sunt, faciuntque, postquam condita sunt, verbum illius, ad laudandum etiam Deum ita invitat Psal: 148. *Laudate Dominum de terra dracones, & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus, montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri, bestiæ, & universa pecora, serpentes, & volucres pennatæ.*

Licet autem agentia naturalia, quo ad suos motus, & actiones, legi æternæ subijciantur, tamen lex æterna, non habet in eis rationem legis proprie dictæ. Namque lex æterna, seu ratio Divinæ gubernationis, dupliciter considerari potest, uno modo, quatenus movet, atque dirigit, altero, quatenus simul præcipit. Lex proprie dicta utrumque complectitur; quod solum movet & dirigit, lex est improprie dicta, quia similitudinem nonnisi habet legis proprie dictæ, quæ & præcipit, & movet, atque dirigit. Agentia ergo naturalia, quamvis capacia sunt, ut juxta legem æternam moveantur, atque dirigantur, sed quia illa nullum præceptum condere potest, cum ratione, & libertate destituta sint, ideo lex æterna in iis non habet rationem legis proprie dictæ. Hoc tamen non obstat, quin æternæ legi revera subijciantur. Nam juxta eum ordinem, atque modum agunt, quem Deus, qui cuncta gubernat, servandum constituit. Hic autem ordo est ab æterna Dei lege positus, legi itaque æternæ, agentia naturalia subijciuntur ea ratione, qua secundum suam naturam, constitutionemque subijci possunt.

Dices: Nonnunquam agentia naturalia, præter, &

Resp:

contra consvetum naturæ ordinem agunt, inde facta portentosa. Non ergo legi æternæ ſubjecta ſunt.

Resp: Quamvis agentia naturalia, aliquando contra, aut præter consvetum naturæ ordinem agant, ſemper tamen legi æternæ ſubjecta manent. Enimvero quod in effectibus naturalibus, præter, aut etiam contra consvetum ordinem conspicitur, id provenit vel ex illa oppositione, quam una causa alteri facit, vel à Deo est, quatenus impedit ne agens naturale, ſecundum inclinationem sibi insitam operetur. Hoc alterum si contingat, nihil de ea ſubjectione detrahitur, quam agentia naturalia ad legem æternam habent, quia ipsius legis æternæ dispositione fit, ut præter insitum ordinem agant. Si autem causarum ſecundarum mutua inter ſe oppositione id fiat, ut aliqua earum contra agat, ac secundum sui naturam agere deberet, tunc quoque effectus, qui producitur, est Divinæ gubernationis, ac propterea legi æternæ ſubjectus. Nam singula Deus sua providentia regit, atque moderatur, sive ea juxta ordinem ipsis naturalem, vel præter illum ob quodvis interpositum impedimentum agant, alioquin multa à Divina gubernatione ſubtrahi deberent. Unde S. Augustinus libro 21. de Civit: Dei Cap: 8. sic ait: *Quomodo est contra naturam, quod Dei fit voluntate, cum voluntas tanti utique Conditoris conditæ rei cujusque natura sit. Portentum ergo fit, non contra naturam, ſed contra quam est nota natura.* Semper itaque agentia naturalia legi æternæ subjecta sunt, quamvis præter, aut contra consvetum naturæ suæ ordinem agant.

Quæres 7mo. Qua ratione agentia rationalia, legi æternæ ſubjecta ſunt?

Resp: Quodvis agens rationale, legi æternæ subiicitur. Si enim agens rationale, legi æternæ non subijceretur, tunc quod est inter agentia præstantissimum, á subjectione legis æternæ eximendum esset, indeque inferiora quidem, non autem præstantiora, lex æterna complecteretur, quod fingi etiam sine absurditate nequit. Cum ergo rationale agens, non secus ac cætera omnia, à Deo habeat, quidquid habet, ipsum quoque legi æternæ ſubjectum eſse omnino debet. Atque in agente rationali, lex æterna, rationem legis proprie dictæ habet. Lex enim proprie dicta, non ſolum movet, & dirigit, ſed etiam præcipit. Præceptum autem cadit nonnisi in agens rationale, quia ipsum ſolum cognitione, & libertate præditum est. In eo igitur lex æterna habet rationem legis proprie dictæ.

Quæres 8vo: Lex æterna, in agente rationali quid parit?

Resp: Parit moralem obligationem ad ea implenda, aut vitanda, quæ lege æterna imperantur, vel prohibentur. Enim obligatio stricta inducitur præcepto legis. Porro lex æterna præcipit, quia habet rationem legis proprie dictæ, cujus est, non movere ſolum, & dirigere, ſed & præcipere. Agens autem rationale capax est præcepti. Ergo lex æterna in agente rationali, quod ipsi ſubijcitur, moralem parit obligationem.

ARTICULUS 3tius

De lege naturali.

Quæres 1mo: Quid sit lex naturalis?

Resp: Lex naturalis est impreſsio Divini luminis, facta in ratione hominis, qua tum ad actus sibi convenientes, tum ad finem sibi proportionatum tendit. Est itaque lex naturalis participatio quædam legis æternæ, ex qua consequitur, ut infusione legis naturalis, in ratione hominis, aliquid Divini luminis imprimeretur. Unde etiam Psal: 4. dicitur: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Quemadmodum enim Deus rerum omnium conditor, iis etiam quæ ratione carent, tales inclinationes, atque vires impreſsit, quibus & singula in ſuos fines dirigerentur, & quæ sibi convenirent, agerent, ita etiam homini, quem ad ſui imaginem, similitudinemque condidit, quædam rationis dictamina indidit, quibus, prout sibi convenit, regeretur, atque in finem sibi proportionatum tenderet. Suum ergo lumen Deus signavit in nobis, quo discernimus, quid sit bonum, quid malum; indeque manifestiſsime apparet, legem naturalem, participationem eſse legis æternæ. Tota itaque lex naturalis, consistit in quibusdam rationis pronuntiatis, dictaminibus, atque judiciis, quæ homini ostendunt, quid facere, vel fugere debeat, ipsumque de honestate, ac turpitudine morum admonent.

Quæres 2do: Utrum reipsa lex naturæ sit homini infusa?

Resp: Legem naturalem eſse hominum cordibus infusam, probatiſsimum est. Et id constat 1mo: ex internis animi nostri ſensibus. Enimvero indubitatum est, eſse

quod-

quoddam vitæ genus, quod probationem, plausumque à nobis extorquet, dantur quoque nonnulla vivendi principia, quæ tam evidentem in ſe æquitatem habent, ut rectitudo eorum, omnibus comperta sit, è contra, est quoddam flagitiosum vitæ genus, prava, turpisque vivendi ratio, quam nemo non aversatur. Hic autem communis omnium ſensus, aliunde eſse non potest, quam ab ipsa naturæ lege, quæ animis nostris insita est. Certe quemadmodum monet Cicero libro 3. de natura Deorum: *Et virtutis, & vitiorum, sine ulla Divina ratione, grave ipsius conscientiæ pondus est.* Hac vero de causa, neque timent, qui nihil mali fecerunt, & pæna ſemper ante occulos illorum versatur, qui peccarunt: Sicuti enim recte institutam vitam, grata, & jucunda recordatio consequitur, ita etiam commiſsa flagitia, metus, terrores, atque molestæ ſolicitudines comitantur. Et quamquam nonnulli ita aliquando impietati aſveviſse videntur, ut ſuæ conscientiæ stimulos ſæpe amplius non ſentiant, verum non omnis timoris expertes ſunt, atque velint, nolint, reclamantem conscientiam quandoque ſentire debent. Hoc autem non aliunde provenit, nisi ab insita nobis lege naturali, quæ & ostendit quid honestum, quid turpe sit, quid faciendum, quid fugiendum, & nos stringit, atque coarctat, ut honesta faciamus, turpia fugiamus, & quamquam pravitate, atque iniquitate lex naturalis obscurari poſsit, ſed deleri nequit, ſensus ejus obtundi poſsunt, penitus ſuffocari nequeunt. Qua de re sic præclare diſserit Gregorius M. libro 27. Moralium: *Fugiant iniqui humanos occulos, ſemetipsos certe fugere nequeunt. Quia enim malum quod faciunt, noverunt, habent testem conscientiam, habent judicem rationem ſuam. Defendant quantum voluerint, pravitates ſuas, atque impudenter gestas, impudentius defendendo, multiplicent, certe ipsi sibi in conscientia testes ſunt, qui inexcusabiles non ſunt. Eo enim ipso, quo rationabilem creaturam Deus hominem condidit, in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera ſua.* Hinc etiam Origenes Homil: 17. in Genesim ait: *Est intra nos lex quædam naturalis, quæ arguit unumquemque peccantem, & malum eſse ei ſuggerit, quod deliquit.* Certe ipse Apostolus. Epist: ad Rom: Cap: 2. ex ipsis conscientiæ stimulis deducit, Gentes, quæ nullam ſcriptam legem habent, aliam in cordibus ſuis legem habere, *testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter ſe invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.*

2do: Antecedenter ad quascunque positivas leges, statuta, pacta, conventaque, independenter ab hominum quorumcunque opinionibus, inclinationibus, præjudicatis, atque consvetudinibus, ſunt actiones humanæ bonæ, & malæ, honestæ & turpes, ſunt virtutes, & vitia. Cum vero virtus, & vitium, bonum, & malum, honestum, & turpe, sit, & tale eſse pronuntietur, quia conformæ aut difforme est certæ regulæ qua dirigi, & juxta quam fieri debent. Ergo ante quascunque positivas leges, extabat & existit istiusmodi Regula, qua actiones humanæ dirigi, & cui ipsæ conformari debent, & quæ proinde illi conformes aut difformes ſunt, independenter à quibusvis hominum opinionibus, præjudicatis, consvetudinibus, propensionibusque, bonæ aut malæ, turpes, aut honestæ ſunt, & dicuntur. Porro istiusmodi Regula, alia eſse nequit, nisi lex æterna, ſeu Divina ratio, & quæ ipsius participatio est, humana ratio, lexque naturalis cordi hominum à Deo insculpta, & menti ipsorum infusa. Unde Tullius libro I. de legibus sic inquit: *Nos legem bonam à mala, nulla alia, nisi naturæ norma dividere poſsumus, nec ſolum jus, & injuria natura dijudicatur, ſed omnino omnia honesta, ac turpia. Nam & communis intelligentia, notas nobis res efficit, eaque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Hæc autem in opinione existimare, non in natura posita, vere dementis est.* Est itaque in natura nostra norma, qua etiam ipsas leges ſecernimus, bonas â malis ſegregamus, inest nobis communis intelligentia, qua honesta in virtute, in vitiis turpia reponimus. Hæc autem norma, hæc communis intelligentia, lex naturæ est, & ideo natura jus ab injuria, omniaque honesta, ac turpia dijudicamus. Unde Apostolus Paulus ad Romanos ſcribens Cap: 2. affirmat, quod Gentes quæ nullam legem ſcriptam habent, ipsi sibi lex ſunt, ostenduntque opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, quod explicans Origenes sic inquit: *Quis autem ſcripsit in cordibus eorum, nisi Deus digitto ſuo? Legem utique naturalem, quam dedit Deus humano generi, & in cunctorum mentibus ſcripsit, unde initia ſumimus, & ſemina quædam capimus ad perſcrutandam veritatem.*

Objicies 1mo. Ideo legem naturalem nobis ineſse putamus, quia in nobis aliquid experimur, quo honesta approbamus, turpia condemnamus. Sed hæc ratio nihil probat, quia ea quoque in nobis à natura ſunt, quibus ad vitia impellimur, ad mala fortes concupiscentias ſentimus.

Et

Et quamquam nobis aliquando ratio loquatur, multo plus ad agendum appetitu determinamur, quam ratione. Ex ſensibus ergo interioribus, non potest evinci legem existere naturalem. *2do.* Si adeſset lex naturalis, hæc toti humano generi communis & nota eſset, ac omnes ei preberent aſsensum. Porro ſunt nationes, quæ brutorum more vivunt, nullumque agnoscunt boni, ac mali moralis discrimen, ſunt, qui Parentes ætate grandævos mactant, & alia crudelia perpetrant. Neque tantum apud barbaras gentes, ſed apud cultiores nationes, invenimus in multis erratum eſſe circa legem naturalem. Lacedemones permittebant fúrtum, & adulteria. Sed vel ipsi Philosophi numero non pauci, cum omnia ad maturum examen revocaſsent, de omnibus boni, ac mali notionibus vel dubitarunt, vel ad commenta hominum amandarunt. *3tio.* boni ac mali moralis notiones, ab hominum opinione dependent, non à natura, alioquin innatæ nobis eſsent, quod communiter modo negatur. Nullo ergo argumento evincitur, existere legem naturalem.

Resp: ad 1mum. Habemus quidem in nobis propensiones, variasque inclinationes, quæ etiam ad mala, ac vitiosa nos ſæpiſsime propellunt, quando ſcilicet ratione non cohibentur, eo modo, quo equus ſeſsorem ſuum deijcere ſolet, quando habenis non cohibetur. Sed est rationis præcipuum officium, ut propensiones regat, moderetur, easque cohibeat, quod & ethnicus Philosophus Cicero præscripserat de officiis libro 1. Cap: 29. ubi hæc habet: *Efficiendum est, ut appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant, nec propter pigriciam, aut ignaviam deserant, ex quo elucebit omnis constantia, & moderatio.* Neque vero neceſsitate aliqua appetitu, paſsioneque homo adigitur ad hoc vel illud agendum, quoniam ſemper illis dominari, easque ratione cohibere potest, unde Seneca Epist: 116. ait: *Nihil est tam difficile, & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat aſsidua meditatio, nullique ſunt, tam feri, & sui juris affectus, ut non disciplina perdomentur.* Tandem, appetitus, cupiditatesque, quæ nobis ſunt connaturales, ex ſe indiscriminatim ad ſensibilia & delectabilia nos alliciunt, quorum alia ſunt licita, atque honesta, alia illicita, ac turpia, rationi incumbit ab illicitis appetitum, cupiditatemque temperare, licitis & honestis indulgere, neque ergo ex ſe appetitus, cupiditatesque ad vitia nos pertrahunt, ſed si id fiet, vitium est appetentis, & cupientis.

entiæ. Cum itaque appetitus, paſsiones, inclinationesque nostræ, & rationi ſubsint, ipsique propterea legi naturali ſubjaceant, neque ex ſe ad vitiosa pertrahant, nihil ex iis contra existentiam legis naturalis confici potest. Imo inde magnum pro lege naturali desumitur argumentum. Enimvero, quotiescunque ultra rationis præscriptum appetitui, concupiscentiæ ac paſsioni indulgemus, istius nos pudet, interius pænitet, id in nobis etiam redarguimus, in aliis quoque condemnamus, quia ultra, quam natura postulat, ac ratio permittit, progreſsi ſumus, legem ipsam naturæ & rationis præscriptum violanda, atque transgrediendo. Cum vero, ut Augustinus loquitur libro I. de libero arbitr: Cap: 8. *ratio irrationabiles animi motus regit, id ſcilicet tunc dominatur in homine, cui dominatio jure debetur.* Dummodo ergo, sicut naturæ lex præscribit, rectus ordo ſervetur, & inferiora à ſuperioribus moderentur, ex appetitibus, ac nostris inclinationibus naturalibus virtutis, non vitii incitamentum habebimus.

Ad 2dum. Lex naturalis omnibus est communis, & omnibus nota, quoad prima, & universalia principia, quia omnes homines ratione præditi ſunt, *quibus vero ratio à natura data est, iisdem etiam recta ratio data est, ergo & lex, quæ est recta ratio in jubendo & vetando,* ait Cicero libro I. de legibus, inde consequitur, legem naturalem quoad prima, ac universalia principia, omnes homines communem, & notam habere, non tamen communem & notam illam habent, quoad particularia operabilia, ad quæ prima, ac universalia legis naturalis principia aliquando non accomode applicantur, ut enim ea, quæ recta ratio præscribit in particulari operabili, dignoscantur, tunc opus est, ut ait S. Thomas, quatenus homines illam consulant, ad eam attendant, cum opere, quod meditantur, diligenter conferant, omnia quæ ad recte de opere judicandum neceſsaria ſunt, advertant, si hæc negligantur, non est mirum, quod ea quoque, quæ facile intelligi poſsent, nesciantur, aut iis contraria aſsumantur, absurda etiam & legi naturali opposita adoptentur. Est profecto in nobis ratio, ſed illam excolere, inquirere ejus dictamina, atque attendere ad ipsa debemus, si hoc non fiat, ac prætermittatur, nostra erit culpa, quod in particulari operabili, in singulari quopiam opere, naturalis rationis dictata ignoremus; non est ergo neceſse, ut lex naturalis, quæ quoad universalia principia nota est omnibus, quoad particularia etiam ac singularia perspecta sit cunctis; ſufficit, quod unicuique

que attendenti, consideranti, ac omnia ſcrutanti, innoteſcere etiam in particularibus ac singularibus agendis facile poſsit. Quare non est mirum, si fuerint populi, qui ſenſibilibus unice occupati, nec ad ſanæ rationis dictamina unquam attendentes, aut quidquam ad examen revocantes, ſed cæco modo omnia agentes, & ſola consvetudine, usque de rebus agendis decernentes, perversas habuerint praxes, ac legi naturali contrarias consvetudines. Unde recté dixerat Tullius libro 1. de legibus: *tantam eſse corruptelam malæ consvetudinis, ut ab ea tamquam igniculi extingvantur à natura dati, exorianturque, ac confirmantur vitia contraria.*

Quod attinet nationes, quas itinerantes brutorum more vivere affirmant, dicendum est, istiusmodi relationibus non eſse facile credendum, has enim ſæpius nos fefelliſse authentica testantur documenta. Nec mirum, quia ignorantes lingvam, ac consvetudines populorum, inter quos non diu commorati ſunt, falsa multa, pro veris venditarunt. Putandum igitur est, nationes illas barbaras, prima legis naturalis principia non ignoraſse, ſed in ipsis ad particularia operabilia applicandis, turpiter erraſse, unde, si verum est, aliquos barbaros, ſuos parentes ætate graves, ac viribus fractos, enecaſse, illi male applicarunt principium naturale, quod statuit, *parentibus bona eſse rependenda*, credebant enim in tali statu beneficium illis præstare, dum à miseria illos liberabant, ac simile quid ipsi expectabant, dum ad ſenectutem proveniſsent.

Eadem valet responsio pro cultioribus nationibus. Etenim fuerunt aliquæ nationes, quæ liberos ſuos Diis immolabant, & illi didicerant ex lege naturali, Deum maximo cultu eſse venerandum, putabant vero nihil nobilius ſuis Numinibus, quam proprios filios offerre, unde in hoc rectum legis naturalis principium, male applicabant. Pariter Lacedemones, furtum permittebant, ut exercitatiores pueros haberent, ac magis paratos ad arma, cæterum si dum furto aliquid ſurripiebant pueri, deprehendebantur, eos ſevere puniebant. & vix furtum dici potest, quod Reipublicæ consensu fuerat permiſsum, non enim tunc invito Domino res ablata fuerat. Adulterii etiam in quibusdam nonnisi casibus facta erat permiſsio, quando ſcilicet ex unione duorum, ſperabant fortes filios, ac robustos Rempublicam habituram.

Denique cordatiores, ac magis morigeri philosophi; boni, ac mali, turpis, ac honesti discrimen à natura positum

situm fuiſse, agnoverunt, cæteri vel novitatis amore, vel voluptatum desiderio, vel ut à justo metu homines eximerent, & ad vitia audaciores efficerent, prava & absurda ſystemmata efformarunt. Nihili ergo omnino faciendi ſunt. Neque etiam desunt magni nominis Philosophi, ac Theologi, qui pro innatis nobis notionibus decertarunt, ſed illi quoque, qui illas reijciunt, constanter affirmant, neque ab opinione, neque ab educatione justi, ac injusti notiones ortum ſuum duxiſse, atque ipsi fatentur, hujusmodi notionum ſemina, nobis à natura eſse tradita, quæ temporis ſuccesſu, evolvuntur, quare Seneca Epist: 120, sic ait: *Desideras disci, quomodo ad nos boni, honestique notitia pervenerit? Hæc nos natura docere non potuit, ſemina nobis ſcientiæ dedit, ſcientiam non dedit,* quia ſcilicet per facultates naturales, ratione utentes, de rebus naturalibus inquirere, & rectum de iis judicium ferre poſsumus, vel quia objectorum occurrentium occasione, ex hominis natura, illæ notiones exoriuntur, vel denique, quia ſensu, & instinctu quodam, hæ justi ac injusti notiones, nobis innotescunt, quod etiam respui â nullo poſsunt, qui ad eas paccato animo attenderit.

Quæres 3tio: Utrum ea quæ naturali lege à Deo prohibita aut præcepta sunt, â libera ipsius dependeant voluntate, adeo, ut unice ideo bona sunt, quia à Deo præcepta sunt, ideo mala, quia â Deo prohibita fuerunt?

Resp: Illa quæ á Deo naturali lege prohibita aut præcepta sunt, à libera Dei non pendent voluntate, ac proinde lex naturalis á neceſsaria Dei constitutione desumitur, quare neceſsario ideo Deus aliqua prohibuit, quia mala sunt, ideo præcepit, quia neceſsaria & bona sunt. Enimvero, si lex naturalis á libera Dei voluntate dependeret, alia nobis potuit Deus præscribere, præcipere, prohibere, atque iis quæ præcepit, prohibuit, prorsus contraria, exg: quod non ipsum colere, amare, sed adeo prosequi, contemptui habere deberemus, quodque ea operari, atque efficere poſsemus, quæ in nostram, æqualiumque perniciem cederent, uno verbo, ut contra recta rationem ageremus. Porro contra justitiam, sapientiam, bonitatem, ac sanctitatem Divinam hoc eſset, ut manifestum est unicuique. Et certe quæ Deus lege naturali præscripsit, juxta normam divinæ suæ rationis, atque sicut congruebat naturis, ac eſsentiis rerum, præscripsit. Hæc autem Divina ratio, rerum naturæ, ac eſsentiæ, arbitraria Dei voluntate priores sunt, ipsiusque nor-

norma ac regula incommutabilis in omnibus agendis habentur. Ergo quæ Deus lege naturali præscripsit, ab arbitraria ipsius non dependent voluntate, sed illa omnia constituit juxta rationis, ac sapientiæ suæ normam, qua ipsas etiam rerum eſsentias & præconceperat, & efformaverat, hæc vero cum neceſsaria, æterna, ac immutabilia sint, quia contra suam rationem, sapientiamque Deus agere nequit, idcirco quæ ipse lege naturali nobis præscripsit, neceſsaria ac immutabilia sunt. Præterea cum eſsentiæ rerum æternæ ac immutabiles, semper respondere debeant Divinis ideis, non potuit Deus creare hominem sine ratione, quia homo ratione destitutus, contradictionem involveret. Jam vero admiſsa ratione, ex ea sponte sua fluunt, juris naturalis præcepta, à ratione omnino exiguntur, ab ea præscribuntur, ratione ad ea adimplenda homo adigitur, rationi sunt congruentiſsima, naturæ hominis accomodatiſsima. Sicut ergo cum voluerit Deus hominem creare, neceſsario eum ratione præditum creavit, ita etiam cum illum ratione præditum creaverit, neceſsario etiam illi hanc legem naturalem indidit, & neque exlegem creare ipsum potuit, neque contrariam aliquam legem insinuare illi poterat, alioquin hominem á se cum ratione creatum, rationi semper contraire voluiſset, quod maxime absurdum foret. Unde S. Augustinus libro 1. de libero arbitrio Cap: 3. ait: *Adulterium non ideo malum est, quia vetatur lege, sed ideo vetatur lege, quia malum est.*

Objicies 1mo: Honestas ac turpitudo, sunt affectiones actionum humanarum, quæ ex convenientia noscuntur, aut discrepantia cum aliqua lege. Porro lex omnis, dependet ab arbitraria legistatoris voluntate, aliquid decernentis. Ergo etiam lex naturalis, ipsius præcepta, ab arbitraria Dei pendent voluntate. Certe moralitas actionum humanarum, annexam habere debet aliquam obligationem, omnis autem obligatio supponit Superiorem illam imponentem. Igitur absque lege superioris, sicuti nulla obligatio, ita & nulla moralitas eſse potest: *2do*: Circulus committitur vitiosus, dum dicitur, actiones eſse bonas aut malas, quia sunt conformes, vel difformes legi, & iterum affirmatur, per legem naturalem præceptas, atque prohibitas eſse multas actiones, quia in se, & absolute bonæ vel malæ sunt, unum quippe per aliud probatur. Certe videmus belluas, plura agere, quæ si fiant ab hominibus, turpitudinis notam haberent, quia homines, non

bel-

belluæ, legis capaces sunt. Ergo sine lege, quæ moralitatem dat actionibus humanis, nihil turpe erit.

Resp: Ad xmum. Honestas ac turpitudo, sunt equidem affectiones actionum humanarum, sed illæ insunt actionibus humanis ante quamcumque legem, & independenter à quacumque lege, hæc enim præsupponi prior debet, voluntate superioris aliquid jubentis, aut prohibentis, ut cum ratione præcipere vel prohibere censeatur, quare & ipse Deus, sine ratione legem nobis naturalem non indidit; & ideo per eam aliqua prohibuit, quia mala, aliqua præcepit, quia in se bona sunt; unde intrinseca actionum humanarum moralitas, est ratio, & fundamentum, cur Deus legem naturalem constituerit. Quapropter honestas, ac turpitudo actionum humanarum, dependent á Superioris voluntate vel libera, vel necefsaria, non vero à voluntate omnino libera & arbitraria. Namque actionum humanarum moralitas, ab arbitraria legislatoris voluntate, nequit semper dependere, sed maxime dependet á necefsaria Dei constitutione. Scilicet Deus in sua mente, ratione, ac sapientia, rerum omnium efsentias ideis suis archetypis perfecte correspondentes habuit, inter quas & hominis natura repræsentabatur, ratione prædita, & legis servandæ capax, atque immutabilem ordinem divinæ sapientiæ maxime congruum potens retinere. Fieri vero non potuit, quin Deus juxta sapientiæ ac sanctitatis suæ normam, atque regulam agat, consequenter ea præcipere debuit, ac vetare, quæ illi incommutabili ordini in sua mente existenti velut conformia, ac proinde bona, vel contraria, ideoque mala repræsentabantur. Cum itaque Deus hominem efformare voluit, habuit in suis ideis, ac in ipsa humana ratione, quæ correlationem necefsariam habent, ad æternum ordinem, quem in mente sua præformaverat, limum fundamentum, motivumque, cur aliquas præciperet actiones, alias prohiberet, adeoque moralitas intrinseca est actionibus humanis, atque ante legem ipsis inerat, nimirum antequam Deus voluerit aliquas actiones præcipere, vel prohibere, iam illæ in se aut bonæ, aut malæ erant. Ex quibus tale deducitur argumentum. Actiones humanæ correspondere debent ordini æterno, ac immutabili, qui in mente Dei existit, quæ huic ordini conformantur, sunt bonæ, quæ difsentiunt, sunt malæ. Porro hic ordo, à ratione & sapientia divina efformatus, est necefsarius, præconceptus ante omnem Dei voluntatem, qua statuit, actiones aliquas præcipere,

vel

vel prohibere. Moralitas ergo actionum humanarum necessaria ac immutabilis est, ante quamcumque arbitrariam Dei voluntatem ipsis inest.

Obligatio vero duplex est, una perfecta, quæ promanat, ex Legislatoris voluntate, qui ad agendum, quæ præcipit, pænarum metu, præmiorum promissis homines incitat, ac movet; alia est minus perfecta, quæ tunc enascitur, cum homo actionis conformitatem advertit, aut dissonantiam cum norma, ac regula suæ rationis videt. Docet siquidem experientia, hominem, cum recte ac bene agit, habere in se unde sibi applaudat, atque complaceat, si vero inhoneste, ac turpiter faciet, quamquam palpones ipsi adgratulentur, in corde suo advertit se male egisse, ipsa conscientia condemnationem dictante, ipsa ergo ratio aliquam obligationem parit. Quare actionum moralitas, habet quidem annexam obligationem saltem imperfectam, quæ semper adest, sed non omnino perfectam, quæ aliquando abest.

Et vero cum homo pluribus constat partibus, quibus ratio præeminet, hæc veluti superiore munere fungitur, ac proinde potest aliquomodo obligare, hinc sequitur, naturalem libertatem recta ratione constringi, cum bonum ac honestum faciendum proponit, evitandum turpe ac inhonestum ingerit.

At inquies: Nulla est obligatio, ubi deest superior lege aliquid decernens. Obligatio siquidem in suo conceptu involvit, ut obligans distinctus sit ab obligato, nam obligatio debitum importat, quod relationem dicit ad alterum. Sed si ratio imponeret obligationem, neque obligans distinctus esset ab obligato, neque ulla inesset debiti ratio.

Resp: Obligatio exigit quidem obligantem distinctum ab obligato, si illa á principio externo procedat, non vero si à principio interno profluat. Scilicet duplicis generis est obligatio, externa una, quæ supponit semper obligantem distinctum ab obligato, ut est Princeps suos obligans subditos. Alia est obligatio externa, quæ in illius, qui obligatur, natura fundamentum habet, ac ista non supponit obligantem distinctum ab obligato. Sic in theoreticis obligatur homo à propria ratione, ut veritatis evidentiam sequatur, pariter ergo obligatur à ratione, quæ tamquam norma ac regula morum ipsi data est, non supposita etiam arbitraria legislatoris voluntate, sequi ea, quæ tamquam bona, respuere, quæ tamquam mala

la

la perspexerit; quare etiam obligatio semper parit debitum adalterum, si illa stricto modo sumatur, non vero si in latiori significatione accipiatur. Quamvis enim in rigido verborum sensu, debitum dicat respectum ad aliud, attamen si in ampliori significatione debitum sumatur, potest eſse aliquod debitum erga seipsum, homo enim sibimet ipsi multa debet, propriæ scilicet vitæ conservationem, & alia erga semetipsum officia, quæ ex recta ratione descendunt.

Ad 2dum: Communiter Philosophi & Theologi Catholici docent, actiones humanas lege naturali prohibitas, vel præceptas, bonas eſse, vel malas, nullus autem ex illis est, qui affirmet, illas, si à lege prohibitæ non fuiſsent, futuras fore indifferentes, imo contrarium uno ore aſserunt, idcirco nimirum actiones multas volitas eſse, quia incommutabili ordini à Deo præconcepto non respondent, atque ideo eſse malas, alias vero eidem ordini respondere, ac propterea eſse bonas. Non ergo idem probatur per idem, sed res ex suis genuinis deducitur principiis.

Magna vero est disparitas, inter actiones belluarum, & inter actiones hominum. Belluæ nec ratione, nec libertate præditæ sunt, adeoque nihil illis honestum eſse potest, vel turpe. Homo vero cum intelligentia, ac libertate præditus sit, cum aliqua vere deturpant, alia cohonestant, & illa sunt, quæ cum natura ipsius convenientiam, aut disconvenientiam habent. Hæc vero ipsis insunt ante omnem positivam atque arbitrariam Dei, & hominum legem.

Quæres 4to: Quæ ſunt præcipua legis naturalis præcepta?

Resp: Præcipua legis naturalis præcepta, ex quibus cætera omnia, veluti è ſuis fontibus rivuli promanant, Christus enarravit Math: Cap: 22. *Diliges Dominum Deum, ex toto corde tuo. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Universa siquidem officia, ad quæ præstanda lex naturalis nos obstringit, ad Deum, proximum & nos ipsos referuntur, atque ordinantur, horum autem fons, & origo est amor, charitasque bene ordinata erga Deum, proximum, atque nos ipsos. Verum in his juris naturalis præceptis, perscrutandis, officiisque inde manantibus explanandis, magis attendendum est ad ea quæ nobis Deus revelavit, nosque in ſacris Scripturis per ſuos Prophe-

phetas, Apostolosque edocuit, quam quæ nobis adeo imbecillis ſubministrat humana ratio, quia manifestatio Divinorum mandatorum, quæ nobis revelatione facta est, est longe ſecurior illa, quæ habetur à ratione, quatenus hæc nulli errori obnoxia est, ista vero ignorantiæ tenebris contexta, in multis cæcutit. Quare peſsime agunt, qui postposita Divinæ Revelationiſ doctrina, ex ſola naturali ratione, legis naturalis præcepta explanare, officiaque homini erga Deum, proximum, ac ſeipsum præscribere conantur, hinc enim in graviſsimos errores prolapsi ſunt. Quod enim ratio naturalis sit regula morum, hoc inde habet, quia est participatio legis æternæ, Divinæque rationis. Porro lex æterna, Divinaque ratio, clarius, facilius, atque ſecurius nobis innotescit Divina revelatione, quam humana ratione. Magis ergo illa, quam ista attendi debet. Unde S. Augustinus libro 3. contra Epistolam Parmeniani sic inquit: *Ideo ſunt tamquam sinceriſsimum ſpeculum proposita hominibus oracula cælestium paginarum, ut ibi quisque videat quodlibet peccatum quantum sit, quod forte magnum est, & male viventium cæco more contemnitur.*

Et vero, officia ad quæ Deo, proximo, nobisque ipsis præstanda jure naturali adstringimur, Divina revelatione moderari debemus, cum in ea nulla contineantur, quæ ipsa respiciunt. Sic exg. jure naturali tenemur Deo cultum internum, atque externum exhibere. At circa id multa in ſacris Scripturis præscripta habemus. Sic I. Regum Cap: 15. dicitur: *Melior est obedientia quam victimæ, & ausculture magis quam offerre adipem arietum.* Oseæ Cap: 6. *Misericordiam volui, & non ſacrificium, & ſcientiam Dei plus quam holocausta.* Math: Cap: 5. *Si offers manus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te. Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Et iterum Cap: 6. *Tu cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito. Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici. Putant enim, quod in multiloquio exaudiantur.* Pariter jure naturali tenemur proximum diligere, Parentes honorare, verum quo ordine, qua ratione hæc ſervanda, & perficienda sint, Divina nos edocet revelatio, ſcilicet: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Math: Cap: 5to. Et iterum Math: Cap: 10. inquit Christus: *Qui amat patrem, aut matrem, plus quam me, non est me dignus, & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non est me dignus.* Capite

vero

vero 19. ait: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Præterea jure naturali obligamur, necessaria vitæ nostræ providere, ejus integritati consulere. Sed & de his multa nobis in sacris litteris traduntur, quibus curam nostri moderari debeamus. Sic Christus admonet nos Math: Cap: 10. ut non timeamus eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt. Paulus Epist: ad Rom: Cap: 12. exhortatur, ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem & Cap: 6to inquit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Sed etiam quo ad cibum & potum, sine quibus vita nostra nullatenus conservari potest, præclara nobis Divinæ litteræ subministrant, scilicet animam plus esse quam escam, Christus Lucæ Cap: 12. denuntiavit. Apostolus Rom: Cap: 14. docet: *Non est regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Noli propter escam destruere opus Dei.* Quodsi cætera omnia juris naturæ præcepta percurrantur, de iis saluberrima monita in sacris Scripturis nobis tradita reperiemus. His ergo & mentem nostram illustrare, & naturales nostras inclinationes, quæ corruptæ ac depravatæ sunt, ac ideo sæpissime extra metas justi ac recti nos propellunt, ad illicita pertrahunt, moderari atque regere debemus, ut in perscrutandis legis naturalis præceptis, in ordinandis hominum officiis ex iis promanantibus, à vero non deviemus.

Quæres 5to: Utrum lex naturalis omnibus sit clara ac perspicua?

Resp: In lege naturali spectantur imprimis prima principia, quæ talia sunt, & dicuntur, quatenus ex iis legis naturalis præcepta tamquam ex suis fontibus derivantur, atque per ratiocinationem deducuntur. Talia sunt: *Bonum faciendum, malum fugiendum, virtus colenda, vitium detestandum*: seu ut Psal: 36. dicitur: *Declina à malo, & fac bonum.* Tum istud: *Deus est colendus, amandus, illi serviendum*: unde Eccles: Cap: 12. dicitur: *Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo:* Denique illud: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & quod Christus proposuerat Math: Cap: 7. *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*: ex quibus multa præcepta legis naturalis deducuntur, & quibus ad præstanda Deo, proximo, & nobismetipsis officia astrin-

ſtringimur. Quæ vero ex primis illis principiis deducuntur conſectaria, ſecundaria legis præcepta ſunt. Sic ex illo primo legis naturalis principio: *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris*, ſponte fluit: *Ergo non est furandum, non est occidendum.* Verum & ex his ſecundariis præceptis, aliæ ulterius pro caſibus particularibus deducuntur morum ſequelæ; aliquando quidem brevi, & clara illatione, aliquando autem longa & ambigua ratiocinatione. Itaque lex naturalis, quo ad prima principia clara, & perſpicua eſt. Veritatem ſiquidem horum principiorum, nativo lumine quiſque etiam rudiſsimus, perſpicere poteſt. Pariter illa conſectaria, quæ proxime, & immediate ex primis principiis derivantur, clara, & perſpicua ſunt. Quæ enim & cum iis proxime conjuncta ſunt, quæ in ſe maximam perſpicuitatem habent, & ipſa magnam evidentiam habent, clara, & perſpicua ſunt. Porro prima juris naturalis principia, maximam in ſe perſpicuitatem habent, cum iis proxime conjunguntur, conſectaria quæ ab illis immediate derivantur, & ipſa etiam in ſeipſis ſatis evidentia ſunt. Sunt ergo & illa clara, atque perſpicua. Sed & quæ ex ſecundariis legis naturalis præceptis brevi, & evidenti ratiocinio deducuntur, ſatis perſpicuitatis habent, quia illam mutuantur à ſuis fontibus & principiis, ex quibus dimanant, atque deducuntur, quæ cum clara atque evidentia ſint, ipſa quoque ſatis perſpicuitatis in ſe habent. At vero ea quæ ex ſecundariis legis naturalis præceptis, longa, ambigua, obſcuraque ratiocinatione deducuntur, obſcura ſunt, quia neque in ſe perſpicua ſunt, neque evidenti illatione ex claris, & perſpicuis deducuntur. Unde in his ignorantia invincibilis eſſe poteſt, in illis locum habere nequit.

Obſcurari etiam lex naturalis in hominibus facile poteſt, quod antiquis Philoſophis contigiſſe Apoſtolus Paulus in Epiſt: ad Romanos Cap: I. teſtatum reliquit: *qui evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*: ſed & modo ſæpiſsime in multis ipſam morum pravitate, & educationis perverſitate, obſcurari, ipſa infelix comprobat experientia. Nam perverſa educatione, inſinuantur ſcita præceptis legis naturalis oppoſita, & qui ſemel ſe cæno vitiorum immerſerit, vim legis naturæ vix ſentit, clamantis conſcientiæ vocem non audit, & lumini ejus occulos ſponte occludit. Unde id eis contingit, quod David Rex ſcripſerat Pſal: 48. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis*

milis factus est illis. Quamquam vero lex naturalis in cordibus impiorum obscuretur, deleri tamen & extingvi nequit. Certe vel ipse impiiſsimus Antiochus, morte appropinquante, sentit, & exhorruit immanitatem criminum ſuorum, dixitque: *Nunc reminiscor malorum quæ feci:* I. Mach: Cap: 6. unde cum ex gravi superbia deductus, cæpit ad agnitionem ſui venire, Divina admonitus plaga, conscluserat: *Justum est ſubditum eſse Deo, & mortalem non paria Deo ſentire*, 2. Mach: Cap: 9 Merito itaque ſcripserat S. Augustinus libro 2. Confes: Cap: 4. *Lex tua Domine ſcripta est in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas.*

Quæres 6to: An lex naturalis strictæ obliget?

R. sp: Lex naturalis stricte obligat omnes. Namque vera lex, & quæ Deum ipsum auctorem habet, stricte omnes obligat homines. Porro lex naturalis ipsum Deum auctorem habet, & vera lex est. Ergo stricte obligat. Et quidem *1mo:* lex naturalis Deum ipsum auctorem habet, quia ab ipso est cordibus nostris inscripta, mentibus nostris infusa. Lex siquidem naturalis consistit, tum in rationis dictaminibus, quibus malum à malo ſecernimus, tum in moralitatis sensibus, quibus ad virtutem naturaliter movemur, à vitio abhorremus: jam vero ratio, totaque natura nostra, non est à se, sed à Deo. Ergo & lex naturalis, est á Deo, quare recte dicitur, participatio Divinæ rationis, signaculum Divini luminis. Et certe lex universalis, quæ inest omnium cordibus, indelebilis, invariabilis, & quæ à nullo hominum pendet, ſolum Deum auctorem & institutorem habet. Talis autem est lex naturalis, universalis scilicet, omnium siquidem cordibus, inest, indelebilis, invariabilis, à nullo hominum dependet, prout ipse agnovit Cicero libro 3. de Republica apud Lactantium, ubi sic inquit: *Est quidem vera lex recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, ſempiterna, quod vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat. Huic legi nec abrograri fas est, neque derogari ex hoc aliquid licet, neque tota abrogari potest. Neque vero per Senatum, aut per populum ſolvi hac lege poſsumus.* Deum ergo auctorem, atque institutorem lex naturalis habet. *2do:* est quoque vera lex, quia legi naturali nihil deest ex iis quæ ad rationem veræ legis præerequiruntur. Tria enim vel maxime ad legem præerequiruntur. *1mo:* ut à legitimo legislatore proſiciscatur. *2do:* ut ad bonum commune ordinetur. *3tio:* ut promulgatione manifesta fiat. tam-

tandem optimum erit, si sanctionem adjunctam habeat. Hæc vero omnia habet lex naturalis. Est ſiquidem à legitimo legislatore instituta, quia Deum, qui ſupremus est legislator, auctorem habet. Ad commune totius generis humani bonum ordinatur, finisque illius alius non est, nisi vera felicitas hominis, tum præsentis, tum futuræ vitæ. Promulgatione quoque hominibus innotescit. Promulgatio ſiquidem legis naturæ, ut inquit S. Thomas Doctor, est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit, naturaliter cognoscendam. Unde S. Ambrosius Epist: 73. sic inquit: *Ea igitur lex non ſcribitur, ſed innascitur, neque aliqua percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte, in singulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur.* Tandem lex naturalis etiam Sanctionem sibi ſuperadditam habet. Hæc enim, tum promiſsioni præmiorum, tum comminationi pœnarum innititur, utrumque autem intime etiam ſentiunt omnes, qui vel legem naturalem observant, vel ipsam transgrediuntur, primi enim & nunc gaudio, pace, tranquillitate interna perfruuntur, & futuræ vitæ remunerationem prægustant; posteriores vero stimulis conscientiæ exagitati, timoribus, terroribusque constricti, nonnunquam in furias desperationis vertuntur. Cum itaque legi naturali nihil desit eorum, quæ ad veram legem neceſsaria ſunt, ipsumque Deum auctorem habeat, stricte ipsa omnes homines obligat. Nihil ergo absurdius dici potest, quam legem naturalem loco consilii habendam eſse, quod tamen impudentiſsime affirmare ausi ſunt è Lutheranorum grege Thomasius, & Fleischerius. Deus siquidem legem naturalem nobis infudit, ea potiſsimum de causa, ut ipsam ſervaremus, & hujus obligationiſ interius etiam conscientiæ remorsibus admonemur. Non ergo Deus legem naturalem nobis indidit consilii loco, ſed præcepti, volens & statuens pro ſuprema ſua in nos auctoritate, ut illam observaremus.

ARTICULUS 4tus

De Jure Gentium.

Quæres 1mo: Quid sit jus Gentium?

Resp: Jus Gentium est illud, quod Gentium consensione, non propter singularium nationum utilitatem, ſed propter totius universorum hominum ſocietatis emolu-

 mens-

mentum, est constitutum. Hinc Justinianus libro 1. tit: 2. ait: *Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes gentes peræque custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utantur.* Quemadmodum vero jura Civitatis, aut Regni, illa esse dicuntur, quæ sunt Principum aut Regum auctoritate constituta, ita etiam quæ vocantur jura Gentium, earum auctoritate sancita esse debent. Communi itaque Gentium consensione, atque approbatione illa constituta, usu vero constanti, confirmata sunt. Quare Justinianus Instit: libro 1. Cap: 2. inquit: *Usu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humana quædam sibi constituerunt.* Quare jus Gentium, est complexio legum, quæ ob necessitatem, utilitatemque communem, ex voluntate, & consensu nationum, inductæ & constitutæ sunt. Neque tamen ad jus Gentium requiritur, ut omnes omnino nationes quæ in Mundo reperiuntur, quæ & nobis incognitæ & à nobis multum dissitæ sunt, cum quibus nullam societatem, commerciumque habemus, conveniant & conspirent, id enim moraliter impossibile est, sed sufficit, ut consensione & approbatione sit introductum earum nationum, quæ nobis cognitæ sunt, & cum quibus communicamus.

Quæres 2do: Quæ sunt jure Gentium constituta?

Resp: Jure Gentium multa sunt constituta. Sed præcipue I. divisio bonorum introducta fuit. Cum enim neo jure naturæ, neque Divino, decernatur, hæc prædia ad hunc potius, quam ad illum pertinere, sed communis rerum usus supponitur, ut scilicet omnia omnibus communia sint. Siquidem Deus primis nostris Parentibus, eorumque Successoribus, ut uterentur omnibus, quæ producta fuerunt, indiscriminatim concessit. Bonorum tamen divisio, proprietasque ubique apud omnes Gentes viget, merito concluditur, illam jure gentium esse constitutam. 2. contractuum usus. Consvetudine scilicet apud omnes Nationes recepta atque firmata, introductum, atque firmatum est, ut quemadmodum homines unius & ejusdem Nationis inter se contrahendi libertatem habent, ita etiam diversæ Nationes, contractus inter se ineundi, constituendique facultatem haberent. Hoc ergo quoque jure gentium constitutum esse videtur. 3. privilegia, & immunitas Legatorum, fædera pacis, & induciarum, denique belli jura, jure gentium constituta sunt. Hæc enim omnia citra omnem æquitatis offensionem, aliis diversis, multiplicibusque modis fieri potuisse, evidens est; quod ergo sic & non alio modo facta,

atque

atque constituta fuerint, id habent à consensione, & approbatione Nationum. Sunt ergo juris Gentium. Ex quo manifeste consequitur, jus gentium ad jus pure positivum, non vero ad jus naturale, revocari debere. Enimvero jus naturæ illla respicit, quæ ex se justa sunt, æquitatis plena, adeo ut ea præteriri nullatenus possint, ipsaque pront omnino necessaria præcipit, & imperat, ea vero prohibet quæ ex sua natura turpia, iniqua ac inhonesta sunt. Jus autem gentium, illa etiam complectitur, quæ quamvis Nationibus utilia & commoda sint, in se tamen indifferentia sunt, veluti commercia, fædera pacis, & alia multa, & ideo à solo Nationum beneplacito, Gentiumque consensu dependent. Non ergo ad jus naturæ, sed ad jus pure positivum revocanda sunt.

Quæres 3tio: Utrum jus gentium, vim obligandi habeat?

Resp: Jus gentium, vim obligandi habet. Enimvero, lex justa, & rationabilis, vim obligandi habet. Porro Jus gentium, habet rationem veræ legis, quia communi Nationum consensu est constitutum, ad illarum commune bonum, utilitatemque ordinatum. Justa quoque ac rationabilia statuta complectitur. Vim ergo obligandi in se habet. Merito itaque scripsit Seneca Controvers: libro 1. *Quædam jura non scripta, sed omnibus scriptis certiora sunt.* Hinc omnes moderatiores Gentes, constantes semper in observatione eorum fuerunt, quæ jure gentium præcepta sunt, semperque illum publicæ paci atque tranquillitati adversari existimatum fuit, qui violare ausus esset illa, quæ jure gentium sancita sunt. Et vero, sicut advertit S. Thomas Doctor 2da. 2dæ quæst: 88. art: 3. *Secundum honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur.* At vero mutua promissio, conventio, pactum, continetur in iis, in quæ Gentes unanimi conspiratione consenserunt, atque propterea hæc vel illa servandi mutuo sibi fidem dederunt. Cum itaque pacta, conventa, facta promissio, data fides, jure naturæ servanda sint. Igitur ea quæ jure gentium constituta sunt, jure naturæ servari debent. Indubitatum ergo, jus gentium etiam ex jure naturæ vim obligandi habere.

CAPUT SECUNDUM

De lege Divina.

Lex Divina duplex est, alia veteris, alia novi Testamenti, illa per Moysen populo Israelitico à Deo constituta fuit, hæc à Christo Jesu universo generi humano tradita, illa in Pentateucho, seu quinque libris Moysis continetur, hæc in quatuor Evangeliis includitur.

ARTICULUS Imus

De lege veteri.

Quæres Imo: Quis sit auctor legis veteris?

Resp: Legis veteris auctor est ipse Deus, qui illam ministerio Moysis populo Israelitico tradidit. Namque Exodi Cap: 24 legimus, quod Moyses assumens volumen fœderis, cum illud adstante universo populo legisset, respondit una voce populus: *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes*: & cap: 34. postquam convocaverat Moyses Principes Synagogæ, & omnes filios Israel: *Præcepit cuncta, quæ audierat à Domino in Monte Sinai.* Sed & ipse Dominus sua esse illa præcepta, quæ à Moyse acceperant, iisdem Israelitis contestatus est, Levitici Cap: 26. dicens eis: *Quod si non audieritis me, nec feceritis mandata mea, si spreveritis leges meas, & judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, ut ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque hæc faciam. Visitabo vos velociter in egestate.* etc. Nihil ergo est in tota veteri lege, quod propria auctoritate sua constituerit Moyses. Unde iterum Deuter: Cap: 28. sic populum Israel ipse alloquitur: *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, & facias omnia mandata ejus, & cæremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones, & apprehendent te.* Cuncta ergo præcepta, cæremoniæ, judicia, à Moyse promulgata, Domini erant, sua illa esse, ipse Deus profitetur, à populo suscipienda esse indicit, pænasque gravissimas cominatur, si ea transgressi fuerint, præmia au-

tem

tem & retributiones promittit, si ipsa fideliter servaverint.

Et certe lex vetus alium auctorem habere non potuit, nisi ipsum Deum. Enimvero ut inquit Apostolus ad Galatas Cap: 3. lex vetus: *Pædagogus noster fuit in Christo*, quia de Christo Moyses scripsit, ut ipse attestatur Salvator Ioan: Cap: 5. propterea omnia quæ in lege veteri scripta sunt, ad se referri oportere affirmans, Lucæ Cap: ult. dicens: *Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & in Psalmis, & in Prophetis de me.* Quare merito scripsit S. Augustinus lib: 16. contra Faustum Cap: 9. *Moyses omne quod scripsit, de Christo est, sive quod cum figuris rerum vel gestarum, vel dictarum prænuntiat, sive quod ejus gratiam, gloriamque commendat.* At vero solus Deus ea scribenda & servanda præfinire poterat, quæ ante multa tempora figura venturi Christi esse debebant, atque tam varia præsignificatione mysteriorum, tamque multiplici observatione cæremoniarum, ad Christi adventum disponere homines poterant; veteris ergo legis auctor solus Deus fuit.

Dices: Moyses ipse libellum repudii constituit, Christus enim de repudio uxoris, â Judæis interrogatus Math: Cap: 19. respondit: *Moyses ad duritiam cordis vestri, permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio vero non fuit sic.* Ergo Moyses aliqua propria auctoritate constituerat.

Resp: Libellum repudii Moyses quidem Judæis permisit, at non propria auctoritate, sed Domino sibi inspirante, id fecit. Neque obstat quod permissio illa, seu lex repudii à Moyse data, scriptaque dicatur. Nam etiam Math: Cap: 8. Christus leproso mandavit, ut illud munus offerret, quod præceperat Moyses, ipsum tamen Divino mandato constitutum fuerat.

Quæres 2do: Quomodo Deus legem veterem Moysi tradiderit.

Resp: Per se ipsum illum Deus non tradidit Moysi, sed per Angelos suos. Enimvero Apostolus ad Galat. Cap: 3. loquens de lege veteri, eam per Angelos *ordinatam* fuisse dicit, & Hebr: Cap: 2. vocat illam: *sermonem dictum per Angelos.* S. Stephanus Act: Cap: 7. coram Judeorum Concilio loquens de Moysis lege, ait: qui *accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis:* & iterum de Moyse verba faciens inquit: *Hic est qui fuit in Ecclesia, in solitudine cum Angelo, qui loquebatur*

tur ei in monte Sina. Et re quidem vera, non ita Dominus Moysi locutus fuit, quemadmodum in sua substantia loquitur, quia istiusmodi locutio, est ipsum Dei Verbum, sed ea ratione, ut à Moyse audire, ac intelligi poſsit, licet non in sua substantia loqueretur.

Dices: Dominus ipse facie ad faciem locutus est Moysi. Ergo per se ipsum, non autem Angelorum ministerio, legem suam illi tradidit.

Resp: Vere Dominus ad Moysen locutus eſse dicitur, quamvis non per se ipsum, sed ministerio Angeli locutus ei fuerit, eo plane modo, quo locutus est hominibus per Prophetas, quamvis enim ministerio Prophetarum loquebatur Deus, ipse tamem locutus eſse dicitur, & ideo Paulus Hebr: Cap: 2. ait: *Multifariam, multisque modis, olim Deus loquens patribus nostris in Prophetis:* pariter licet ministerio Angeli locutus fuerit Deus Moysi, sed quia Angelus non suo, sed Dei nomine loquebatur, recte Dominus Moysi locutus eſse dicitur, quare etiam dicere poterat Angelus: *Ego sum Dominus Deus tuus. Ego sum Deus Abraham:* quia in persona Dei, & nomine Dei, loquebatur; quod vero dicitur Exodi Cap: 33. facie ad faciem Dominum cum Moyse locutum fuiſse, id non ita accipiendum est, quasi Deum ipsum sibi immediate loquentem audiverit, sed quemadmodum Moyses Dei faciem uti in se est non vidit, sed tantum in aſsumpta per Angelum corporali specie, ita neque etiam Deum ipsum immediate loquentem audivit, sed in aſsumpta per Angelum corporali figura. Nam si Moyses Deum, uti est in se viderat, profecto non erat, cur eum deinde rogaret, ut sibi suam gloriam ostenderet, & cur Deus ei responderit: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet.* Præclare in hanc rem sic diſserit S. Augustinus de Genesi ad litt: libr: 12. *Concupiverat* (Moyses) *sicut in Exodo legimus, videre Deum, non utique sicut viderat in monte, sed in ea substantia, qua Deus, nulla aſsumpta corporali creatura, quæ mortalis carnis sensibus representatur, neque in spiritu figuratis similitudinibus corporum, sed per speciem suam, quantum eam capere creatura rationalis potest, sevocata ab omni corporis sensu.* Sic enim scriptum est, Exodi Cap: 33. *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te, cum paulo superius legatur, locutus Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut quis loquitur ad amicum suum. Sentiebat*

ergo

ergo quid videbat, & quod non videbat, desiderabat.

Quæres 3tio: Quem effectum peperit, fructumque attulit, lex vetus?

Resp. Per legem veterem, Deus ſubvenit naturæ humanæ. Per ipsam siquidem lex naturalis instaurata, aucta, et firmata fuit. Enimvero Decalogi promulgatione, ipsa naturæ præcepta Deus compendiose collegit, ad ea observanda homines præmonuit, atque propositis etiam pænis præmiisque excitavit. Ut enim observat S. Augustinus Enarr. in Psalmum 57. *Ne sibi homines aliquid defuiſse quærerentur, scriptum est id in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim scriptum non habebant, ſed legere nolebant. Appositum est occulis eorum, quod in conscientia videre cogerentur, & quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est.*

Et vero, licet homines aliqua eum pæna dignum eſse, qui peccavit, naturali ratione noverant, attamen quænam ista pæna, habita peccati ratione, eſse deberet, distincte non noverant, & unusquisque blandiri sibi facile poterat, mitiorem pænam futuram fore, quam ipsa æquitas exigebat. Deus itaque per legem veterem, quasdam peccantibus determinavit pænas, atque per hoc, ne ulterius sibi homines inaniter blandirentur, eos efficaciſsime & ad observationem legum ſuarum excitavit, & ab iniquitate, peccatisque deterruit. Hinc S. Augustinus libro de utilitate credendi, affirmat legem veterem *utiliter eſse latam quod homines, qui revocari à peccatis ratione non poterant, tali lege coercendi erant, pænarum scilicet istarum, quæ videri à stultis poſsunt, minis, atque terroribus.*

Quamquam vero homines & ante legem veterem rationis lumine aliquo modo viderant, atque discernere poterant, quidnam malum, quid bonum eſset, quia tamen hoc in eis lumen obscuratum fuerat, ideo Deus per legem veterem, clare exposuit, quid crimen sibi adjunctum habeat, quid vero laude dignum sit.

Quæres 4to: Quo fine Deus veterem legem instituit?

Resp: Deus veterem legem instituit *1mo:* Ut populum Judæorum, quem singulariter sibi elegit, recte institueret. Lex siquidem vetus, triplicem præceptorum ordinem continet, hoc est moralium, cæremonialium, atque judicialium. Hoc autem triplici præceptorum genere, cujusvis populi recta institutio continetur, atque completur, quia iis tam quoad semetipsum, quam quoad Deum, atque proximos informatur. Moralibus namque

præ-

præceptis præscribuntur, quæ ad honestatem morum pertinent, cæremonialibus, quæ cultum Dei spectant, judicialibus ea attingunt, quæ maxime proximis debentur, ut scilicet jus suum unicuique reddatur. Cum itaque recta populi institutio in eo consistat, ut homines recte se habeant erga Deum, proximum, atque seipsum, hocque legi veteri abunde Deus præstitit, per illam populum Judaicum recte instituere voluit.

2do: Lex vetus instituta fuit, ut in Christum venturum fides conservaretur, & augeretur, atque ad illum suscipiendum homines disponerentur. Ut enim inquit Apostolus ad Rom: Cap: 10. *Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti*: & ad Galatas Cap: 3. ait: *Priusquam veniret fides. ſub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.* Quibus manifeste Apostolus tradit, legem veterem latam fuiſse ad Christi fidem conservandam, & augendam, utque ipsa ad Christum suscipiendum omnes disponerentur, quia nimirum per illam tanquam per Pædagogum ad Christum manuducebantur Judæi. Hinc S. Augustinus libro de Catechizandis Rudibus, sic inquit: *Neque ob aliud ante adventum Domini scripta ſunt omnia, quæ in Sacris Scripturis legimus, nisi ut illius commendaretur adventus, ut futura præsignaretur Ecclesia, id est populus Dei per omnes gentes, quod est corpus ejus, adjunctis, atque annumeratis omnibus sanctis, qui etiam ante adventum ejus in hoc sæculo vixerunt, ita eum credentes venturum eſse, sicut nos veniſse.* Et non solum iis, quæ in veteri lege scripta ſunt, ſed etiam omnia alia quæ gesta ſunt, aut quovis modo contingebant, Christum præfigurabant, atque prænuntiabant, quare iterum S. Augustinus Serm: 2. de Tempore sic ait: *Tales illos viros habebat Deus, & illo tempore tales fecerat præcones Filio venturo, ut non solum in his quæ dicebant, ſed etiam in his quæ faciebant, vel in his quæ illis accidebant, Christus quæratur, Christus inveniatur.*

3tio. Tandem, Deus legem veterem instituit, ut populus Judæorum per ejus observationem ad felicitatem æternam aſsequendam dirigeretur. Quare S. Stephanus Actorum Cap: 7. loquens de illa lege, quam Moyses à Deo acceperat, *verba vitæ* eum accepiſse dicit, ut ea Israelitis daret, & David Rex Psal: 18. vocat illam legem Domini immaculatam, atque id Psalmo 118. evidentius adstruit. Nam modo affirmat ſe inclinaſse cor ſuum ad faciendas

ciendas justificationes Domini propter retributionem, modo á peccatoribus longe eſse aſserit ſalutem, quia Domini justificationes non exquisierunt, modo ſe expectare ſalutare Dei contestatur, quia ejus mandata dilexit, modo Deum orat, ut manum ad ſui ſalutem extendat, quia mandata ejus elegit, atque statim à principio pronuntiavit, illos eſse beatos, qui ambulant in lege Domini, qui ſcrutantur testimonia ejus, & in toto corde exquirunt ea, maledictos autem qui declinant à mandatis. Jam vero neque hæc Regius Propheta indubitanter aſseruiſset, neque illa ob mandatorum Dei observationem certo expectaret, nisi futuræ vitæ felicitas veteri lege prætenderetur. Non ergo propter ſolam felicitatem temporalem, ſed et propter æternam aſsequendam, lex vetus à Deo data & instituta fuit. Quare etiam Deut: Cap: 27. absolute dicitur: *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Verum tamen per ſolam veterem legem, homines ad felicitatem æternam pervenire non poterant, quia ut docet Apostolus Hebr: Cap: 10. *Umbram habens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, nunquam potest perfectos facere.* Unde ipsa nihil ad perfectum adduxit, ut in eadem Epistola Cap: 7. affirmat Paulus. Et re quidem vera, quomodo lex vetus ad felicitatem æternam comparandam ſufficere poterat, quoniam lex quidem per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est, sine quibus ſalus æterna obtineri nequit. Unde Actorum Cap: 4. pronuntiat S. Petrus Apostolus: *Non est in aliquo alio ſalus. Nec enim aliud nomen est ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*, nisi in nomine Domini nostri Jesu Nazareni, quia ut docet Apostolus: *ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Rom: Cap: 3. *ſed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus ſalvari, quemadmodum & illi*: Patres videlicet nostri, qui in veteri lege Deo placuerunt. Actorum Cap: 15.

Dices. Si Deus veterem legem instituit, ut per eam populus Judæorum ad æternam felicitatem aſsequendam disponeretur, & dirigeretur, cur ergo in veteri lege, bona temporalia præcipue promittebantur.

Resp: Verum est, nihil frequentius in veteri lege repetitum fuiſse populo Judaico, quam futurum ut ſemen illius multiplicaretur, ut ſuos inimicos debellaret, ut late extenderetur illius poſsesio, ut uberrimos terræ fructus perciperet, ut elementa etiam sibi faventia haberet,

alia-

aliaque multa, quæ ad præsentis vitæ felicitatem ſpectant, conſequeretur, si legem ſervaret, & id convenienter à Deo factum est, ut enim eleganter inquit S. Auguſsinus libro contra Adimantum Cap: 18. *Utiliter carnalibus hæc amantibus, & nondum capientibus promiſsa cœleſtia, ne ab idolis, & dæmonibus iſta peterent.* Sed tamen temporalibus hisce bonis, ſpiritualia & æterna adumbrabantur, at illa ipsis adumbrata fuiſse, ipsi Judæi intelligentes, ſpiritualia, atque æterna præ temporalibus exquirebant, atque exoptabant, unde interiori etiam edocti lumine, quemadmodum testatur Apostolus Paulus Hebr: Cap: 11. expectabant fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor est Deus, patriam terrena meliorem, id est cælestem exquirebant, aspiciebant in remunerationem, talesque virtute, pietate evaserunt, ut illis mundus non eſset dignus.

Quæres 5to. Qui ad legis veteris observationem tenebantur?

Resp: Solis Judæis lex vetus à Deo data, atque constituta est, ac proinde ſoli Judæi ad illam observandam tenebantur. Exodi siquidem Cap: 19. & 20. in quibus totam hujusmodi legislationem descriptam habemus, ſolius populi Israelitici mentio fit, ad quem lex & ipsius promulgatio dirigebatur. Et Deuteronomii Cap: 1. ita legimus: *Hæc ſunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel*, & iterum: *Locutus est Moyses ad filios Israel, omnia, quæ præceperat illi Dominus, ut diceret eis.* Denique Cap: 4. sic ait Moyses: *Et nunc Israel, audi præcepta, & judicia, quæ ego doceo te*, & post pauca ſubdit: *Scitis quod docuerim vos præcepta, atque justitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus, sic facietis in ea terra, quam poſsesuri estis.* Hinc Apostolus ad Romanos ſcribens Cap: 1. sic ait: *Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis, multum per omnem modum. Primum quidem quia credita ſunt illis eloquia Dei.* & Cap: 9. inquit: *Qui ſunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promiſsa.* Nihil ergo magis ex ſacris litteris perspectum eſse potest, quam ſolis Judæis legem veterem à Deo datam ac institutam fuiſse. Unde ipsi ſoli ad illius observationem tenebantur. Ii enim tantummodo legem ſervare tenentur, quibus illa indicta, & promulgata fuit. Porro lex vetus tota, quanta est, ſolis Judæis indicta, atque promulgata fuit. Ad ejus ergo obser-

va-

vationem ſoli Judæi tenebantur. Quæ tamen in lege veteri, naturæ præcepta continebantur, quemadmodum illa in Decalogo contineri indubitatum est, omnes in universum homines, sive Judæi, sive non Judæi, ſervare debebant, Quia lex naturæ, æque omnes homines obligat, quantum ergo ad ista, quæ lex vetus ex lege naturæ continebat, & explanabat, omnes gentes ad eorum observationem tenebantur, non quia erant de lege veteri, ſed quia erant de lege naturæ. Neque neceſse erat ut illa singulari quadam promulgatione Gentibus indicerentur, quia à natura humana quisque de ipsis admonebatur.

Quamquam vero aliæ Gentes præter Judæos ad obſervationem legis Moysaicæ non tenebantur; ad eam tamen admittebantur. Hinc etiam Deut: Cap: 23. præceptum est Judæis, ne Jdumæos, & Egyptios recuſarent in ſuam recipere communionem. Quia nimirum Gentiles ſecurius ſalutem consequebantur ſub observantiis legis veteris, quam ſub ſola lege naturali, & ideo ad illam admittebantur, & illius participes fiebant.

Quæres 6to. Ergone lex vetus bona ac ſancta erat?

Resp: Lex vetus in ſe bona, ac ſancta fuit. Lex enim vetus à Deo constituta fuit, quod vero à Deo institutum est, nequit non eſse bonum. Et vero ille Deus, qui legem dedit in novo Testamento, idem est, qui legem dedit in veteri, ait enim Paulus ad Roman: Cap: 3tio *Unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, ac præputium per fidem;* & statim ſubdit: *legem ergo destruimus per fidem? absit, ſed legem statuimus,* circumcisio ſcilicet ad veterem legem pertinebat, præputium proprium est novæ legis. Juxta vero Apostolum, unus idemque est Deus, qui & circumcisionem justificat ex fide, & præputium per fidem. Ergo si lex novi testamenti bona, ac ſancta est, bona etiam, ac ſancta fuit lex veteris testamenti. Præterea, bonitas alicujus rei ex fine, ad quem ipsa refertur, potiſsimum innotescit. Porro lex vetus à Deo instituta fuit, ut populus Judæorum recte institueretur, ad Christum disponeretur, ad consequendam felicitatem dirigeretur. Hæc ergo cum sint bona ac ſancta, quæ propter illa constituta est lex vetus, bona ac ſancta ipsa fuit. Id etiam ex Apostolo Paulo multis confirmatur. 1. ad Timoth: Cap: 1. ait: *Scimus quia bona lex est, si quis ea legitime utatur.* Rom: Cap: 7. inquit: *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & justum, & bonum.*

Objicies. Apostolus Paulus Hebr: Cap: 8. dicit, pri-

us Testamentum à culpa non vacaſse. Roman: Cap: 4. ait: *Lex iram operatur*, & Cap: 5. inquit: *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum.* Tandem Cap: 7. hæc ſcribit: *Sine lege mortuum est peccatum, ego autem vivebam sine lege aliquando, ſed cum veniſset mandatum, peccatum revixit.* Denique Ezech: Cap: 20. Dominus quoque loquens de veteri lege ait: *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent.* Omnia ergo hæc manifeste ostendunt, legem veterem non fuiſse bonam.

Resp: Apostolus Paulus non eo ſensu dicit, vetus Testamentum culpa non vacaſse, quasi culpam aliquam in ſe contineret, vel ad culpam induceret, quomodo enim quod est â Deo ordinatum, aut culpam in ſe continere, aut ad culpam inducere poterat, ſed culpa illud non vacaſse affirmat, quia ipsi aliquid deerat, ad perfectum nihil adduxit, ex ſe ſufficiens ad consequendam ſalutem non erat, neque enim iis, quibus data fuit, virtutem ad expianda, ac evitanda peccata conferebat, ſed tantummodo efficiebat, ut peccata cognoscerentur. Quare & Apostolus in loco qui objectus est, sic ait de veteri Testamento: *Si illud prius culpa vacaſset, non utique ſecundi locus inquireretur*, quæ verba explicans S. Chrisostomus Homil: 14. ait: *Hos est, si nihil ipsi defuiſset, si eos effeciſset nulli culpæ affines*, & Cap: 7. ad Rom: inquit Paulus: *Quid dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Iram vero lex vetus operari dicitur, quia iram & vindictam Dei inducebat in eos, qui illam aspernabantur, & prævaricati ſunt. Sic enim habet Apostolus: *Lex iram operatur, ubi enim non est lex, nec prævaricatio.* Quod autem dicit Paulus, legem veterem ſubintraſse, ut abundaret delictum, non legem veterem dicit fuiſse causam, cur multiplicarentur peccata, ſed indicat, quid tandem factum sit cum lex vetus ſubintroierit, ſcilicet propter infirmitatem, ignaviam, perversitatemque hominum, multiplicata ſunt peccata. Ita Chrysostomus Homil: 10. verba explicat Apostoli: *Illud vero* (ut) *hic non causam indicat, ſed eventum. Non enim ideo data est lex, ut abundaret, ſed ut minueret, & tolleret peccatum, ſed contrarium evenit, non ex natura legis, ſed ex accipientium ignavia.* Denique Apostolus dicit, ante legem peccatum mortuum fuiſse, illud autem post legem revixiſse, quia ante legem peccatum non cognoscebatur, ac proinde non ſentiebatur, post

latam

ſtam vero legem cognitum, magis ſentiebatur, quia acrius pungebat. Unde idem Apostolus ibidem agit: *Peccatum non cognovi, nisi per legem, nam concupiscentiam non cognoscebam, nisi lex diceret, non concupisces.*

Quod vero attinet verba Ezechielis Prophetæ. Præcepta veteris legis dicuntur non bona, non quia in se non eſsent bona, sancta, & justa, quia ut ibidem apud Ezechielem habetur, de præceptis ſuis, quæ Judæis tradidit Deus, sic ipse attestatur dicens: *Dedi eis præcepta mea, & judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo, vivet in eis*, atque propter transgreſsionem eorum, Deus Israelem maximis efflixit plagis, levavit manum ſuam ut dispergeret eos in nationibus. Eo, inquit Dominus, *quod judicia mea non fecifsent, & præcepta mea reprobaſsent, & sabbata mea violaſsent*, ſed quia propter scelera Israel istiusmodi præcepta non ipsis erant bona, ideo in ipsis etiam Sacrificiis, ac muneribus, quæ Domino offerebant, polluebantur, propter ſua scilicet scelera, atque iniquitates. Unde ibidem dicit Dominus: *Et pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta ſua, & scient, quia ego Dominus.* Quare prædicit Deus, quia *in ipsis non vivent.* Certe poterant in eis vivere, quia mox dixerat Deus, *quæ faciens homo vivet in eis*, si recto, ac puro corde ea observaſsent, ſed quia bona, male perficiebant, cor eorum non erat rectum coram Domino, pleni malignitate, atque iniquitate, ideo dictum est eis, quia in ipsis non vivent.

Dices: Lex illa non est bona, quæ scelestos viros ſumme commendat, quales erant Abraham, qui cum pellice volutabatur, propriam uxorem ſuam duobus Regibus vendidit, & sororem ſuam eſse mentitus est. Jacob, qui duarum sororum, duarumque ancillarum, simultaneus maritus erat. Lott, qui cum duabus filiabus dormivit. Judam, qui cum Thamar nuru ſua concubuit. David, qui homicida, & adulter fuit. At levia peccata, morte multorum hominum millibus, dicitur Deus castigaſse. Sic Moyses Levitis præcepit 23. millia Israelitarum mactare, propter erectum aureum vitulum, quod Aaronis peccatum erat, & propter unicam Madianite fornicationem 24. millia interrumpta ſunt. Non est ergo talis lex, bona ac sancta.

Resp: Abraham non habuit Agar pellicem, ſed veram uxorem, quam ipsa instante Sara, priore uxore, duxit. Tunc vero polygamia vetita non erat. Falsum vero

ro est, Abrahamum uxorem ſuam in concubitum duobus Regibus vendidiſse, ſed ea ab illo invito seperata fuit, quod & permittere debuit, quia ut inquit S. Augustinus, *timebat, ne se occiso ab alienigenis, atque impiis captiva poſsideretur, certus de Deo ſuo, quod nihil eam turpe ac flagitiosum perpeti sineret*, quod & ita factum est, Angelo ipsam custodiente. Non est vero mentitus Abraham, cum Saram Sororem ſuam dixit, erat enim ipsi consangvinea, jam autem consangvinei fratris & sororis nomine communiter se mutuo appellare solent. Neque enim interrogatus fuerat Abraham, an Sara uxor ipsius eſset, ſed ut ait S. Augustinus libr: 22. contra Faustum Cap: 34. *cum ab eo quæreretur, quid ei eſset illa mulier, indicavit sororem, non negavit uxorem, tacuit aliquid veri, non dixit aliquid falsi.*

Ad factum Jacobi Patriarchæ, sic respondet S. Augustinus libro mox citato Cap: 47 dum ait: *Nullum delictum à S: viro patratum fuiſse, quia si naturam consulas, non lasciviendi, ſed gignendi causa, illis mulieribus, utebatur, si morem, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur, si præceptum, nulla lege prohibebatur.* Cum promiſiſset Deus multiplicandum fore semen Abrahæ sicut stellas cæli, & veluti arenas maris, ex quo licita tunc erat polygamia.

Loth vero, Judam, Davidem, ob pravos, illicitosque amores, nunquam vetus Testamentum laudavit, quin eos expreſse reprobat, & condemnat. David enim cum Uriam Hetheum occidi mandavit, ejusque uxorem Bethsabeam sibi copulavit, malum feciſse in conspectu Domini dicitur. Quod si illi interdum laudantur, id fidei in venturum Meſsiam, pænitentiæ delictorum, aliisque piis operibus, in quibus se exercebant, attribuendum est.

Non levia etiam illa peccata erant, propter quæ aliquot hominum millia occidi mandata ſunt, neque nulla arbitranda ſunt, ſed gravia, gravi autem delicto, præsertim cum patratum sit à populo insignibus à Deo beneficiis cumulato, non quæcunque, ſed maxima debetur pæna. Certe non leve erat scelus totius populi Israel, qui metu adeit Aaron, ut aureum ipsi conflaret vitulum, quem & adorarunt illi, Deumque ſuum confeſsi ſunt. Neque tamen 32. millia occisa fuerunt, ſed ferme tria millia virorum tunc ceciderunt, ut ex Codice hebræo manifestiſsimum est, cui consonat versio 70. Interpretum, Syriaca, Chaldaica, Samaritana, & Arabica. Non etiam unus ex Israelitis cum Madianitide fornicatus est, ſed multus populus;

lus: sic enim libro Numeri Cap: 25. habetur: *Morabatur autem eo tempore Israel in Settim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverant eos ad sacrificia sua, & illi comederunt, & adoraverunt Deos earum, initiatusque est Israel Beelphegor*: propter ista tam maxima crimina, cum iratus eſset Dominus, juste tot millia impiorum occisa ſunt, illi scilicet, qui criminis rei erant.

Quæres 7mo. Cum lex vetus bona ac ſancta fuerit, cur ergo abrogata est?

Resp: Lex vetus; bona quidem, & ſancta fuit, ſed ad tempus à Deo constituta erat, donec ſcilicet veniret plenitudo temporum, quæ ubi venit, ut inquit Apostolus ad Gal: cap: 4. *Misit Deus Filium ſuum*, ut videlicet *in dispensatione plenitudinis temporum, instauraret omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt*. Eph: Cap: 1. Unde ipse Deus per ſuos Prophetas, illam abrogandam fore, longo tempore prius prædixerat, antequam reipsa abrogaretur. Erat quippe lex vetus figura ac umbra futurorum, postquam ergo figuræ impletæ ſunt, transeunte umbra, veritas ipsa apparuit, neceſse erat ut ipsa ceſsaret, & abrogaretur. Præterea lex vetus quamvis bona, ac ſancta, non erat tamen perfecta, atque in multis deficiebat; neque enim ex ſe efficatia habebat remedia ad expienda peccata, unde dicebat Apostolus Hebr: Cap: 10. *Impoſsibile est ſangvine taurorum, & hircorum auferri peccata*: neque ipsa conferebat gratias ad evitanda delicta homini omnino neceſsarias, quare inquit Joannes Apostolus Cap: 1. *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est*. Propterea ſcripsit Apostolus Paulus ad Hebr: Cap: 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem, & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio vero melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum,*

Quæres 8vo. Quæ et qualia erant legis veteris præcepta?

Resp: Veteris legis præcepta triplicis erant generis. *Moralia*, quæ maxime in Decalogo continebantur. *Cæremonialia*, quibus ritus colendi Deum, cæteræque observantiæ præscribebantur, & *Judicialia*, quæ justitiam ſpectabant, Magistratus ordinabant, pænas criminosis constituebant. Omnia vero moralia, cæremonialia, ac judicialia veteris legis præcepta, ſanctiſsima erant, atque finibus ſapientiſsimi institutoris Dei, optime cohærebant. Et quidem 1mo. quod attinet præcepta moralia. Tota siquidem in

veteri

veteri lege contenta moralis, veram & puram ingerit Dei cognitionem, ejusdemque amorem præscribit, & proximi. Dei namque unius nobis præbetur, plurium Deorum adoratio ſevere prohibetur, ipsius augustiſsimum nomen ſumma habendum eſse veneratione demandatur, tum cultus illius interior, qui in amore præcipue consistit, tum exterior, qui ab amore profluit, & ad amorem tendit excitandum, fovendumque, imperatur. Voluiſse etiam Deum ut proximus diligeretur, evidentiſsimum est, quia homicidia, adulteria, furta, quibus charitas læditur, vetantur, imo etiam ad mutuum amorem firmius constabiliendum, alienorum appetitiones damnantur. Certe quæ in morali Decalogi lege veteris Testamenti continentur, ſunt ipsamet naturalis legis præcepta. Sicut ergo hæc ab æterna lege originem ſuam ducunt, ac ſanctiſsima ſunt, talia quoque ſunt, quæ in Decalogo continentur mandata, ac cætera omnia quæ ex iis profluunt, & quorum plenum est integrum vetus Testamentum, sive libri Moysis, sive Prophetarum, sive cæterarum ſacrarum Scripturarum, ut enim præclare ſcribit S. Augustinus quæst: 140. ſuper Exodum: *Omnia cætera, quæ præcepit Deus, ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis conscripta ſunt, pendere intelliguntur, si diligenter quærantur, & bene intelligantur, quomodo hæc ipsa rursum decem præcepta, ex duobus illis, dilectione Dei, & proximi, in quibus tota lex pendet & prophetæ.*

2*do*: Cæremonialia præcepta pariter ſanctiſsima, ac ſapientiſsima fuiſse, manifestiſsimum est, quia populum Israeliticum ab idololatria revocabant, & Christum venturum præfigurando, ad eum disponebant, finibus proinde etiam ſapientissimi institutoris Dei, congruebant. Enimvero populus Hebræorum ad idololatriam proniſsimus, cultu aliquo ſensibili, multiplici, & gravi, ad Deum revocandus erat. Hoc autem præstabant, præcepta cæremonialia, ut enim inquit S. Chrysostomus Comment: in Isaiam: *Ita data ſunt, ut per aſsiduam eorum observantiam, à cultu dæmonum & idolorum abducerentur.* Et hoc clarius adhuc elucescit, inspecta eorundem cæremonialium præceptorum natura. Sacrificia siquidem ſæpe fiebant ex animantibus illis, quæ ab idololatris ut Numina colebantur, deinde non raro insigne aliquod illis præstitum à Deo beneficium commemorabant, qualis erat Agni paschalis immolatio. Alimentorum autem & animalium discrimina, à familiaritate, & conviviis idololatrarum, populum avertebant. Immunditiæ

ditiæ quoque legales edocebant, cum quanta corporis, & animi puritate, Deus esset colendus, & gentilium sacrificia, in quibus admixtæ sæpius erant turpes libidines, nefanda esse, demonstrabant. Ipse externus ritus, & diversarum rerum ingens apparatus, ad majorem supremo Numini conciliandam reverentiam, inserviebant.

Non minus etiam cæremonialia legis præcepta, Christum præfigurabant, ut enim inquit Paulus Apostolus I. Corinth: Cap: 10. *Omnia in figuris contingebant illis*; umbram siquidem & figuram lex vetus habebat futurorum bonorum, quare S. Augustinus in Psal: 117. Conc: 21. dicit, infiguris veteris Testamenti latuisse novum, & S. Thomas Doctor quæst: 102. art: 2. inquit: *finis præceptorum cæremonialium est duplex, ordinabantur enim ad cultum Dei pro tempore illo, & ad figurandum Christum, sicut etiam verba Prophetarum sic respiciebant tempus præsens, quod etiam in figura futuri dicebantur.*

Falsissimum itaque est, quod effutiunt Deistæ, cæremoniales veteris Testamenti leges, ex nulla ratione datas fuisse, & Divina Majestate prorsus indignas. Etenim Deum omnia in sapientia fecisse, jure affirmat Regius Propheta, illasque finibus sapientissimi institutoris perfecte respondere, allata modo ostendunt, quod si aliquæ essent, quarum congruam reddere rationem non possemus, nostra culpanda esset ignorantia, non vero temere affirmandum, sine ulla ratione, & absque consilio latas esse.

3tio: Denique lex judicialis sanctissima, prudentissima, atque justissima erat, quia populum Judæorum ad invicem juste, ac sapienter ordinabat, veramque Dei religionem conservabat. In qualibet siquidem bene ordinata Republica, debet esse ordo multiplex, primus imperantium, ac subditorum: alter, quem inter se privati homines habent, tertius extraneos, postremus domesticam familiam respicit. Porro iis omnibus lex judicialis, suis sapientissimis institutis copiose providit. Et certe: juxta legem Moysis, subditi omnem venerationem Imperantibus debebant impendere, exterminium siquidem totius populi, comminatus est Deus Israelitis, quod contra Moysen, & Aaron murmuraverint. Magistratus è contra, nullo habito ad quemlibet etiam potentiorem respectu, summa æquitate populum judicare debebant, jussi quoque erant à nullo munera recipere. Quin etiam lex Moysis futuris Regum temporibus sapienter providerat, constituens, ut Rex è numero fratrum suorum eligeretur, vetabatur equos aut uxores

multiplicare, se supra alios efferre, alios superbia conculcare. Præcepta etiam, quæ concives respiciebant, ad tranquillitatem, atque mutuum amorem fovendum dirigebantur, deposita sancte erant custodienda, operariis merces eadem die exsolvenda, omnium, ac singulorum consulebatur incolumitati, multa sancita erant in subsidium pauperum, septimo quoque anno servi Judæi libertate donabantur, recurrente Jubilæi anno, possesiones ad primos Dominos redibant. Insuper quod pertinet ad extraneos, etsi habitatores terræ Chanaam, propter iniquitates & scelera, quibus justam Dei iram promeriti fuerunt, erant delendi, attamen ex legis præscripto, pax primum hostibus erat offerenda, quam si receperint, salvandi erant. Cuilibet peregrino, & advenæ, humanitatis officia erant exhibenda. Tandem domesticam societatem sancte custodiendam esse præcipitur, pænæ gravissimæ in filios sancitæ sunt, qui debitam parentibus non præstabant venerationem, á servis subjectio omnis erat Dominis exhibenda, plura non minus sunt prudentissima, ac provida præcepta, quæ conjugalem statum spectant. Sic ergo lex judicialis populum Judæorum ad invicem juste, ac sapienter ordinabat.

Sed etiam eadem lex judicialis, ipsiusque præcepta, ad conservandam veri Dei Religionem plurimum inserviebant. Enimvero mortis pæna lata in eos erat, qui ad idolorum cultum se converterent, statutis temporibus lex legenda erat, ne oblivione in mentibus deleretur, atque Regi mandatum erat, ut omnibus diebus vitæ suæ, eam præ occulis habere, ac sancte custodire studeret. Ergo veteris legis præcepta moralia, cæremonialia, atque judicialia, sanctissima erant, & finibus sapientissimi institutoris, perfecte respondebant.

Objicies: Lex illa, quæ ex hominibus fieri præcipit sacrificia, non solum sapienter non est instituta, sed humanæ mentis est delirium. Porro lex vetus, humana fieri præcipit sacrificia. Levit Cap: 27. ver 28. sic habetur: *Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit, quidquid semel consecratum fuerit, sanctum sanctorum erit Dominó*, & infra ver: 29. *omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.* Et sic reipsa triginta duæ filiæ Madianitarum ex imperio Moysis fuerunt immolatæ, ut habemus scriptum libro Numer: Cap: 31. Agag quoque Rex á Samuele immolatus est. Jam vero paganæ Religionis impietas ex hoc vel maxime dignoscitur,

scitur, quod humana usurpaverit sacrificia, talis ergo erit & lex vetus, ac ipsius Religio.

Resp: In capite Levitici 27. non de una eademque re est sermo. Initio capitis de voto agitur, & res tali voto oblata, poterat pecunia redimi, versu vero 28. sermo est de peculiari quadam rerum consecratione, quas nec vendere, nec redimere poterant. Hoc modo consecrari poterant homines, animalia, agri, domus. Animalia erant immolanda, agri, domus, & similia, in beneficium tabernaculi, & Sacerdotum cedebant, homines vero ad tabernaculi servitium perpetuo applicabantur. Sic Samuel à matre consecratus Domino, non in Sacrificium oblatus, sed Divino cultui addictus fuit. Jam autem ver: 29. non de Sacrificio aliquo Scriptura loquitur, sed de anathemate in pænam peccati lato, cujus exemplum habemus: dum Josue Cap: 6. urbi Jericho anathema dicens, ait: *sitque civitas ista anathema*, & Deut: Cap: 13. anathema iis est comminatum, qui quempiam ad idololatriam pellicerent, unde etiam versio Arabica istiusmodi versum 29. sic interpretatur, *& omnis perditus, qui meretur interire ex hominibus, ne redimatur, sed occisione occidatur*, non ergo de sacrificio, sed de morte in pænam peccati lata, sermo hic habetur. Quare mirum est, quod Deistæ, veteris legis osores, imperitis fucum facere volentes, subobscurum Scripturæ textum obtrudunt, in alienum sensum, eum detorquentes, cum nihil clarius sit, quam veterem legem â sacrificio humani sangvinis, quam maxime abhorrere. Deuteronomii Cap: 12. sic legitur: *Quando disperderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaveris in terra eorum, cave ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subversæ, & requiras cæremonias earum, dicens, sicut coluerunt gentes istæ Deos suos, ita & ego colam, non facies similiter Domino Deo tuo, omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt, Diis suis offerentes filios, & filias suas, & comburentes igni.* Levitici etiam Cap: 20. pæna mortis statuitur iis, qui dederint de semine suo idolo Moloch in sacrificium, Jeremiæ quoque Cap: 19. maximæ Judæis prædicuntur calamitates, quia excelsa ædificaverunt ad offerendos filios suos in holocaustum Baalim, tum ibidem additur, *quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Necdum ergo sacrificia humana in veteri lege Deus non præcepit, sed illa severe prohibuit.

Gg 2 Quod

Quod attinet 32. puellas Madianitarum, illæ jussu Moysis datæ sunt Eleasaro summo Sacerdoti, ad tabernaculi servitium, ideoque dicitur, *cesserunt in partem Domini triginta duæ animæ*, non autem sunt immolatæ. Nam eodem in capite dicitur 62. asinas, cum 675. ovibus, bobusque 72. in partem Domini cessisse, Asini autem nunquam immolati fuerunt.

Tandem Agag Regem Amalecitarum á Samuele fuisse immolatum, somnium delirantis est, hoc unum ex sacris litteris edocemur, universum Amalecitarum populum, Deo jubente, ac eorum scelera vindicante pænali anathemati fuisse addictum, cum vero Saul regi Agag pepercisset, illum Samuel occidit, non in sacrificium obtulit.

ARTICULUS 2dus

De nova Divina lege.

Quæres 1mo: Quid nomine istius novæ Divinæ legis intelligitur?

Resp: Intelligitur lex Evangelii, quam Christus instituit, ore suo edocuit, ad illamque annuntiandam Apostolos suos, in universum terrarum orbem misit, dicens eis Math: Cap: 28. *Euntes docete omnes gentes. Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis*: per hanc autem suam legem Christus, & veterem adimplevit, atque perfecit, & novam longe meliorem instituit. Unde inquit Apostolus Roman: Cap: 8. *Quod impossibile erat legi, in qua infirmabatur per carnem. Deus suum Filium mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.*

Quæres 2do: Utrum Christus sit verus Legislator?

Resp: Lutheri, & Calvini Sectatores, qui juris naturæ præcepta interpretari aggressi sunt, in pessimos prolapsi errores, non solum juris naturalis præcepta loco consilii habenda esse affirmarunt, sed etiam legem Evangelicam, veram veræ legis rationem habere negant, ipsumque Christum non esse Legislatorem, perfricta fronte affirmant. Sed illorum error fit manifestus, tota siquidem veteris, & novi Testamenti Scriptura, Christum verum legislatorem esse docet, & evincit. In veteri siquidem Testamento apertissime prædictum fuit, Christum Regem futurum, ac una cum Regno, simul etiam ipsius legislativa pote-

potestas prænuntiata est. Christi namque regnum, ſpiritu prophetico prævidit David. qui Psalmo 2. loquens de Christo sic ait: *Quare fremuerunt Gentes, astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus Ego constitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, prædicans præceptum ejus*: ubi apertiſsime Christum vocat Regem, ſuper Sion montem ſanctum constitutum, cumque mox dicit eſse Filium, quem Dominus genuerat, & cui datæ ſunt Gentes in hæreditatem, ut ipsas regeret in virga ferrea. Michæas quoque prædicens Christum in Bethleem nasciturum, Dominatorem eum vocat in Israel: *Ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel*, vel ut habetur Math: Cap: 2. *Ex te exiet dux, qui regat populum Israel.* Nulla vero Dominatio, nullum regimen, sine legislativa potestate, consistere potest. Si ergo Christus futurus erat Dominator in Israel. Dux qui regeret populum Israel, certe etiam Legislator eſse debuit. Unde Isaias Cap: 33. de Christo futura prædicens, illum judicem, regem, ac legislatorem appellat: *Dominus judex noster. Dominus legifer noster. Dominus rex noster, ipse ſalvabit nos.* Præterea Isaias hæc de Christo prænuntiavit Cap: 42. *Iudicium Gentibus proferet. Legem ejus Jusulæ expectabunt*, & Cap: 51. ipse Messias Christus sic populum ſuum alloquitur: *Attendite ad me popule meus, & tribus mea audite me, quia lex â me exiet, & judicium meum in lucem populorum requiescet.* Itaque juxta ejusdem Isaiæ prophetiam Cap: 2. & Michææ vaticinium Cap: 4. *De Sion exhibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Quia promulgatio legis Evangelicæ, quam Christus instituit, ab urbe Jerosolyma cæpit, & per totum mundum propagata fuit.

Sed ex novo etiam Testamento, clare evincitur; Christum Legislatorem fuiſse. Paulus siquidem Apostolus Hebr: Cap: 2. Christum cum Moyse comparat, uti Legislatorem cum Legislatore. Si ergo Moyses Legislator, re vera & Christus Legislator fuit, unde de eo prædixerunt Moyses Deut: Cap: 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me ſuscitabit tibi Dominus, ipsum audies.* Hunc vero Prophetam non alium eſse, quam ipsum Christum & Petrus Actorum Cap: 3. & Stephanus Cap: 7. aperte testantur. Verum ipse Christus ſe ſuam legem hominibus imposuiſse, mandata tradidiſse affirmat, dum dicit: *jugum meum ſuave est & onus meum leve*, quod non nisi legi, quæ obligat, & obligando gravat inservire possunt, & Joannis

annis Cap: 14. ait: *Si diligitis me, mandata mea servate. Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Sed ex solo sermone Domini Mathæi Cap: 5. descripto, quem ille in monte habuit, constat apertissime: præcepta sua ipsum constituisse. Tunc enim ut Math: Cap: 7. habemus: *Erat docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi.* Scribæ scilicet & Pharisæi legem nonnisi interpretabantur, & Christus ut verus Legislator, potestatem habens, legem hominibus imponebat, antiqua revocans, emendans corrupta, nova indicens. Verus ergo Christus est Legislator.

Obijcies: Christus ipse affirmavit, regnum suum non esse de hoc mundo. Non condemnavit mulierem adulteram, quam Judæi judicio ejus submiserant.

Resp: Regnum Christi non erat de hoc mundo, quia non erat terrenum, neque mundano more compactum; nam ut ipse Pilato dicebat Joan: Cap: 18. *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis*, sed tamen vere Christi regnum erat & est in Mundo spirituale. Quia ut ipse dixerat Math. Cap: 28. data est ei omnis potestas in cælo, & in terra, ideoque suos Apostolos misit, ut omnes Gentes docerent, mandata legemque ipsius, omnibus annuntiarent, atque servandam indicerent. Mulier in adulterio depræhensa, ex præscripto legis veteris, lapidanda erat. Sed quia Christus utpote verus Deus, Patri consubstantialis Filius, ipse etiam hujus legis auctor, supra ipsam quoque legem potestatem habuit, ideo à legis rigore eam absolvit, neque illam condemnavit, sed liberam dimisit. Verum ex hoc etiam evincitur, Christum Legislatorem fuisse. Nam ea propria authoritate remittere, quæ contra leges perpetrata sunt, Legislatoris est. Cum ergo Christus mulierem adulteram non damnaverit, sed à pœna immunem sua auctoritate in pace abire jusserit, Legislatorem sese aperte manifestavit: *Nec ego te condemnabo. Vade & jam amplius noli peccare.* Joan: Cap: 8. quare ipse etiam de se dixerat: *Dominus est filius hominis etiam sabbati.* Marci Cap. 2.

Quæres 3tio: Utrum lex Evangelica habeat rationem veræ legis?

Resp: Lex Evangelica est vera lex, & stricte obligat. Enimvero omnes consentiunt, ad veram legem requiri, ut à legitimo Legislatore constituatur, ut promulgata sit, tandem vera lex est, si sanctionem sibi adjunctam

etam habeat, tunc enim legislativæ potestati, potestas etiam coactiva accedit. Porro hæc omnia habet lex Evangelica. Neque enim ulla major fingi, aut excogitari potest potestas illa, qua Christus præditus erat, & qua legem constituerat Evangelicam, quia in cælo, & in universa extendebatur terra, & non solum ipse, quemadmodum Mathæus dicit Cap: 9. *Circuibat omnes Civitates & Castella docens in Synagogis, & prædicans Evangelium regni*, sed etiam in universum mundum misit Discipulos, ut suum prædicarent Evangelium, apposita statim validissima sanctione, scilicet æternæ damnationis comminatione, atque salutis sempiternæ appromissione. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Marci Cap: 16. Et vero, ut præclare inquit S. Augustinus: *Omnium Christianorum una Respublica est*, quæ à Jesu Christo habuit, ut tali nomine vocaretur. Hæc autem Christianorum Respublica, atque Judæorum Republica Ethnicorum, Turcarum, atque Judæorum eadem non est, sed ab iis omnibus, propter multa sibi propria, & singularia, tum in tota fidei suæ ratione, tum in modo agendi distingvitur. Distingvi autem ab illis non posset, si suas proprias leges non haberet, quibus in utraque re, scilicet: in fide, & moribus regeretur. Semel vero admisso, Evangelium non habere rationem veræ legis, nihil proprium ac singulare Christianæ Reipublicæ reliquum amplius erit, quo & in tota suæ fidei ratione, & in morum observatione regatur. Ac proinde: si Evangelium veræ legis rationem non habet, Christiana Respublica è medio omnino tollitur.

Dices: Evangelium Christi nihil in se continet nisi consilia, nulla habet rigorosa præcepta.

Resp: Turpissimum est hoc commentum, Juristarum Lutheranorum, cujus falsitas, errorque, vel ex uno Christi Sermone, in monte habito, quem S. Mathæus Cap: 5. 6. & 7. descripsit, manifestissime ostenditur. Toties siquidem ibi repetit Christus: *Ego dico vobis. Amen dico vobis*, quæ si rationem præcepti non continent, jam nullum datur rigorosum præceptum. Maxime cum istiusmodi præceptis suis, si violarentur, gravissimas adjunxerit pænas. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, & Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum. Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui dixerit fratri suo raca, reus erit consilio. Qui autem dixerit fatue, reus*

erit

erit gehénæ ignis. Si occulus tuus scandalisat te, erue eum, & proiice abs te, expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam, & generatim eos á regno cælorum excludit, qui vel minimum ejus solverint præceptum: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum* Merito itaque Concil: Trident: Sess: 6. Can: 19. decreverat: *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, anathema sit.*

Quæres 4to: Qui sunt subiecti legi Evangelicæ?

Resp: Legi Evangelicæ omnes omnino subjecti sunt homines, ac proinde ad eam observadam non solum Christiani omnes, sed & Ethnici, Turcæ, Indæi, stricte obligantur. Lex siquidem Evangelica, lex divina est, Deum auctorem habet, Christum nimirum Jesum, quem ut inquit Apostolus Ephes: Cap: 1. Pater *suscitans â mortuis, & constituens ad dexteram suam. Supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus.* Quare Christus mittens Apostolos suos in universum orbem, jussit omni creaturæ Evangelium suum prædicare, omnes Gentes docere, omnes baptisare, omnibus mandata sua ad observandum inculcare: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptisantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Math: Cap: 28.

Obijcies: Nihil frequentius in novo Testamento, quam nos sub lege non esse. Sic Paulus ad Roman: Cap. 6. ait: *Non estis sub lege, sed sub gratia*: ad Galatas Cap: 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Non ergo Christiani legi subjecti sunt.

Resp. Apostolus dicit, Christi fideles non esse sub lege veteri, in eo namque totus est, ut illorum reprimeret errorem, qui circumcisionem, aliaque Moysaicæ legis opera, ad salutem consequendam, existimabant esse necessaria. Sed sub lege Christi nos esse disertissime docet Paulus, de se namque sermonem faciens I. Corinth: Cap: 9. sic inquit: *iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, ut eos qui sub lege erant lucrifacerem, iis qui sine lege erant, tamquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem*

Chri-

Christi, ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Cum itaque Apostolus dicit, nos non eſse ſub lege, ſed ſub gratia, innuere vult Christi legem, longe meliorem eſse, quam veterem, illa enim oneribus gravibus præmebat, quod faciendum eſset, ostendebat, gratiam vero ad illa implenda, per se, non conferebat, lex vero ista, quam Christus tulit, uberrima Spiritus Sancti dona, ad illam explendam tribuit. Itaque lex nova cum Spiritus Sancti gratiam, ut eam observare valeamus, in cordibus nostris diffundat, facit etiam, ut nullum fere onus, hujus svaviſsimæ legis sentiamus, ac proinde dum Spiritu ducimur, atque excitamur, quasi non simus ſub lege, cujus jugum cum svave sit ac leve, ab illo minime gravamur. Cæterum quisquis vel extremis labiis, Epistolas Pauli degustaverit, non ignorat; Apostolum frequentiſsime præcepta Christi observanda, fidelibus inculcare. Non ergo à legis novæ mandatis, liberi sumus, ſed à lege veteri, quæ jugum grave erat, á quo per Christi mortem liberati sumus.

Quæres 5to: Quæ & qualia ſunt præcepta legis Evangelicæ?

Resp: Legis evangelicæ præcepta, alia ſunt moralia, alia cæremonialia, alia denique præcepta fidei. Lex itaque Evangelica, in præceptis moralibus, cæremonialibus, fideique, prestantiſsima est, sapientiſsima, ac Dei institutionem undequaque spirat. Et quidem *1mo:* præcepta moralia ſub triplici respectu quem habent, ad Deum, proximum, atque ad nosmetipsos, considerari debent. Lex ergo Evangelica mandatum omnium maximum, diligendi nempe Deum omnibus viribus, totoque conatu, primo proponit. Math: Cap: 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Sine hoc amore, ut docet Apostolus 1. Corinth: Cap: 13. nihil nobis prodest, etiamsi vel opes nostras erogemus in pauperes, vel ipsum corpus flammis tradamus comburendum. Deum ergo diligere debemus, tum quia ipse creavit nos, & conservat, tum præsertim: quia cum illi inimici eſsemus, ipse prior dilexit nos. Ex hoc amore in Deum consequitur, ineſse nobis obligationem credendi ea, quæ ipse nobis voluit revelare, quia sine fide, impoſsibile est placere Deo: tum spem nostram in eo collocandi. Præcipitur etiam nobis, in omnibus operibus nostris, solam Dei gloriam habendam eſse, regnumque Dei primum eſse inquirendum, ac justitiam ipsius sectandam. Timor quoque Dei proponitur, ac debitum laudandi Deum, venerandi,

randi, sanctificandi augustifsimum ipsius nomen, inculcatur. Utque ad cælestem beatitudinem nobis pateat aditus, voluntatem Dei diligenter exequi oportet. Tandem omne ponendum efse studium, ut quantum infirmitas nostra patitur, curemus imitari perfectionem, quæ in cælesti Patre nostro, excellentifsimo modo reperitur. Sane præcepta hæc sapientifsima efse, ac divinam originem spirare, nullus, nisi stupidus sit, poterit inficiari.

Quodsi, ad ea, quæ erga proximum nobis præcipiuntur, mentem convertamus, fublimia certe efse, & summo Numine digna, illico advertemus, bonoque communi congruentifsima. Siquidem lex nova, ut amorem erga Deum urget, ita proximi præcipit dilectionem, ait enim Christus Joan: Cap: 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* Atque hoc amore omnia contra proximum resecantur peccata, totaque lex impletur, docente Apostolo ad Rom: Cap: 13. *Qui diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum, sicut te ipsum, dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergo legis dilectio.* Neque hæc charitas unum populum, fed universum humanum genus complectitur, atque illos etiam qui nos odio habent, & persequuntur, *nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantum coram Deo, fed etiam coram omnibus hominibus* Rom: 12. Amor iste ignorat contentionem, inanemque gloriam, non quærit fua, fed quæ funt aliorum, candorem unice spirat, ac veritatem. Ira, qua in alium quis commotus fuerit, eadem, qua cæpit die, debet finem habere. Judicium temere conceptum, à Christianorum cordibus est prorsus arcendum. Cuicunque mandatur, ut erga alios, mitis, misericors, pacificus sit. Et tandem ut obsequium, honorem, tributum, cui hæc competunt, tribuantur. Eandem divinam originem fpirant, quæ homini erga se ipsum, lex Evangelica præscribit officia. Edocetur siquidem quilibet, miserrimi status, in quo per Adæ peccatum constituitur, ac quanta fuerit divina misericordia, qua per Christum unigenitum Dei filium, falvati fumus, ostenditur. Necefsarium proinde efse, ut omnem nostram fiduciam in Christo collocemus, ipsique adhæreamus, quia: *Non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est fub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Actorum Cap: 4. adeoque non

non meritis nostris, ſed per gratiam Domini nostri Jesu Christi, nostram debemus ſperare salutem. Hanc ut obtineamus, oratio corde humili, fide viva, ac ſpe firma, est neceſsaria. Tum etiam non debent Christiani, secundum carnem vivere, effugere mundi illecebras, horrere, atque odio prosequi peccatum, cordis inſuper, ac corporis munditiam custodire. Tandem in bonis operibus perseverantia præſcribitur. Cum itaque moralia præcepta, quæ nobis lex Evangelica præscribit, genuinas de Deo notiones ingerat, officia erga eum debita clariſsime, ac longe excellentius, quam ratio humana attingere poſsit, proponat, hominis nobilitatem, & infirmitatem exponat, primi Parentis peccatum detegat, illius effectus, ac modum ſublimem, quo liberati ſumus, doceat, mutua hominum officia, ac erga ſeipsum modo adeo præstanti, ac congruentiſsimo exponat, ad cælestem nos erudiat vitam, quæ cærte humanæ rationi vix nota, alia prorsus impervia fuerunt, firmiter tenendum est, illum ab humana mente originem non habere, adeoque Divinam institutionem undequaque ſpirare.

2do: à moralibus præceptis ad cæremonialia, quæ novæ legis Sacramenta, cultumque externum complectuntur, descendendo, eodem Divino ſpiritu moderante, illa lata esse, manifestiſsime apparet. Et ſane mandavit Christus, ut quotquot Religioni suæ nomen dare vellent, sacro baptismatis lavacro initiarentur, ut publica hac fidei profeſsione ostenderent, se velle universa Christi præcepta servare, illis autem ipse, uberrima Spiritus sancti dona, appromisit, & elargitur. Insuper voluit, ut ad publicos Religionis actus, statis temporibus, in unum convenirent, atque in Psalmis, Hymnis, canticisque ſpiritualibus Deo laudes persolverent, ut docet Apostolus Paulus in suis Epistolis. Præterea constituit, ut prætioso corpore, & sangvine ſuo refecti, omni gratiarum genere cumularentur. Ut in fide tuenda, fortes ac impavidi eſsemus, Confirmationis Sacramento Spiritus sancti dona alligavit. Nostræ vero consulens infirmitati, peccata post baptismum cummiſsa dimittendi potestatem Ecclesiæ contulit. Iis demum; qui constituti ſunt in sacris Ordinibus, vel qui junguntur Matrimonio, vel in extremo vitæ momento decertant, ampliſsima gratiarum auxilia, per determinata Sacramenta præparavit.

3tio: Denique fidei præcepta & ſapientiſsima sunt, Divinamque ostendunt originem. Ipsa siquidem hominem

ſuæ

ſuæ tenuis capacitatis admonent, cuncta ſcire cupientis superbiam deprimunt, atque mentem nostram, ut par est, magis, magisque Deo ſubdunt, hæc augent nostrum meritum, atque ad considerandam ſummam majestatem, ac infinitam Dei ſapientiam, nos movent. Sapientiſsima ergo ſunt, atque Divinam Christianæ Religionis originem demonstrant. Enimvero hæc fidei, ac moralis præcepta ab humana mente proficisci non potuerunt. Siquidem si ab hominibus profecta ſunt, vel ab aliquo Philosopho, vel ab aliquo emotæ mentis viro. Sed à neutro proficisci potuerunt. Non à Philosopho, quod & ipsi fatentur increduli, cum ſcribunt fidei præcepta contra rationem eſse. Neque etiam ab aliquo emotæ mentis viro, excogitari potuerant. Nullus quippe fanaticus, tam ſublime, tam connexum, moralis disciplinæ ſystema efformare potuiſset, neque veram hominis originem indigitare, neque causam depravationis, ac miseriarum, neque sublimem reparationis modum edocere, neque timoris, ſpei, motiva adeo ſplendida constituere. Verum non ſolum emotæ mentis vir, ſed neque acutissimus quisquam Philosophuſ hæc attingere potuit, quoniam omnem humanum ſuperant captum, atque in Divinæ ſcientiæ, ſapientiæque thesauris hæc recondita ſunt. Divinam ergo habent originem.

Objicies 1mo: Nulla est virtus moralis, quæ à Philosophis Paganis tradita, evoluta, ac explanata non fuerit, nullumque in Evangelio occurrit morale præceptum, quod ab iisdem Philosophis jam pridem datum non fuerit. Ergo moralia Christi præcepta, Evangelii ſapientiam, ac Divinitatem non probant. Certe Eſsæni, qui velut Hebræorum Philosophi habebantur, à Græcis erant edocti hanc moralem, illamque longe ante Christum tradiderunt. 2do: præceptum parcendi inimicis contrarium est communi sensui, ipsique naturali legi, & qui hoc præceptum ſervaret, non posset se ab inimicis defendere, quoniam juxta Evangelium, neque resistere malo licitum est, instantibus ergo hostibus concideret Respublica.

Resp: ad 1mum: Quæ gentiles Philosophi de re morali conscripserunt, nullo modo cum Christi doctrina comparari poſsunt. Horum siquidem plurimi nullum discrimen inter virtutem, & vitium apponentes, omnem moralem disciplinam funditus everterunt. Verum est; aliquos non pauca recte circa actiones morales ſcripsiſse, à perfectione tamen moralis Evangelicæ immensum distant. Neque enim quæ Socrates suis Auditoribus tradidit, nec

quæ

quæ Plato, aut Stoici docuerunt, gravibus erroribus carent. Præterea nullus est Philosophorum, qui omnia officia, quæ Deo, nobis, ac proximo debemus, clare exposuerit. Nullus maximum illud præceptum charitatis erga Deum, ut decet explanavit. Nullus unquam affirmavit, unum Deum, perfectiſsimum ſpiritum, toto corde, tota anima amandum eſse, totis viribus diligendum, colendum, & in ipsum actiones omnes nostras, tamquam ad suum finem referendas eſse. Nullus unqnam recognovit, se nihil esse, sine Dei adjuturio, omneque bonum à Patre luminum descendere. Nullus ut virtutem habuit, humiles ad Deum preces fundere, imo superbia tumidi ad comparandam virtutem, nullo se indigere Divino adjutorio effutierant. Ac proinde ex omnium etiam Philosophorum scriptis, qui Christum præceſserant, perfectum moralis doctrinæ ſystema, nunquam deduci, aut extundi potest.

Eſsæni autem equidem moralem disciplinam, cæteris Judæis sanctiorem coluerunt, illa tamen nullo modo cum Christi doctrina comparari potest. Illi enim Pythagoryca imbuti Philosophia, ab hominum consortio semoti viventes, cæteros velut pollutos aspernabantur, animarum admittebant præexistentiam, aniles in Sabbati ſanctificatione habebant superstitiones, atque animabus justis corpore solutis, felicitatem quamdam ultra Oceanum tribuebant, ei non absimilem, quam in Elyseis campis Gentiles somniarunt. At quæ statuit Christus, sublimiora sunt, ejus præcepta non paucos homines, sed universum humanum genus complectuntur.

Ad 2dum: Præceptum à Christo latum de condonandis injuriis, parcendis inimicis, nequit eſse aut communi sensui contrarium, aut legi naturali adversum, quando ex celebrioribus Ethnicis Philosophis non pauci, solo rationis lumine illustrati, affirmaverunt, eos non eſse audiendos, *qui graviter irascendum inimicis putant, idque magnanimi, ac fortis viri eſse censent, nihil enim laudabilius, magno, & præclaro viro dignius, placabilitate, atque clementia,* ait Cicero libro 1. de Officiis, qui etiam in oratione pro Marcello, Cæsarem ob parcedi virtutem, cohibitamque iracundiam, ad sidera extollit, ac non hominibus, ſed Diis simillimum eſse judicat. Justum autem & ſecundum rectas leges defensionis modum, Evangelium non prohibet, neque vetitum est Christiano, illatæ sibi injuriæ compensationem à legitima potestate exquirere. Contra publicos etiam Reipublicæ hostes, ad illius defensionem bellum

lum gerere, ipsisque vi, & armis resistere, Evangelium non prohibet, resistere ergo malo, animo vindictæ, odii, & aversionis, hoc vetitum est.

Quæres 6to: Quando desiit lex vetus, & cœpit lex nova?

Resp: Lex vetus desiit in Christi morte, & cæpit lex nova. Tunc enim lex vetus cessavit, & nova cæpit, quando per Christum vetus Testamentum fuit abolitum, & novum sangvine ipsius confirmatum, ut enim docet Apostolus Hebr: Cap: 9. *ubi Testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Porro morte sua Christus, ut inquit idem Apostolus Cap: 8. veteravit, seu abolevit prius, vetus nimirum Testamentum, & instituit novum.

Verum & post Passionem, ac mortem Christi, aliquo temporis intervallo, lex vetus inculpate servabatur, unde etiam ipsi Apostoli non ficte, sed sincere legalia observabant, quod manifestissime constat ex Actis Apostolorum, maxime ex Cap: 26. ubi Jacobus & Seniores dixerunt Paulo: *Hoc fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se, his assumptis sanctifica te cum illis, & scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. Tunc Paulus assumptis viris, postera die purificatus, cum illis intravit in Templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offeretur pro unoquoque eorum oblatio.* Et quamquam legalia Moysis omnem suam utilitatem in morte Christi amiserint, conveniens tamen erat, quemadmodum docet S. Augustinus, ut aliquo tempore etiam post Christi Passionem observarentur quoadusque scilicet lex Evangelii plenius divulgaretur, & copiosius innotesceret, Legalia siquidem Moysis, à Deo instituta erant, paulatim ergo, & cum reverentia, atque quodammodo insensibiliter intermitti debebant, ne repentina illorum abrogatione, atque veluti illius contemptu, Judæi offensi, à suscipienda Christi fide averterentur. Dum tamen legalia Moysis, etiam post Christi passionem observabantur, id non fiebat, necessitate salutis, quia sine illis salus obtineri poterat, ut in Concilio Jerosolymitano dixerat Petrus Actorum Cap: 15. *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi, credimus salvari*, sed ex ratione æconomiæ, ut scilicet sine offensione Judæorum, Synogoga cum honore sepeliretur. Unde dicebat Apostolus. I. Corinth: Cap: 9. *Factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem*, & Actor: Cap: 16. Timotheum, qui erat patre Gentili & matre

tre Judæa natus, & quem secum proficisci voluit, *afsumens circumcidit, propter Judæos qui erant in illis locis.*

Quæres 7mo: Utrum Gentiles, qui ad Christum convertebantur, ad legalia Moysis observanda obligati erant?

Resp: Gentiles qui ad Christi fidem convertebantur, neque etiam in ipso Christianæ Religionis exordio tenebantur ad veteris legis observationem. Et id duorum Apostolorum Petri & Jacobi sententia in Concilio Jerosolymitano, definitum est, Actorum Cap: 15. Cum enim surrexerunt aliqui qui dicebant, eos qui ex Gentilibus in Christum crediderunt, circumcidi oportere, servare quoque legem Moysis, & nisi circumcidantur non posse ipsos salvari. Convenerunt Apostoli & Seniores, videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio esset, Petrus suam protulit sententiam dicens: *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus. Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi:* & Jacobus adductis multis Scripturarum testimoniis concluderat: *Ego judico non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum*, & hoc quidem cæteris omnibus placuit Apostolis, Senioribus, cum omni Ecclesia, unde totius Concilii subsecutum est decretum: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necefsaria, ut obstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sangvine, & suffocato, & fornicatione.* Quod itaque Apostoli ex Gentibus ad Christum conversis præceperant, ut abstinerent à sangvine & suffocato, immolatisque simulacrorum, ea non in observationem veteris legis præceperant, sed tempori accomodata fuit hæc Apostolorum constitutio, atque in bonum unionis credentium, sapientifsime ordinata. Cum enim apud Judæos, esus sangvinis, atque suffocati in abominatione esset, ut Judæi cum Gentilibus, qui Religionem Christianam amplectebantur, facilius consociarentur, hique cum ipsis pacificam consvetudinem haberent, Gentibus quæ Christianæ Religionis nomen dederunt, ut à sangvine, & suffocato abstinerent, præcipiendum esse putarunt. Quia etiam Judæi facile suspicari poterant, Gentiles non omnino idololatriam deseruisse; si ea quoque eos comedere viderent, quæ Idolis immolata erant, & quæ ab Idololatris cum Religione manducabantur, ideo ut & ab his quoque abstinerent, Gentilibus Apostoli mandarunt. Fornicatio vero Gentilibus singulariter prohibita fuit, non iterum ob legem Moysis,

sed

ſed quia illam peccatum non esse Gentiles falso arbitrabantur, & ipsi naturæ legi adversari non animadvertebant.

Quæres 8vo: Quando ergo lex vetus absolute desierat, & lex nova stricte omnes obligare ceperat?

Resp: Postquam lex nova ſufficienter hominibus promulgata fuit, tunc & illa stricte obligare omnes cepit. & lex vetus absolute ceſsavit, adeo ut non jam inutile solum eſset illam observare, ſed & noxium, atque perniciosum. Certe lex omnis ut obliget, ſufficienter promulgari debet. Ergo & lex nova tunc cæpit obligare quando ſufficienter promulgata fuit. Et hæc promulgatio novæ legis, primo facta est Jerosolymis à Petro Apostolo in die Pentecostes, cum præsentibus Judæis ex omni natione quæ ſub cælo est, fidem in Christum, & Baptismi neceſsitatem publice declaravit, Non tamen simul pro toto orbe obligare ipsa cæpit, ſed ſucceſsive, prout ejus promulgatio ad varias nationes propagabatur. Sufficienter autem promulgata jam fuit orbi terrarum lex Evangelica, atque absolute desiit lex vetus, quando quadragesimo post Christi mortem ânno, eversum est templum Hierosolymitanum, & populus Judæorum in universas nationes diſpersus est. Everso namque Templo, jam Sacrificia, ac victimæ cessarunt, ceſsavit Sacerdotium, diſpersis per totum Orbem Judæis, extincta fuit Synagoga, Evangelium Christi, quemadmodum attestatur Paulus, univerſum pervasit orbem; ſonus Apostolorum, Evangelium prædicantium, in omnem exivit terram. Tunc ergo & lex vetus absolute ceſsavit, & lex Evangelii omnes stricte obligare cepit.

Quæres 9no: Quod est discrimen inter veterem, & novam legem?

Resp: Tria ſunt præcipua discrimina inter veterem, & novam legem, quia scilicet, lex nova præ veteri est perfectior, utilior, & facilior. Et quidem *1mo: est perfectior*, quia lex vetus figuras, prædictiones, umbramque futurorum continebat, res vero ipsas nova, in qua veteres omnes figuræ, prædictionesque adimpletæ ſunt. In lege nova clarius fidei Mysteria, Trinitatis, Incarnationis, manifestata ſunt. Præcepta quoque moralia, & plura, & magis enucleata, officia hominis erga Deum, proximos, ſeipſum, magis evoluta; non ſolum autem præcepta, ſed & ſublimiora in ſe complectitur consilia. Maxime autem lex nova, est veteri perfectior, quia illa Sacramenta habebat, quæ Apostolus ad Gal: Cap: 4. vocat

infirma

infirma & egena elementa, habebat Sacrificia, victimas, quibus ut idem affirmat Apostolus Hebr: Cap: 10. *impossibile erat auferri peccata*: lex autem nova, habet Sacramenta ex se efficacia, Sacrificium quod offertur in remissionem peccatorum & quod perficit sanctificatos. Lex igitur nova, perfectior est lege veteri.

2do: Est *utilior*, quia lex nova gratiam tribuit, quam lex vetus ex se non conferebat, ſed nonnisi ex fide Jesu Christi, neque etiam ipsa justificabat homines, Lex vero nova gratiam confert, unde dictum est Joan: Cap: 1. *Lex data est per Moysen, gratia autem & veritas, per Jesum Christum*: &. Paulus Rom: Cap: 8. inquit: *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me â lege peccati, & mortis*. Tandem lex vetus regnum cælorum dare non poterat, quod etiam Sanctiſsimi Patriarchæ nonnisi à longe aspiciebant, lex vero nova reseratis cæli janiis, æternam confert beatitudinem.

3tio: Est *facilior*: Lex enim vetus ob præceptorum multitudinem, erat jugum importabile, ut inquit Petrus Apostolus Actor: Cap: 15. lex vero nova jugum ſvave, & onus leve, quia & pauca & levia juri naturali ſuperaddidit mandata, ideoque & minima à Christo vocitantur, Lex itaque nova perfectior, utilior, et facilior est, lege veteri.

Quæres 20mo: Quamdiu lex Evangelii perdurare debeat?

Resp: Evangelica lex usque ad finem mundi est perduratura, Enimvero Mathæi Cap: 24. inquit Christus: *Prædicabitur hoc Evangelium regni, in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio.* Dilatato ergo per omnes gentes Evangelio, nulla alia est expectanda lex, ſed mundi consummatio, & finis, unde ibidem Christus statim mundi describit finem. Præterea Math: Cap: 28. mittens Apostolos in mundum ut docerent, & baptisarent omnes Gentes, sic concludit: *Et ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi*. Ad consumationem itaque ſæculi perdurabunt Apostolorum Succeſsores, qui populos, gentesque doceant, baptisent, & cum illis erit Christus omnibus diebus usque ad finem mundi. Lex ergo evangelica ad finem mundi perduratura est.

Dices: Etsi lex Moysis statuta dicatur in æternum, attamen abrogata fuit, Ergo etiam lex Christiana, licet

dicatur in æternum permansura, poterit abrogari, & alia ei ſuccedere.

Resp: Lata est disparitas inter legem Moysis, & legem Christi. Lex vetus typus fuit, & figura Christi venturi, adeoque in ejus adventu erat abroganda, maxime cum ſplendidiſsima fuerint de illius abrogatione Prophetarum oracula, quare cum dicebatur in æternum constituta, & simul etiam abroganda prædicebatur, dabatur intelligi ad certum nonnisi aliquod longum tempus ipsam fore permansuram, non ita est de lege Christi, hæc enim cum ex omni parte perfectiſsima est, neque ullum apparet in Scripturis de illius abrogatione vestigium, jure concluditur, secundum Christi promiſsiones, usque ad finem sæculorum perduraturam eſse.

CAPUT TERTIUM

De lege humana.

Lex humana alia est Civilis, alia est Ecclesiastica: *Civilis*, quæ à Regibus, Principibus, ad bonum civile Communitatis procurandum instituitur. Ecclesiastica, quæ ab Ecclesiæ Præpositis ad spirituale bonum indicitur.

Graves adversus utramque Ecclesiasticam, & Civilem potestatem errores diſseminatos eſse, ac nostris etiam temporibus in vulgus ſpargi, compertum est. Lutherus docuit: *Christianis nihil ullo jure poſse imponi legum, sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi in quantum volunt*; in quibus civilem, & Ecclesiasticam, legum ferendarum auctoritatem evertit. Ante ipsum Wicleffus, & Joannes Hus, ac Waldenses, omnia statuta Ecclesiastica rescindenda eſse affirmarunt, unique Deo obediendum, non Prælatis. Principibus vero obedientiam præstandam eſse volebant, ſed eo in æternum damnandos effutiebant. Calvini pariter omnia principia eo tendunt, ut legum ferendarum potestatem Ecclesiæ deneget. Nunc Lutherani, ac Calvinistæ, non tantum penes Principes ſæculares ampliſsimam in temporalibus auctoritatem eſse agnoverunt, verum etiam ipsis serviliter blandientes, solaque ministerii facultate Ecclesiæ pastoribus relicta, imperium omne rerum Ecclesiasticarum illis contulerunt. Non desunt etiam qui

qui erronee ſpargere non verentur, apud solum populum ubique legum ferendarum potestatem eſse, Principibus, ac Magistratibus solam competere potestatem executivam, vel saltem populum ſemper conservare in Dominantes ſupremam potestatem, quam extendere, limitare, aut penitus tollere potest. Hos certe errores ad seditiones excitandas, fovendasque natos eſse, nemo non videt.

ARTICULUS Imus

De lege Civili.

Quæres 1mo: Utrum leges Civiles, humanæ Societati sint utiles, & necesſariæ?

Resp: Leges civiles humanis Societatibus & utiles, & necesſariæ ſunt. Enimvero nulla humana Societas, bene ordinata eſse valet, neque ſubsistere potest, nisi habeat, qui leges ferat, illasque constituat, alias enim unusquisque quod sibi in mentem veniret, perficere poterit, illa etiam quæ bono communi Societatis contraria ſunt, & quamvis detur alios futuros fore, qui boni communis utilitatem quærant, attamen neque ſollicitudo istorum, aliorum multorum improbitatem ſuperabit, neque diu persistet, ſed brevi tempore cujusvis arbitrio destrui, ipsi id perspicient, quod magno labore, atque industria procurarunt. Huic ergo graviſsimo malo, aliter consuli nequit, nisi is adsit qui leges ferat, nisi leges sint constitutæ, quibus & cohibeantur illi, qui bono communi jacturam machinantur, & ii, qui bono communi cooperantur, magis, ac magis ad illud promovendum excitentur. Et certe eſse debere in quavis Republica potestatem, qua homines ad bonum excitentur; à malo autem deterreantur, docet Petrus Apostolus Epist: 1. Cap: 2. dicens eſse ubique constitutos quosdam *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*, & id ex voluntate Dei depromit, ut benefacientes obmutescere faciant imprudentium ignorantiam, atque malitiam. Quod & Paulus confirmat ad Romanos scribens Cap: 13. *Principes non sunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illo, Dei enim minister est tibi in bonum Si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Ad rectum itaque constituendum in qua-

libet humana societate ordinem, ad illius incolumitatem, omnino necesſarius est quispiam qui eam regat, legibus gubernet, qui potestate legislativa et coactiva, malos coerceat, bonos inflammet, malis mali timorem, bonis, boni amorem inspiret. Hinc Proverb: Cap: 2. dicitur: *Ubi non est gubernator corruit populus*: & S. Thomas Doctor Opusculo 20. de Regim: Princip: libro 1. Cap: 1. sic scribit: *Multis existentibus hominibus, & uno quoque id quod est sibi congruum, providente, multitudo in diversa dispergeretur, nisi etiam eſset aliquis de eo, quod ad bonum multitudinis pertinet, curam habens, sicut & corpus hominis, & cujusvis animalis deflueret, nisi eſset aliqua vis regitiva communis in corpore, quæ ad bonum commune omnium membrorum intenderet.* Ex quibus ſequens deducitur argumentum. Sicuti physicum corpus, ita etiam & civile, quale est societas, quam constituunt homines in unum redacti, ex pluribus, iisque inter se diversis partibus, constat. Nam quemadmodum physici corporis alia est pars caput, alia collum, alia pectus, alia manus, alia pedes, simili quoque ratione inter se distinctæ, atque diversæ ſunt partes politici corporis, quia homines ætate, conditione, ingenio, inclinationibus, institutione, muneribus, atque aliis multis inter se differunt. Quapropter quæ est ratio physici, eadem quoque est & corporis politici. Si autem nihil eſset quo partes corporis physici regerentur, si nullæ constitutæ à Deo forent physicæ leges, quibus & inter se sociarentur, & ad totius utilitatem, conservationemque ordinentur, physicum corpus, neque in se recte dispositum eſse, neque diu perdurare poſset. Ergo etiam in corpore civili, idem ſubsequi necesſum est, nisi sit aliquis, qui cæteris præpositus, singulas communitatis partes, in debito ordine contineat, ad bonum commune informet, atque nisi sint leges morales, juxta quas omnia regantur, disponantur, atque constituantur. Et vero quemadmodum ad conservationem corporis physici, nihil magis confert, quam leges physicæ, juxta quas omnia reguntur membra, ita quoque ad conservationem corporis politici, ipsius utilitatem, bonumque commune, nihil magis conducere valet, quam justæ & rationabiles leges, illæ enim omnia Societatis membra attingunt, & ad præstanda ea, quæ commune bonum expostulat, æquo jure adigit. Ex his ergo manifestum efficitur, leges Societatibus humanis & utiles, & summopere necesſarias eſse. Hinc nulla unquam ex-

titit

titit natio, nisi aggrestis & barbara, quæ non habuerit, & modo non habeat leges apud se constitutas.

Quæres 2do. Utrum insit hominibus potestas ferendi leges?

Resp: Inest hominibus potestas ferendi leges, hæc vero ubi Democratia non viget, ſumma est & independes penes Principes, aut Optimates, adeoque non potest à populo auferri. Et quidem *1mo.* ineſſe hominibus potestatem ferendi leges, ex communi constantiſsimoque, ac immemorabili, atque universaliſsimo constat usu, vix enim est natio, quæ non habeat leges apud ſe constitutas.

2do. Hæc autem potestas, ubi Democratia non viget, ſumma est, & independens penes Principes, aut Optimates, adeoque non potest à populo auferri. Etsi enim populus ſæpe elegerit Reges, eo tamen constituto, non tantum ab ipso populo, ſed etiam à Deo, imperans recipit potestatem; ut enim docet Apostolus ad Rom: Cap: 13. *non est potestas nisi â Deo*, quare Danielis Cap: 2. legimus: *Deum transferre regna, & constituere*, & ibidem Nabuchodonosorem alloquens Propheta, ait: *Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium dedit tibi.* Isaiæ quoque Cap: 47. Deus imperium Cyro ſe collaturum ſpopondit, & ipse Cyrus agnoscit omnia, regna sibi à Deo data eſse. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli.* Et Esdre Cap: 1. Sed & ipsi Gentiles agnoverunt imperantes à Deo eſse constitutos. Homerus de Agomemnone ait: *Rex est, cui ſceptri datus est honor â Jove ſummo:* & Diodorus Siculus libro 1. Egyptios existimare affirmat: *Non sine Divina quadam providentia, perveniſse Reges ad ſummam de omnibus potestatem.* Quapropter etsi Principes & imperantes mali sint, non eis est deneganda veneratio, & obedientia. Petrus enim Apostolus Epist: 1. Cap: 1. sic præcipit: *Servi ſubditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, ſed etiam discolis*, hoc est duris, difficilibus, & asperis, quem locum explanans S. Augustinus sic inquit: *Quod dixit de Domino, & ſervo, hoc intelligite de potestatibus, regibus. & de omnibus culminibus hujus ſæculi.* Quare & Ecclesiastes Cap: 8. præcepta Regis observanda eſse admonens, ait: *Sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest, quare ita facis.*

Quæres 3tio. Utrum leges civiles stricte obligent?

Resp: Leges civiles ſubditos, pro quibus institutæ ſunt,

ſunt, stricte obligant. Et id ex ſacris litteris manifeſtiſsima probatione constat. Enimvero Paulus Apostolus in Epist: ad Rom: Cap: 13. sic ait: *Omnis anima potestatibus ſublimioribus ſubdita sit.* Hujus vero rei rationem, hanc affert: *Non est enim potestas, nisi à Deo.* Ex quo illud etiam per ſe conſequi idem Apostolus statuit, ut qui resistit potestati Principum, ordinationi Dei ſeſe opponat, quare inquit: *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Nam quemadmodum animadvertit S. Thomas in citatum Cap: 13. Epist: ad Romanos lect: 1. *Si potestas Principum, in quantum talis, à Deo est, & nihil est à Deo sine ordine, consequens est, quod etiam ordo, quo inferiores potestatibus Superiorum ſubjiciuntur, sit à Deo.* Quare qui contra hunc ordinem resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qua de cauſa, quid futurum sit iis, qui resistunt potestati Principum, his Apostolus indicat verbis: *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Hæc autem, ut advertit S. Thomas Doctor, potest intelligi duobus modis, uno modo, de damnatione æterna, quam merentur, qui potestatibus ſubjici nolunt, in eo, quod debent, cujus experimentum habemus in Core, Dathan & Abiron, qui, quia Moysi, & Aaron restiterunt, à terra vivi absorpti ſunt. Alio modo intelligi potest, de damnatione ad pœnam temporalem, quæ per Principes, Magistratusque decernitur. Utrumque vero aperte indicat Paulus. Et quidem damnationem temporalis pœnæ, dum affirmat, Principes non bonis, qui leges observant, ſed malis, qui eas trangrediuntur, timori eſse, quia non sine cauſa gladium portant, Dei namque Ministri ſunt, atque vindices *in iram ei, qui operatur malum.* Sed & alterum, damnationem ſcilicet ad pœnam æternam, manifeste significat Apostolus, dum ait eos, qui Principum potestati resistunt, Dei etiam ordinationi ſe opponere. Hinc vero duabus de cauſis potestati Principium obtemperandum eſse colligit, hoc est propter iram & conſcientiam. Sicque rem totam concludit: *Ideo neceſsitate ſubditi estote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Propter iram quidem, ne iræ effectus, pœnasque temporales à Principibus infligendas experiantur, & propter conſcientiam, ne vindictam Dei sibi accerſant.

Neque etiam minus perspicua ſunt hac de re illa quæ habet S. Petrus in ſua Epist: 1. Cap: 2. ubi sic fideles exhortatur: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ, propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus,*

tam-

tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: ne vero putaretur, hæc præcipi ad exteriorem tantummodo quamdam subjectionem, non vero conscientiæ obligationem imponere, statim superaddidit: *Quia sic est voluntas Dei.* Voluntate ergo Dei cum præceptum sit omnibus, ut Regibus, Ducibus, aliisque omnibus politicis potestatibus obtemperemus, in conscientia etiam obligati sumus illorum, jussa, leges, præceptaque adimplere.

Et vero, nisi leges Civiles in conscientia etiam obligarent, per ipsas non satis bono communi provisum fuisset. Si enim vinculum internæ obligationis à legibus tollatur, nihil aliud reliquum est, quam ut homines vel sua ipsi voluntate legibus obtemperare eligant, vel ad id adigantur, aut amore boni quod amittere, aut metu pœnæ, quod subire deberent, simul ac leges transgrederentur. Quidquid vero ponatur, bono communi per leges male provisum erit, quia leges observare vel non, à libera subditorum pendebit voluntate, ac proinde bonum, quod per legum observationem procurari posset, semper incertum & fallax erit, ei ergo non bene consultum erit. Utilitate equidem proprii commodi, aut timore pœnarum, ad leges servandas quandoque homines adigi possunt, verum si præter hæc, nulla adsit interior obligatio, legibus sæpissime illudetur. Præterea non omnes eodem modo utilitate ducuntur, non omnia omnibus æque utilia sunt, & quod leges sibi pro bono communi proponunt, non semper cum multorum privata utilitate conjunctum est, imo sæpius contingit ut ei opponatur. Qui ergo utilitate ducuntur, si eam ex legibus sibi obventuram sperabunt, illi legem observabunt; sed quorum ratio diversa fuerit, sicuti multoties contingit, ii proprio genio potius indulgent, quam communi utilitati inservient, dum nullam propriam sibique singularem ex observatione legum, utilitatem assequentur. A nonnullis ergo tantum ob propriam utilitatem leges servarentur, & ab iis etiam sine ulla firmitate, atque stabillitate, cum non semper idem sit utile, & quod modo utile est, alio tempore non solum inutile, sed etiam & noxium sæpe fiet. Si quis vero ad observationem legum tantum metu pœnarum ducatur, nulla vero interiori obligatione moveatur, nimis incerto motivo ducitur. Non alia enim de causa contingit, ut homines leges transgrediantur, cum pœnas inde sibi debitas, aliqua ratione vitare se posse putant, nisi quia conscientiam interius reclamantem non auscultant. Semel autem

tem ac certum fuerit, homines ab omni interiori obligatione ſervandi leges ſolutos eſse, omnem profecto pænarum metum excutient, & sibi id unum curæ erit, pænas evadere, quæ legis transgreſsoribus constitutæ ſunt. Quare timor pænarum, ad observationem legis, ſeclusa conscientiæ obligatione, non multum conferret. Si igitur ponamus homines, non eſse interius obligatos parere legibus, non ſatis prospectum erit legibus, & facile illis illudetur.

Dices. Evangelicæ libertati repugnat, nos humanis legibus in conscientia obligari: ait enim Apostolus 2. Corinth: 3. *Dominus Spiritus est. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas*, & ad Gal: Cap: 4. inquit: *Non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate nos Christus liberavit.*

Resp: Libertas, quam Christus ſua morte, & paſsione nobis comparavit, non est immunitas à ſubjectione illis debita, qui nobis præsunt, quia, ut docet Apostolus Paulus, omnis anima potestatibus ſublimioribus ſubdita eſse debet, ſed est immunitas â peccato, quo premebamur, à ſervitute dæmonis, in qua detinebamur, atque ab obligatione legis Moysaicæ, cui Judæi ſubjecti erant: Unde Apostolus Ephes: Cap: 1. inquit: *Gratificavit nos in dilecto Filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſangvinem ejus, remiſsionem peccatorum*, & ad Gal: Cap: 5. ait: *State & nolite iterum jugo ſervitutis contineri, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit:* ipse etiam Salvator ait Joan Cap: 12. *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi eijcietur foras.* De ſervitute ergo dæmonis, peccati, & legis, quæ jugum importabile hominibus imposuerat, nos liberavit Christus, non â ſubjectione illis debita, qui nobis ordinate præsunt.

Quæres 4to. Unde vim obligandi leges civiles habent?

Resp: A Deo. Apostoli siquidem Petrus & Paulus, cum fideles exhortantur ut potestatibus ſublimioribus ſubjecti sint, non aliam rationem hujus, motivumque afferunt, nisi quia hæc est voluntas Dei, quia omnis potestas est â Deo, & qui humanæ etiam potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Unde & Proverbiorum Cap: 8. Divina ſapientia dicit: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt: Per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Certe Deo interius ſubijci obligatur homo. Cum ergo Reges, Principes ac cæteri, qui in ſublimitate constituti ſunt, vices Dei in terris gerant,

rent, potestas illorum à Deo est, Deusque ipse ordinavit, ut ipsis ſubijciamur; vim ergo interius etiam obligandi leges humanæ, quas nobis Regs, Principesque constituunt, à Deo habent. Et vero leges civiles justæ ac rectæ, à lege æterna dimanant, sicuti & aliæ omnes. Lex vero æterna vim interius obligandi habet, quia lex Dei est. Igitur etiam vis interius obligandi, humanis legibus ab ipsa æterna lege inest. Non ergo ab homine, ſed à Deo inest vis obligandi legibus humanis, neque illam ex ſe habent, ſed à lege æterna ipsam mutuantur.

Quæres 5to. Ut leges civiles obligent, estne neceſsaria populorum acceptatio?

Resp: Non est neceſsaria. Enimvero si leges dependerent ab acceptatione populorum, tunc qui præest cæteris, omnibusque dominatur, in præcipuo munere ſuæ jurisdictionis, potestatisque, illis ſubijceretur, qui ejus imperio ſubjecti, ipsi obtemperare deberent. Namque jurisdictio, potestasque regiminis, maxime in ferendis, constituendisque legibus ſeſe prodit. Quæ certe vana, inutilis, ac ridicula foret, si acceptatio populorum expectanda eſset, ut leges obligent. Certe populus ei, qui sibi æquo jure præest, obtemperaſſe tenetur, quoties nihil ille præcipit, quod aut naturali, aut Divinæ legi est contrarium, hoc enim ipsa ejus postulat ſubjectio, lex naturæ præcipit, atque Deus exigit. At vero si acceptatio legum a populorum voluntate penderet, obedire, vel non obedire, ex æquo in potestate illius repositum eſset, quod ridiculum est. Leges ergo civiles ut obligent, non dependent à populorum acceptatione, Quare Legislator potest populum sibi ſubjectum vi atque pænis adigere ad eas ſuscipiendas leges, quas ipse tulerat, atque promulgaverat, alioquin legislativa potestas in contemptum abiret, quod graviſsimum nocumentum toti communitati afferre facile poſset, illiusque commune bonum brevi everteretur, rueretque ex toto.

Quæres 6to. Quæ lege civili præcipi, & ordinari poſsint?

Resp: Leges civiles præcipere, & ordinare poſsunt, ea omnia quæ ad recte gubernandam communitatem inservire & conducere poſsunt. Legibus siquidem, quælibet Respublica regitur, & dirigitur, unicuique ergo communitati ita leges adoptari debent, ut iis ipsa congrue regatur, omniaque in ea per leges ita disponantur, quatenus in omnibus ubique rectus ordo conservetur, omnia-

que

que ad commune Reipublicæ bonum tendant. Quæcunque ergo & rectus ordo, & bonum communitatis expostulant, hæc omnia per leges civiles constitui posſunt, dummodo legi divinæ sive naturali, sive positivæ, contraria non sint. Legislatores siquidem Civiles, atque ab ipsis constitutæ leges, contra Divinam legem constitutæ, nullius ſunt roboris, atque nullatenus obligare posſunt. Legislatores siquidem, quicunque illi sint, totam ſuam potestatem, jurisdictionem â Deo habent, *quia non est potestas nisi â Deo*, inquit Apostolus Rom: Cap: 13. illorum leges vim totam obligandi à lege Dei æterna habent. Ergo si quid contrarium legi Divinæ constituerint, irritum, & inane erit, & tunc unicuique dicere licebit, quod Petrus Apostolus Principibus Judæorum prohibentibus Evangelii prædicationem Actorum Cap: 5. responderat: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

ARTICULUS 2dus

De lege Ecclesiastica.

Quæres 1mo. Utrum Præpositi Ecclesiæ, posſint leges ferre?

Resp: Posſunt. Enimvero Christus verus legislator fuit, ſed ipse in cælum ascensurus hanc ferendi leges potestatem Apostolis contulit dicens Joann: Cap: 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Atque istiusmodi legislativa, potestate statim perfuncti ſunt Apostoli in Concilio Jerosolymitano Actorum Cap: 15. ubi convenerunt, & re mature discuſsa statutum condiderunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, quam hæc neceſsaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & ſangvine, & ſuffocato, & fornicatione.* Certe munus legis est præcipere, & obligare ſubjectos. Porro Apostoli per istiusmodi statutum, gentibus ad Christum conversis aliqua tamquam neceſsaria præceperunt, atque ad ea observanda obstrinxerunt, onusque ipsis imposuerunt. Igitur Apostoli accepta à Christo legislativa potestate, statim usi ſunt, quam vero ipsi à Christo potestatem acceperunt, hanc ad ſuos Succeſsores transmiserunt, ipsisque reliquerunt. Ergo Ecclesiæ Præpositi leges ferre posſunt.

Et vero Ecclesia Christiana est Spiritualis, in genere

nere suo perfecta Respublica. Est namque cætus fidelium, sub uno visibili Principatu Romani Pontificis constitutus, Præpositis, atque Magistratibus suis decoratus, propriis gaudens institutis, ad certos ordinatus fines. Namque in Republica debet esse Principatus, cui omnes subijciantur, ab ipsoque regantur, debent esse plures simul secum consociati, atque unum corpus civile constituentes, ad unum eumdemque finem collimantes, unum commune bonum intendentes. Hæc autem omnia Ecclesia Christianorum habet. Non solum enim plures in istam Societatem coaluerunt, sed etiam hujusmodi societas ubique diffusa atque propagata est, unius fidei professione, eorundem Sacramentorum participatione secum conjuncti; sub unius supremo Principatu existunt, illius regimini subeunt, idem omnibus præstitutus finis, scilicet æterna futuræ vitæ felicitas, idem commune bonum. Præterea à suo conditore, institutoreque Christo Jesu, leges sibi traditas habet, constituta præcepta, quibus omnes ubique terrarum regi, ipsisque obtemperare debent, & hoc est in quavis Republica præcipuum, atque primarium, ut leges justas atque rationabiles habeat. Est itaque Ecclesia Christianorum vera, ac perfecta Respublica. Porro quælibet vera ac perfecta Respublica, maxime ut bene sit ordinata, leges condere ac instituere potest, atque debet, cum sine iis diu subsistere nequeat. Potest ergo Ecclesia Christiana per suos Præpositos atque Majores, leges condere, atque instituere. Sane indubitatum est, posse Reges, & Principes leges ferre pro communi bono illarum Societatum, quibus præsunt, possunt ergo & Præpositi Ecclesiæ id ipsum facere, neque ulla ratio afferri potest, cur illud Reges & Principes possint, hoc vero Præpositi Ecclesiæ nequeant. Quare sapientissime scripserat Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem: *Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas, in quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus in divino sunt reddituri examine, rationem.*

Certe potestate ferendi leges, semper ab initio etiam Christianæ Religionis, usa est Ecclesia. Imprimis in Concilio Jerosolymitano, ubi congregati Apostoli Christianos à veteri lege exemptos declararunt, & hoc tantum oneris eis imposuerunt, ut abstinerent ab immolatis simulacrorum, suffocato, & sangvine, sicuti legimus Actorum Cap: 15. atque deinceps variis in Conciliis congregati Episcopi,

pi, non ſolum fidei decreta condiderunt, ſed & morum præcepta statuerunt. Atque hanc Ecclesiæ potestatem vel ipsi piiſsimi Imperatores agnoverunt, unde Basilius Imperator in Concilio generali 8vo hæc locutus est: *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute versamini, quid amplius dicam, non habeo, quam quod nullo modo licet vobis de Ecclesiasticis causis ſermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & universali Synodo adversari. Hæc enim investigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, ligandi, & ſolvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas adepti ſunt claves, non nostrum, qui pasci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel à ligamentis ſolvi indigemus.*

Dices: Ecclesia Christianorum nequit habere rationem veræ Reipublicæ, quia tota & ubique potestati, & imperio Regum atque Principum est ſubjecta.

Resp: Est quidem Ecclesia Christiana, ubique ſubjecta potestati & imperio Regum atque Principum, ſed in temporalibus, quæ civili potestati, & Regum, atque Principum ſubsunt imperio, ſed non in ſpiritualibus quæ nullatenus potestati civili ſubjacent, verum unice ſpirituali Ecclesiæ ſubsunt jurisdictioni, & in his independentem Ecclesiam ſuam eſse voluit Christus. Hinc S. Athanasius in Epist: ad Solitarios refert verba Hosii Cordubensis, quibus sic Constantinum Imperatorem allocutus est: *Desine quæso, Imperator, ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Divinæ, ita & tu cave, ne, quæ ſunt Ecclesiæ, ad te trahans, magno crimini obnoxius fias.* Et post relata hæc Hosii verba, ipse Athanasius ſubiicit: *Quando à condito ævo auditum est, quod judicium Ecclesiæ auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit?*

Quæres 2do: Utrum hæc Ecclesiæ ferendi leges potestas, sit ſumma, & à politica independens?

Resp: Potestas Ecclesiæ ferendi leges, est ſumma, & à politica independens. Enimvero Ecclesia jure Divino non ſolitariam, & nudam ministerii potestatem habet, annunciandi ſcilicet verbum Dei, & conficiendi, administrandique Sacramenta, ſed etiam præcipere potest, onera legibus Ecclesiasticis consona imponere, regendi fideles

les habet potestatem, qui ipsi obedientiam præstare tenentur, si vero refractarii sint, pænis compesci possunt. Hanc vero potestatem ei à Christo collatam, nemini legimus subordinatam. Ergo hæc potestas est in Ecclesia summa, independens, neque à sæculi Principibus, quibus ipsa à Christo collata nunquam fuit, exerceri potest. Quare S. Ambrosius libro 5. Epist: 55. de rebus fidei in consistorio Imperatoris agere recusavit, hæc verba addens: *Nec quisquam me contumacem judicare debet, hoc cum asseram, quod augustæ memoriæ Pater tuus, non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa fidei vel Ecclesiastici alicujus ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis.* Atque hanc veritatem non solum omnium Sanctorum Patrum probat auctoritas, sed etiam Imperatores eam recognoverunt. Theodosius siquidem in Epist: ad Synodum Ephesinam sic scripserat, *nefas est, qui sanctissimorum Episcoporum Catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis, & consultationibus se immiscere.*

Obijcies 1mo: Si Ecclesiæ legum ferendarum data fuisset potestas, profecto illa ad sempiternam data fuisset animarum felicitatem consequendam. Sed hunc in finem nulla alia lex est, nisi Divina, humana vero prorsus excluditur. Namque Jacobus in Epist: Cap: 4. ait: *unus est legislator, & judex, qui potest perdere, & liberare.* Mathæi vero Cap: 15. inquit Christus: *sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum,* & Cap: 28. omnis facultas Apostolis à Christo data, constringitur ad docendum, quæ ipse illis tradiderat, *docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* 2do: potestas regia, & sacerdotalis in lege naturæ, vi ejusdem legis naturalis conjuncta, & simul copulata erat, ut patet in Melchisedech, qui Rex Salem simul fuit, & summus Sacerdos. Ergo duplex hæc potestas conjuncta adhuc est in lege Christi; quæ naturæ leges non tollit, sed perficit. 3tio: Si Ecclesia haberet potestatem leges ferendi, à sæculari potestate independentem, tunc admittendus esset status in statu, & Respublica, in Republica. Sed hoc confusionem faceret, & bonum ordinem everteret.

Resp: ad 1mum: S. Jacobus de illa potestate loquitur, quæ sive in perdendo, sive in liberando homine, in hac vel in altera vita summa est, & independens, solique Deo competit, nullo tamen modo negat in Ecclesia esse potestatem leges ferendi, à Divina dependentem, & quemadmodum

modum licet Math: Cap: 23. dicatur: *Unus est Pater vester, qui in cœlis est*, alii tamen Patres admittuntur, sic: etsi unus dicatur legislator & judex, alii tamen inferiores non excluduntur, maxime cum dixerit Christus Apostolis Lucæ Cap: 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.*

Verba autem Christi quæ Math: Cap: 15. occurrunt, intelligenda sunt, de præceptis ex falsa traditione promanantibus, legique Divinæ contrariis, quemadmodum erant Pharisæorum mandata, superius enim exprobravit illis Christus, *irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras*, non ergo excluduntur Ecclesiastica præcepta legi Divinæ consona, sed Pharisæorum perversa reprobantur mandata.

Voluit vero Chtistus; ut Apostoli gentes prius instruerent, & jam credentes sacro baptismatis fonte regenerarent, ac præterea voluit; ut edocerent eos, singula præcepta esse servanda, quæ ipse constituerat, inter hæc autem & istud est, quod si quis Ecclesiam non audierit, velut Ethnicus habeatur, ex quo solo manifestum est, Christum Ecclesiæ suæ præcipiendi dedisse potestatem, & fidelibus onus ipsi obtemperandi imposuisse.

Ad 2dum: Falsum est in statu legis naturalis, ejusdem legis naturæ præcepto potestatem regiam, & sacerdotalem fuisse conjunctas. Lex naturalis unice dictat, cultum tum internum, tum externum per Sacrificia Deo exhibendum esse, nullam vero ad hoc munus obeundum personam determinat. Cain, Abel, licet sub Adami potestate constituti, uterque tamen Sacrificium Deo obtulit.

Ad 3tium: Si admitterentur duæ summæ, & independentes potestates in eodem ordine, tunc confusio oriretur, tunc siquidem potest præcipere una potestas idem objectum, & altera vetare, ex quo ordo, tranquilitasque publica perturbaretur. Secus vero si sermo sit de duabus potestatibus summis, quarum una pacem, quietemque Civium custodit, altera æternam eorum curat felicitatem. Sane, ut ipse etiam Acatholicus Wolfius inquit: *Qui absurdum putant jus circa sacra separatum ab imperio civili esse, quasi Respublica in Republica fingatur, judicium omnino præcipitant, nec absurditatem demonstrare valent. In Republica Hebrœorum, jus circa sacra, erat penes Pontificem maximum, imperium civile penes Regem, & uterque jus suum habebat pleno jure & independenter ab alio,*

& quis

& quis vero dixerit hoc institutum fuiſse abſurdum, etiamsi ſeponas, quod fuerit Divinum.

Quæres 3tio: Utrum leges Eccleſiasticæ obligent in conscientia?

Resp: Leges Eccleſiæ obligant in conscientia quam strictiſsime. Christus namque Math: Cap: 18. mandavit, ut tamquam ethnicus habeatur ille, qui Eccleſiam non audierit: *Si Eccleſiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*, & Lucæ Cap: 10. Contestatus est ſe in persona Apostolorum audiri, aut ſperni: *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* Unde Paulus in Epist: ad Hebræos Cap: 13. sic graviter admonet omnes fideles: *Obedite præpositis vestris, & ſubjacete eis: Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et vero si civilibus potestatibus, Regibus, & Principibus, qui terrena nonnisi jubent, ſecundum doctrinam Apostolorum non propter iram tantum, ſed & propter conscientiam, atque propter ipsum Deum ſubjectos eſse oportet, quia hæc est voluntas Dei, magis non ad occulum, ſed sicut Domino, qui renes & corda ſcrutatur, obedire oportet iis, qui ſpiritualia præcipiunt, & ſuis legibus cælestia moderantur. Eos qui in Cathedra Moysis olim ſederunt, juſsit Christus audire, facere ea, quæ dixerint, plus eos audire præcepit, & facere quæ juſserint, qui legatione ipsius in terris funguntur, qui Ministri ejus ſunt, & quos ipse per Spiritum Sanctum poſuit regere Eccleſiam ſuam.

Quæres 4to: Utrum Eccleſia legum ſuarum observantiam, vi etiam coactiva urgere poſsit?

Resp: Potest. Vis enim coactiva, potestati legislativæ neceſsario adjungi debet, nisi enim vi coactiva leges urgeantur, ipsarumque observantia propositis pænis promoveatur, facile ſanctiſsimæ leges despectui habebuntur, & utiliſsimæ etiam negligentur. Cum ergo Eccleſia habeat legislativam potestatem, potest etiam vi coactiva legum ſuarum observationem urgere. Certe Christus Petro, cæterisque Apostolis, non ſolum ſolvendi, ſed & ligandi potestatem dedit, qui Eccleſiam non audierit tanquam ethnicum haberi juſsit, pænis autem inflictis ligatur homo, & major nulla est pæna, quam à consortio fidelium excludi, & tamquam ethnicum reputari. Et vero Apostolos vi coactiva usos fuiſse manifeste constat ex iis quæ Paulus geſsit; cum enim auctoritas ipsius, eadem ac reliquorum Apostolorum fuerit, quæ ipse legislativæ atque

coa-

coactivæ potestatis argumenta dedit, eandem auctoritatem in ceteris fuifse demonstrant. Ille ergo Epist: I. Cap: 5. incestuosum Corinthium Satanæ tradidit, & Epist: 2. Cap: 2. ipsum ab istiusmodi pæna liberavit, *ne forte* ut ipse scribit Apostolus, *abundantiori tristitia absorbeatur.* Indiscriminatim vero contra omnes male agentes, & qui peccaverint, sua potestate se usurum in eadem Epistola Cap: 12. comminatur scribens: *Prædixi, & prædico ut præsens, & nunc absens iis, qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. An experimentum quæritis, ejus qui in me loquitur Christus*, & mox subjungit: *Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem non in destructionem*, & tandem Cap: 10. contestatur se in promptu habere, ulcisci omnem inobedientiam. Tandem I. Corinth: Cap: 4. omnibus inflatis, & inobedientibus comminatur, quia etiam in virga correctionis venire ad eos paratus est: *Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam ad vos cito. Quid vultis, in virga veniam ad vos an in charitate, & spiritu mansvetudinis.* Hinc etiam semper Ecclesia pænas spirituales in eos vibrabat, qui leges ab ipsa constitutas violabant, observareque detrectabant, quod ex innumeris Conciliorum Canonibus manifestifsimum est.

Quæres 5to: De quibus rebus Ecclesia leges ferre potest?

Resp: Duplicem efse potestatem jurisdictionemque manifestifsimum est. civilem scilicet & spiritualem, utraque sibi propria objecta habet, circa quæ versatur, propria munera, suos limites, ultra quos extendi nequit. Qua de re sic Gelasius Papa in Tractatu contra Anastasium scribit: *Christus memor fragilitatis humanæ, quod saluti suorum congruerat, dispositione magnifica temperans, sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus uterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicifsim, non ille rebus Divinis præsidere videretur, qui efset sæcularibus negotiis implicatus, ut & modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, & competens qua-*

lita-

litatibus actionum specialiter professio aptaretur. Et hanc duplicem hujus potestatis distinctionem, satis Christus insinuavit dicens Math: Cap: 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei, Deo.* & Math: Cap: 23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis, servate, & facite,* & Lucæ Cap: 22. *Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super, eos benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor:* ac tandem Regnum suum non esse de hoc mundo ipse coram Pilato contestatus est. Joan: Cap: 18. Una ergo potestas, atque jurisdictio, neque alteri adversari, neque ea sibi usurpare debet, quæ alterius sunt propria, alias & conflictus potestatum, jurisdictionumque, & grandis rerum confusio sequeretur. Cum itaque spirituali potestati, jurisdictionique, quæ Ecclesiæ competit, tria potissimum conveniant, atque ipsius sint proprijssima videlicet: *Divini verbi prædicatio. Sacramentorum administratio, ac tandem animarum regimen, sive gubernatio,* circa hæc tria tantum Ecclesia leges suas condere potest. Et certe omnis potestas quam Apostolis, atque Ecclesiæ suæ concessit Christus, ad hæc tria refertur. Claves scilicet regni cælorum ipsis concessit, ligandi & solvendi potestatem illis contulit, ut ea ligata sint, aut soluta in cælis, quæ hic ipsi ligaverint, aut solverint in terris. Mittens discipulos suos in orbem terrarum, sicut ipse à Patre in mundum missus erat, remittendi, ac retinendi peccata dedit illis potestatem, ac tandem vigore illius summæ potestatis, quæ data ei fuerat in cælo, & in terra, hoc unum commisit suis Apostolis Math: Cap: 28. *Euntes docete omnes Gentes, baptisantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ad hæc ergo tantummodo cum sese extendat potestas atque jurisdictio Ecclesiæ, circa hæc tantum leges suas condere potest.

Quæres 6to: Ergo Ecclesia circa temporalia nullas leges condere potest?

Resp: Ita est. Cum enim temporalia Ecclesiæ potestati, jurisdictionique minime subjaceant, de iis nihil ipsa disponere, neque ullas circa ea leges statuere potest, quæ vim, vigoremque aliquem habeant. Et quemadmodum potestas, jurisdictioque civilis, nihil potest circa ea, quæ spiritualia sunt, Ecclesiæ ordinationi, dispositionique subjecta, ita pariter Ecclesia, nihil potest circa illa, quæ temporalia sunt, uniceque potestati, atque ordinationi civili

ſubjacent, quare merito Gregorius 2dus Papa in Epist: ad Leonem Imperatorem ſcripsit in hunc modum: *Audi humilitatem nostram Imperator, ceſsa, & ſanctam Ecclesiam ſequere, prout invenisti, atque accepisti. Non ſunt Imperatorum dogmata, ſed Pontificum, quoniam Christi ſensum nos habemus. Et ecce tibi Palatii, & Ecclesiarum ſcribo discrimen, Imperatorum & Pontificum. Agnosce illud, & ſalvare, nec contentiosus esto. Nam quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi, sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi, & electiones in Clero peragendi, neque consecrandi, vel ſymbola ſanctorum Sacramentorum administrandi, ſed neque participandi, absque opera ſacerdotis.*

Quæres 7mo: An Reges & Principes ſæculares nullum jus habeant in Divina, & ſpiritualia?

Resp: Reges & Principes in Divina & ſpiritualia nullum jus habent; quia Divina, & ſpiritualia, ſolis Apostolis, eorumque ſucceſsoribus Christus commisit, atque concredidit, ut tota ſacra testatur Scriptura. Docere & prædicare Apostolis demandavit, ſolvere, ligare, peccata dimittere, retinere, baptisare Apostolis præcepit, Petro, ſupra quem tamquam duriſsimam petram, Ecclesiam ſuam fundaverat, claves regni cælestis contulit, fratres confirmare, oves & agnos pascere, juſsit. Episcopos gregi ſuo præposuit, ut regerent Ecclesiam, quam acquisivit ſangvine ſuo, ut inquit Paulus Actor: Cap: 20. Mandavit, & his etiam inculcat Petrus, ut pascant gregem Domini. Epist: I. Cap: 5. ſcribens: *Seniores obsecro. Pascite qui in vobis est gregem Dei,* quare, ut docet Paulus Ephes: Cap: 4. Chrtstus in Ecclesia ſua dedit: *Pastores, & Doctores in opus ministerii, ut non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum.* Quare à temporibus Apostolorum Seniores, ac Præpositi Ecclesiæ, atque Episcopi, nonnunquam etiam obsistentibus atque contradicentibus ſæculi Principibus, Regibus, atque Imperatoribus, de rebus Divinis, atque ſpiritualibus ſemper cognoverunt, illas dijudicarunt, de ipsis constituerunt, & illorum judicata, statuta, ſemper perstiterunt, contrariæ Imperatorum machinationes, edicta corruerunt. Merito itaque S. Ambrosius Valentiniano Imperatori ſcripsit Epist: 33. *Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ Divina ſunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, si vis diutius imperare. Esto Deo ſubditus. Scri-*

ptum est enim. Quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ, publicorum tibi mœnium jus commiſsum est, non ſacrorum.

Licetsi vero ad Ecclesiam ſpectat, ea definire, quæ ad fidem pertinent, & ad mores, & decernere, quæ disciplinam respiciunt, nihilo tamen minus, cum Deus voluerit ſummos imperantes, ſanctæ fidei, & Ecclesiæ protectores eſse, ut Patres Tridentini Seſs: 25. Cap: 20. de Reformat: dixerunt, negandum non est, poſse Principes statuere legeſ ad res Divinas, & Ecclesiasticas promovendas, non velut Ecclesiæ judices, aut rectores, ſed veluti defensores, protectores, & vindices. Unde Anastasius Papa in Epist: ad Anastasium Imperatorem sic ſcribit: *Hoc præcipue insinuo Serenitati tuæ, ut cum causæ Alexandrinorum potuerint piiſsimis auribus vestris ad Catholicam & ſinceram fidem eos auctoritate, ſapientia, Divinisque vestris mandatis redire faciatis.* & Leo 2dus Epist. 75. ad Leonem Augustum hæc habet: *Debes Imperator incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad Ecclesiæ præsidium eſse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene statuta ſunt, defendas, & veram pacem his, quæ ſunt turbata, restituas.*

TRACTATUS

DE

PECCATIS ET PECCATORUM PÆNIS.

Legis prævaricatio peccatum facit, si enim nulla lex esset, neque peccato locus foret, postquam ergo de Legibus actum est, de peccatis, ac de pœnis, quæ peccata consequuntur, agendum est:

CAPUT PRIMUM

De natura, causis, variisque peccati speciebus.

ARTICULUS 1mus

De natura causisque peccati.

Quæres 1mo. Quid est peccatum?

Resp: Juxta S. Augustinum peccatum est *factum, vel dictum, vel concupitum contra æternam Dei legem*, peccatum siquidem aut externa actione, aut verbis, locutionibusque, aut demum internis concupiscentiæ motibus, desideriis, aversionibusque committitur. Per illa autem verba: *factum, dictum, concupitumque*, non solum actiones ipsæ, sed etiam dictorum, factorumque omissiones intelliguntur. Brevior autem atque succincta peccati definitio hæc est: *Libera legis transgressio*, ut enim inquit S. Augustinus Con: 25. in Psal: 118. *Si prævaricantes sunt omnes peccatores, nullum est utique sine prævaricatione peccatum, nulla autem est prævaricatio sine lege, nullum est igitur, nisi in legem peccatum.*

Quæres 2do. Utrum ipsa concupiscentia, seu sensualitas præcise sumpta, & in se spectata, peccatum sit?

Resp: Sensualitas, seu concupiscentia, est animæ facul-

cultas inclinans hominem ad prosecutionem boni sensibilis, juxta præviam sensuum perceptionem. Et hoc est homini connaturale. Sumitur tamen frequenter sensualitas pro appetitu, prout corruptus est, & rationi rebellis, qui ad illicita, & rationi contraria trahit, & hæc vel rationis advertentiam voluntatisque consensum prævenit, vel ipsum subsequitur. Hæretici, maxime Calvinus sensualitatem, seu concupiscentiam in se sumptam, & præcise spectatam, quæ post Baptismum in renatis manet, verum esse peccatum docent, quamvis intuitu meritorum Christi, non imputetur. Et hunc errorem damnavit Synodus Trident: Sess. 5. in Decreto de peccato originali his verbis: *Manere in baptisatis concupiscentiam, hæc sancta Synodus fatetur, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet, quinimo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat. S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Et certe peccatum omne coinquinat hominem. Porro ex sententia Christi ea solum coinquinat hominem, quæ exeunt de corde, seu, ut S. Hieronymus, aliique interprætantur, quæ libere fiunt, & ex propria voluntate enascuntur. Jam vero concupiscentia non ex propria voluntate hominis enascitur, sed nobis congenita est, illius motus non libere, sed sæpe inviti sentimus. Ergo non sunt peccatum. Sane ipsis etiam justis quamdiu in hoc corpore morantur impossibile est, ut varios concupiscentiæ rebellis, non experiantur motus, Paulus quoque illos expertus est, & quamvis vehementer oraret Deum, ut ab illis liberaretur, id non obtinuit, & hoc nonnisi acceperat responsum â Deo: *sufficit tibi gratia mea* ad illos scilicet sedandos, & reprimendos, ne ad peccatum pertrahant. Unde S. Chrysostomus Homil: 16. ad populum Antioch: ait: *Concupiscere naturale, male concupiscere, jam voluntatis*, & S. Augustinus libro 5. contra Julianum Pelagianum Cap: 3. inquit: *Frustra dictum est post concupiscentias tuas non eas, si jam quisque reus est, quod tumultuantes, & ad mala trahere nitentes, sentit eas.*

Objicies. Roman: Cap: 6. inquit Apostolus: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis ejus.* Ubi Paulus concupiscentiam peccatum

esse

eſse dicit. Et vero concupiscentia est volita, & nobis libera in primo nostro parente, ex cujus peccato illa profluit. Est ergo veri nominis peccatum.

Resp: Concupiscentia dicitur peccatum, ſed improprie, quia ex peccato originali provenit, & ad peccatum inclinat. Et id manifeste insinuat Paulus, dum admonet, ut non sinamus dominari nobis concupiscentiæ nostræ adeo, ut motibus ejus obediamus, ac per hoc peccati rei efficiamur. Ude & Jacobus Apostolus Epist: Cap: 1. ait: *Unusquisque tentatur à concupiscentia ſua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consumatum fuerit, generat mortem.* Concupiscentia ergo ipsa non est peccatum, ſed ad peccatum tentat, & allicit, & postquam illa conceperit, ipsius pravis motibus voluntarie homo consenserit, tunc ipsa parit peccatum. Et vero si concupiscentia eſset peccatum, cum originale non sit, foret ipsa peccatum actuale ac personale. Porro ad peccatum actuale, & personale, requiritur voluntas propria & personalis, nec ſufficit voluntas primi Parentis nostri. Cum enim, ut docet S. Augustinus, voluntate peccamus, quale peccatum, talis & voluntas eſse debet. Quia ergo in concupiscentia non est propria nostra & personalis voluntas, motus ipsius ſæpiſsime non ex nostra actuali & personali proveniunt voluntate, peccatum ergo nobis eſse nequit, neque dum ipsis resistimus imputari nobis valent. Certe actus etiam phræneticorum, & stultorum, eodem modo ex peccato originali, & á voluntate primi Parentis nostri profluunt, ac ipsi concupiscentiæ motus. Porro actus phræneticorum, & stultorum non ſunt nobis peccata, ut evidentiſsimum est. Ergo neque motus concupiscentiæ, ſensualitatisque, quæ rationem præveniunt peccata nobis eſse poſsunt. Unde tritum illud: *Non nocet ſensus, ubi deest consensus.*

Quæres 3tio. Utrum omnia peccata æqualia sint?

Resp: Peccata non ſunt omnia æqualia. Enimvero Math: Cap: 12. dicitur: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei.* Dantur ergo peccata, quorum alia difficilius remittuntur, quam alia. Porro hoc non eſset, si omnia peccata forent æqualia. Sunt itaque alia aliis graviora. Quod & Christus manifestiſsimis verbis affirmavit, dicens Pilato Joannis Cap: 16. *Qui me tibi tradidit, majus peccatum habet.* Hinc S. Hieronymus

libro

libro 2. contra Jovinianum, qui omnia peccata æqualia eſse affirmaverat, sic stylum acuit: *Audebisne dicere, sic negaſse Petrum, & ceteros Apostolos, qui fugerant, quomodo Caipham, & Pharisæos, & clamantem populum: Crucifige, crucifige talem, & ut de Apostolis taceam, ejusdem ne tibi ſceleris videtur reus Annas, & Caiphas, & Judas proditor, cujus & Pilatus, qui nolens, compulsus est contra Dominum ferre ſententiam. Quanto majoris meriti fuit Judas, tanto majoris criminis est, & quanto majoris criminis, tanto majoris penæ: Potentes enim potenter tormenta patientur.*

Et certe ex peccatis quædam venialia ſunt, quædam mortalia, quædam plus adversantur rectæ rationi, majoremque in ſe turpitudinem habent, veluti bestialitas, ſodomia, quam alia exg. detractio. Et quemadmodum ex virtutibus quædam aliis ſunt nobiliores, unde Apostolus enumeratis ſide, ſpe, charitate concludit: *Tria hæc, major autem horum est charitas*, ita etiam ex peccatis quædam aliis graviora eſse debent, quæ nempe virtutibus prestantioribus adversantur.

Hæc autem peccatorum inæqualitas, repetitur *1mo:* ex objecto, unde dicit S. Thomas Doctor: *gravius peccatum dicitur ex genere ſuo, quod majori bono virtutis opponitur.* 2do. ex conditione actus, qui quo liberior, & interior est, ac cum majori advertentia, deliberationeque perficitur, eo magis Deo displicet. *3tio.* ex conditione personæ peccantis, quæ, quo plura Deo, aut proximo debet, eo gravius delinquit. *4to.* ex conditione personæ contra quam peccatur, unde major est offensa non modo in Deum, ſed etiam in personas Deo propinquiores, quales ſunt personæ Deo consecratæ.

Quæres 4to. Quæ sit peccati causa efficiens?

Resp: Duplex peccati efficiens causa aſsignari ſolet, interna nempe, & externa. Interna triplex est, ſcilicet ignorantia, infirmitas, & malitia. Externa duplex excogitari potest, diabolus & Deus. Diabolum eſse aliquo modo peccati auctorem, & causam omnes affirmant. Verum quod de hominum hoste aſseritur, horrendum est de Deo Creatore nostro velle affirmare. Nihilominus permulti fuerunt Hæretici, quibus id placuiſse videtur, quos inter Simon Magus, Cerdoniani, Marcionistæ, Manichæi, Priscillianistæ. Antiquum vero ac nefandiſsimum hunc errorem renovare conati ſunt Libertini, & Calvinus ei favere nixus est, dum ſexcentis in locis operum ſuorum ſcribit:

bit: Deum velle peccatum, illud decernere, nosque ad illud incitare, cogere, perpetuoque irridet communem, ac vulgatissimam Theologorum distinctionem, inter voluntatem Dei agentem, efficientem, & permissivam, atque probare conatur, Deum peccata non tantum permittere, sed eadem directe velle.

Quæres 5to. Utrum Diabolus reipsa sit peccati causa?

Resp: Diabolus est aliquo modo causa peccati. Qui enim ad peccatum sollicitat, & quantum potest inducit, ille aliquo modo causa est peccati. Porro sic se habet Diabolus, ad peccatum allicit, quantum potest ad illud inducit, ut patet ex tota historia tum Evæ, quam decepit, tum S. Jobi, quem decipere conatus est, unde monet S. Petrus Epist: 1. Cap: 5. *Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Sancti etiam Ecclesiæ Patres, Diabolum auctorem, inventorem, incensoremque malitiæ passim appellant. Non tamen potest Diabolus irresistibiliter voluntatem hominis ad peccatum movere, quare hortatur idem Apostolus Petrus, ut ipsi resistamus, *cui résistite fortes in fide*: unde S. Hieronymus in Caput 5. Mathæi scribens ait: *Diabolus adjutor, & incensor malarum, cogitationum potest esse, author esse non potest.*

Quæres 6to: Quibus argumentis comprobatur, Deum non esse peccati auctorem?

Resp: Variis id argumentis comprobatur. Et quidem *1mo.* ex scripturis sacris. Psal: 5. dicitur: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Prov: Cap: 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem.* Ezech: Cap: 18: *Numquid voluntatis meæ est mors impii? dicit Dominus.* Si igitur Deus non vult peccatum, imo illud odit, justitiam tantum diligit, nec impii desiderat mortem. Nequit ergo peccati esse author. Præterea apud eundem Ezechielem Cap: 18. legitur: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Sapient: 14. *Odio est Deo impius, & impietas ejus.* 2. Joan: Cap: 3. *Qui facit peccatum, ex Diabolo est*: tandem in Epist: S. Jacobi luculentissimum habetur sequens testimonium: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Scilicet Deus neminem ad peccatum movet, neque sollicitat, & si quando vel Diaboli suggestione incitatus homo, vel à perduelli concupiscentia abreptus, in peccatum labitur, peccatum illud non Deo adscribere debet, sed sibi potius, pravæque suæ voluntati.

Et

Et vero si Deus peccatum vellet, decerneret, hominumque voluntates ad illud incitaret, in ipsum Deum peccatum, atque iniquitas redundarent. Est enim extra omne dubium positum, peccati reum esse, quicunque causa etiam moralis illius constituitur. At nullum in Deo peccatum esse posse, innumeris in locis sacra Scriptura testatur. S. Joan: Cap: 3. de Deo dicitur: *Peccatum in eo non est.* Rom: Cap. 3. *Numquid iniquus est Deus? absit.* Deut: Cap: 32. *Deus fidelis, & absque ulla iniquitate;* Denique in Psalmis scribitur: *Quam bonus Israel Deus, justus Dominus, & non est iniquitas in eo. Justus es Domine, & rectum Judicium tuum.* Tandem Deus perpetuo, constantique tenore in sacris Scripturis hominibus inculcat, ut quæ bona sunt diligant, & exequantur, quæ vero mala fugiant, & abhorreant. Nequit ergo ad mala hominum voluntates incitare, peccata hominum decernere, & illa velle. Merito itaque Clemens Alexandrinus libro 1. Pædagogi Cap: 8. scripsit: Deum nolle, quod odio prosequitur: *non enim aliquid quidem odisse potest, & velle id esse, quod odit.*

2do. Eadem veritas probatur auctoritate SS. Patrum. Sanctissimus Martyr Justinus in Dialogo cum Tryphone ita loquitur. *Non Dei culpa, qui prænoscuntur, & futuri sunt iniqui, sive Angeli, sive mortales mali sint, sed suapte pro sua, quisque culpa talis est.* Chrysostomus Homil, 23. in Acta Apostolorum ait: *Nullus dicat, Deus nobis auctor malorum est.* S. Ambrosius libro 1. Hexæmeron: Cap: 8. ait. *Nunquid simul malitiam Deus creavit? sed ea ex nobis orta, non à Creatore condita. Eradicari hanc Deus vult ex animis singulorum, quomodo eam ipse generaret. Sed hæc opinio feralis eorum, qui perturbandam Ecclesiam putaverunt Hinc Marcionis, hinc Valentini, hinc pestes Manichæorum.* Unde recte definitum est in Concilio Trident: Sess: 6. Can: 6. *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, & per se, adeo ut sit ejus proprium opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

Obijcies 1mo. 2. Regum Cap: 17. legitur: *Dominus præcepit Semei ut malediceret David,* & Cap: 24. *Et addidit furor Domini, irasci contra Israel, & Judam, commovitque David in eis, dicentem: vade numera Israel & Judam.* Joan Cap: 13. Christus Judæ proditori dicit: *quod facis, fac citius.* Hæc autem omnia Deum peccati auctorem

rem faciunt. Nam certum est peccata ſese illaqueaſse memoratis in actibus Semei, David & Juda, & hæc tamen omnia Deus aperte præcepit. Ergo Deus auctor est peccati.

Resp: Peccata illa Semei, Davidis & Judæ, fuerunt nonnisi á Deo permiſsa, non imperata, neque ad illa perpetranda moverat, aut excitarat Deus. Verbum enim *præcepit* non significat ibi juſsionem, ſed maledictionis permiſsionem, ex qua ſubsecuta est Davidis afflictio ipsi á Deo ob peccata illius immiſsa. Semei enim cum infenſam jam, & pravam in Davidem haberet voluntatem, illi, sinente Deo, maledicere auſus est. Itaque malam Semei voluntatem Deus non effecerat, neque eum ad maledicendum excitaverat, ſed cum ipse ex ſe jam eſset ad id dispositus, hoc fieri permisit, ac per hoc, volens justas de Davide ſumere pænas, tribulationes, & afflictionem non modicam ipsi immisit. Pariter Deus indignatione contra gentem Judaicam motus permisit, ut David populum numeraret, verum non ipse ad id eum excitavit, ſed á ſatana fuit ad hoc stimulatus, ut legitur 1. Paralip: Cap: 21, *Consurrexit autem ſatan contra Israel, & concitavit David, ut numeraret Israel*, ex quo evidentiſsime apparet ea, quæ Diabolo excitante, & mala hominum voluntate fiunt, nonnunquam Deo tribui, non quidem volenti, aut efficienti, ſed permittenti, quia Diabolus tentare, nec homo malum quidpiam operari valet, nisi Deo permittente, ut ex tota historia S. Jobi manifestiſsime apparet. Maxime autem ea, quæ Diabolo incitante, & mala hominis voluntate fiunt, Deo in Scripturis ſacris tunc attribui videntur, quando iis uſus est Deus ad castigandos homines, varias per ea illis, ob peccata ipsorum, immitens afflictiones, ut in hoc duplici facto Semei maledicentis, & Davidis populum numerantis, videre est. Denique verba Christi dicta Judæ proditori, *quod facis, fac citius*: non juſsionem, ſed permiſsionem significant. Præclare S. Leo Serm: 7. de paſsione Domini verba illa explanat: *Vox non jubentis est, ſed sinentis, nec trepidi, ſed parati, qui habens omnium temporum potestatem, ostendit ſe, & moram non facere traditori, & ſic ad redemptionem mundi Paternam exequi voluntatem, ut facinus, quod á persequentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret.*

Obijcies 2do: In libro 3tio Regum Cap: 22. Spiritui nequam dicenti: *Ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum* (Achab) *dixit Dominus, decipies, & prævalebis*

bis, egredere, & fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus Spiritum mendacii, in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt, & Dominus locutus est contra te malum. Huic affine est aliud, quod 2. Regum Cap: 12. habetur, ubi Deus ita David alloquitur: *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in occulis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in occulis solis hujus, tu enim fecisti abscondite,, ego autem faciam verbum istud, in conspectu omnis Israel.* Hæc autem postea nutu Dei executus est, ipse Davidis filius, Absalon. Unde tale exurgit argumentum. Deceptio, mendatium, incestus, magna sunt flagitia. Ista vero voluit, & præcepit Deus. Ergo.

Resp: Istiusmodi flagitia non voluit Deus, voluntate positiva, sed illa tantummodo fieri permisit. Nonnunquam siquidem verba quædam sacræ Scripturæ, licet expressum, positivumque Dei mandatum continere videantur, attamen nonnisi meram Dei permissionem designant. Videt nempe aliquando Deus pravam Diaboli, vel hominis voluntatem, sinit illam exequi, occultoque suo judicio, permittit ut homines in scelera ruant; non quatenus ea directe velit, sed quatenus sunt aliorum scelerum pænæ, ipsa fieri sinit. Et ex ipso Scripturæ textu, qui primo in objectione positus est, clarissime patet, Spiritum nequam sponte se ipsum obtulisse, veniamque à Deo petiisse, ut Regem Achab deciperet: *Ero spiritus mendax.* Quamobrem sequentia Dei verba, *decipies, egredere, & fac ita*, solam designant permissionem, quare & sequentia, quæ subjunguntur, *dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum*, ea ratione intelligenda sunt, quod Deus lumen suum subducens, permisit ut illi in turpissimum errorem prolaberentur, & prorsus cæcutirent. Ad secundum vero Scripturæ locum, ubi Deus alloquitur Davidem, notandum est, peccata considerari posse vel ut sunt opera malitiæ plena, & formaliter mala, vel quatenus sunt physica mala, ac pænæ à Deo peccatoribus inflictæ in punitionem, & vindictam præcedentium scelerum, ab illis hominibus admissorum præordinatæ. Hoc postremo modo, peccata Absalon permisit Deus, prava utens illius voluntate, ut peccata Davidis castigaret, primo autem modo spectata, nedum illa noluit, sed & aperte damnavit, imo Absalonis factum adeo displicuit Deo, ut postea illud graviter ultus sit.

Dices: Amos Cap: 3. legitur: *Si est malum in Civitate*

tate quod non fecerit Dominus, omnium ergo malorum causa est Deus.

Resp: Duplex est malum, nimirum pœnæ, & culpæ: Istud posterius Deo repugnat, ideoque illud tantum permittit Deus, prius vero juste velle potest, & facere. Ubicunque ergo Scriptura dicit, quod Deus malum creat, velit, faciat, intelligi debet de malis pœnæ, atque suppliciis, quæ pro demeritis immitit Deus peccatoribus. Quare & Amos Propheta respicit proximas calamitates, quas experiri debebant Judæi, propter propria sua delicta, & quia hæc â Deo immittenda ipsis erant, ideo dicit quod non sit futurum malum, quod non fecerit Dominus, nulla futura calamitas, quæ non sit ab eo ipsis eventura, unde cum prius dixisset: *Audite verbum quod locutus est Dominus super vos, visitabo super vos omnes iniquitates vestras*, postea subdit ea quæ sequuntur, *si est malum in civitate, quod non fecerit Dominus.*

Obijcies 3tio: Genesis Cap: 45. Joseph sic fratres suos affatur, atque consolatur, cum ipsum per summum scelus in Egyptum vendidissent: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Acto: Cap: 2. Christus dicitur à Judæis interfectus: *definito consilio*, & Cap: 4. scriptum est: *Convenerunt Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Israel facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.* Unde ita argumentari licet. Venditio Joseph & Christi Domini occisio, scelera fuerunt atrocissima. Illa autem ex Dei voluntate, definitoque illius consilio, fuerunt peracta. Ergo.

Resp: Ex Dei consilio, & voluntate illa peracta fuerunt, quatenus peccatis illis veluti mediis usus est Deus, ad bonum finem, non vero quod ea scelera absolute, & per se, atque directe voluerit, atque fieri decreverit. Consilio siquidem suo permittit Deus peccata, sed illa in bonum vertit finem, ut enim dicebat S. Augustinus, *voluit potius de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere.* Quamobrem eo solum pacto Joseph consilio Dei venditus à fratribus dicitur, quod illorum scelus à se prævisum permiserit, ut inde majus utrisque proveniens, educeret bonum, quod & ipse probavit eventus, atque id clarissime denotant subsequentia Joseph verba, quibus sic affatur fratres suos Cap: 20. *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos.* Unde manifestum est, Deum non fuisse causam malæ volunta-

luntatis, qua fratres Joseph Madianitis vendiderunt, sed illam sapientissimo consilio suo, convertisse in bonum, Christi quoque occisio ac ipsius mors, decreta quidem à Deo fuit, ut scilicet per ipsam Mundus redimeretur, & genus humanum salvaretur, sed perversitas, ac malitia Judæorum non fuit decreta, neque directe volita, sed ex consilio Divinæ voluntatis permissa, ut scilicet opus redemptionis perficeretur. Unde S. Leo Papa Serm: 16. de Passione Domini Cap: 4. ait: *Quod Dominus Jesus Christus furorem frementium pati voluerit, in nullo auctor eorum criminum fuit, nec egit, ut hæc vellent, sed cessit, ut possent.*

Quæres 7mo: Utrum ignorantia sit causa peccati?

Resp: Ignorantia sæpissime est causa peccati, & ipsa etiam si vincibilis fuerit, speciale est peccatum. Et quidem *1mo:* ignorantia sæpissime est causa peccati. Quod constat ex sacris Scripturis. Levit: Cap: 4. præscribitur modus offerendi hostias pro peccato Sacerdotis, Principis, & multitudinis per ignorantiam commisso, pariter etiam Numerorum Cap: 15. mandatur filiis Israel: *Si per ignorantiam prætermiseritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus, oblitaque fuerit facere multitudo, offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino,* & S. Petrus Apostolus Actor Cap: 3. sic alloquitur Judæos qui Christum crucifixerant: *Scio fratres, quia per ignorantiam fecistis,* Paulus vero I. Corinth: Cap. 2. ait: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Peccaverunt tamen Judæi Dominum Christum crucifigendo. Ergo sæpius per ignorantiam peccatur. Ignorantia ergo est aliquando causa peccati.

2do: est quoque ignorantia, si fuerit vincibilis, speciale quoddam peccatum. David siquidem postulat à Deo, ut sibi delicta juventutis & ignorantiæ remittantur: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine,* Psal: 24. & Apostolus Paulus I. Corinth: Cap: 14. ait: *Si quis ignorat, ignorabitur.* Et certe non minus peccatum est omittere scire, & addiscere ea, quæ quis scire potest, & debet, quam omittere illa facere, quæ quis facere potest, & tenetur.

Quæres 8vo: Ignorantia excusatne aliquando à peccato?

Resp: Ignorantia invincibilis, cujuscunque juris, sive naturalis, sive positivi excusat à peccato. Enimvero juxta Apostolum ad Rom: Cap: I. Gentiles inexcusabiles

erant,

erant, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Ex quo necessario infertur, quod si forte Déum invincibiliter ignorassent, excusati fuissent. Ignorantia ergo si fuerit invincibilis, excusat à peccato. Unde S. Augustinus libro 3. de libero arbit: Cap: 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quœrere, quod ignoras.* Et vero Deus impossibilia non præcipit. Porro ignorantiam invincibilem corrigere, impossibile est, alias non foret invincibilis, impossibile perconsequens est illa vitare, quæ ex illa fiunt, in iis ergo homo peccare neutiquam potest, alias Deus impossibilia præciperet, scilicet, & ignorantiam corrigere, quæ corrigi nequit, & illa vitare, quæ ex illa profluunt, cum tamen vitari nullo modo possint.

Et vero sit Christus de Judæis Joan: Cap: 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo, si opera non fecissem in eis, quœ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, scilicet non haberent infidelitatis peccatum quod in Christum non crediderint, si ipsis locutus non fuisset, & apud ipsos miracula non fecisset, tunc enim ignorantia eorum fuisset invincibilis, ac perconsequens â peccato ipsos excusaret. Unde S. Augustinus prædicta Christi expendens verba Tract: 89. in Joan: sic ait: *hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit, ut credatur in eum. Hoc peccatum, si non venisset, non utique haberent.* Unde juxta eundem S. Augustinum excusantur â culpa qui nihil unquam de Christo audierant, quia neque cognoverunt illum, neque voci ejus restiterunt. Ignorantia ergo invicibilis, â peccato excusat.

Quœres 9no: Utrum peccatum animam peccantis commaculat?

Resp: Peccatum animam peccantis commaculat, ac reipsa deturpat. Enimvero in libro Josue Cap: 12. dicitur: *Peccatis in Beelphegor, & macula hujus sceleris in vobis permanet*, & Jeremiæ Cap: 2. dicit Deus filiæ Sion, *maculata es in iniquitate tua coram me.* Unde David Psal: 50. rogat Deum: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & â peccato meo munda me*, quia scilicet iniquitate sua maculatum, & peccato suo deturpatum, se esse sentiebat. Verum in quo sita sit hæc peccati macula, difficile est explicare. Probabilissima est illorum opinio, qui maculam peccati reponunt, in privatione illius nitoris, qui anima-

tum

tum ex ipsius natura, & maxime ex gratia sanctificante inexistebat, atque in deformitate ex peccato resultante. Namque sicut corpus dicitur maculatum, cum caret nitore sibi debito, & magis adhuc, cum eo quod nitori contrarium est defædatur, ita etiam, maculatur anima, cum suum nitorem à mittit, & quapiam fætitate deturpatur.

ARTICULUS 2dus

De variis peccatorum speciebus.

Quæres 1mo: Quot sunt peccatorum species?

Resp: Multæ sunt peccatorum species. Aliud enim est peccatorum *originale*, quod ex Adam primo Parente nostro, ipsa nativitate contrahitur, aliud *personale* quod propria peccantis voluntate committitur. Personale vero peccatum vel est *mortale*, quod est gravis Dei offensa, ac proinde mortem animæ infert, donisque gratiarum illam spoliat, vel etiam *veniale*, quod est levius peccato mortali, & venia magis apud Deum dignum, neque mortem animæ infert, sed illam solum debilitat, neque ipsam etiam donis gratiarum privat, sed candorem illius obscurat. Peccatum originale olim inficiati sunt Pelagiani hæretici, hunc autem errorem postremis temporibus renovarunt Albigenses, Anabaptistæ, ac demum Sociniani quos omnes Concilium Tridentinum Sess: 5. condemnavit. Calvinus, & multi illius asseclæ, affirmant nulla dari peccata venialia, sed omnia esse ex se mortalia, tantummodo ex Divina misericordia, & benignitate pro mortalibus non imputari. Illorum etiam errorem reprobavit Concilium Trident: Sess: 6. Cap: 11. & Sess: 14. Cap: 5. de Pænit: unde rectissime à S. Pio 5. Pontiphice damnata est ista propositio inter Bajanas 20. *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Quæres 2do: Utrum detur peccatum originale?

Resp: Dari peccatum originale fidei dogma est. Et id constat ex apertissimis sacræ Scripturæ testimoniis David Psal: 50. ait: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: & ut ipse habet fons hebraicus. *Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato calefecit me mater mea*, unde etiam versiones Chaldaica, Syriaca, Arabica, numerum singularem habent. Porro eadem est conceptio omnium hominum, qualis fuit Davidis, omnes

mnes siquidem homines eadem via, & ratione progignuntur. Si ergo David, in peccato, & in iniquitate conceptus est, pariter et omnes homines in peccato, & in iniquitate concipiuntur, & nascuntur. Hoc ergo est peccatum originale. Deinde Apostolus ad Rom: Cap: 5. ait: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Clarissime hic Apostolus affirmat, per unum hominem scilicet Adamum, peccatum in hunc mundum intrasse, id est universum genus humanum infecisse, & per peccatum mortem, quæ pœna peccati est, juxta divinam comminationem Adæ factam, Genesis Cap: 2. *Quocunque die comederis ex eo, morte morieris:* omnesque homines in Adam peccasse, ac propterea etiam in omnes homines, infantes quoque & parvulos, qui peccati personalis capaces non sunt, mortem pertransiisse. Non de alio ergo hic Apostolus loquitur peccato, nisi de originali, quod ex Adam conceptione & nativitate, omnes homines contrahunt, ac propter illud omnes morti subjacent. Unde Sapientiæ Cap: 2. dicitur: *Deus creavit hominem inexterminabilem, ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, invidia autem diaboli, mors intravit in orbem terrarum.*

Priorem autem suam sententiam confirmat Apostolus per hanc alteram I. Corinth: Cap: 15. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Porro per peccatum mors, invidia Diaboli qua seductus est Adam, in mundum intravit, atque propterea omnes morimur, quia omnes in Adam peccavimus. Ergo cum in Adam omnes moriamur, omnes etiam in illo peccavimus. Unde idem Apostolus ad Rom: Cap: 5. ait: *Unius delicto, mors regnavit per unum.* Neque hic Paulus de sola temporali morte corporis agit, sed etiam de morte spiritus, quæ æternam post se trahit damnationem; loquitur, subdidit namque ibidem: *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, & prius etiam scripserat: *Judicium ex uno in condemnationem.* Utraque ergo mors corporis & spiritus, ex Adam per illius peccatum, in omnes homines defluxit, à qua, gratia Christi liberamur, quia per illum & justificamur, & vivificamur. Quapropter iterum subjungit Apostolus: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituuntur multi.* Unde præclare S. Ju-

stinus

stinus Martyr in Dialogo cum Tryphone ait: *Sicut unius inobedientia causa est damnationis omnibus, qui corporaliter ab eo descendunt, ita Christi obedientia confert vitam iis, qui per ipsum ſpiritualiter regenerantur*, & S. Augustinus libro 6. contra Julianum Pelegianum Cap: 24. *Omnes ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Christum, quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Cum itaque omnes homines in Adam moriuntur, illius delicto mors regnat in omnes homines, per ipsius inobedientiam, peccatores omnes constituuntur, quia ut inquit S. Job Cap: 14. juxta antiquiſsimam 70. Interpretum versionem: *Quis mundus à corde? nec unus, si & una dies vitæ ejus in terra*, ex uno Adam judicium in condemnationem in omnes, unde omnes natura filii iræ constituimur, ut docet Apostolus Epist: ad Ephes: Cap: 2. Dari ergo peccatum originale, in omnes homines transfusum indubitatum dogma est.

Quæres 3tio. An præter mortalia peccata, dentur etiam peccata ex natura ſua venialia?

Resp: Dantur reipsa peccata venialia, quæ independenter à misericordia ac benignitate Dei, talia ex natura ſua ſunt. Et id aperte constat ex ſacris Scripturis, quæ intrinsecum mortalis, venialisque peccati discrimen, statuunt. Siquidem Math: Cap: 7. quædam peccata comparantur feſtucæ, quædam trabi, & Cap. 22 quædam culici, quædam camelo, & I. Corinth: Cap: 3. quædam ligno, quædam fæno, alia stipulæ, quæ facile absumuntur, ut ſignificetur illa facile remitti, quia charitatem non tollunt, dum enim illa perpetrantur, manet adhuc charitas, quæ nos Deo conjungit. Hinc est quod Apoſtolus, illorum peccatorum reum, ſalvum fore affirmat: *Ipse autem ſalvus erit, sic tamen quasi per ignem.* E contra autem, de iis, qui in graviora facinora prolabuntur, Epist: ad Galatas Cap: 5. ſcribit: *Qui talia agunt, regnum Dei non poſsidebunt.* Deinde Christus Math: Cap: 5. sic loquitur: *Ego dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Tria hic convitii genera describit Christus, eorumque ultimo, dumtaxat æternam damnationem comminatur, duobus autem prioribus, nonnisi temporale adjungit ſupplicium. Porro peccatis mortalibus gehennæ æternas pænas attribui, in confeſso est apud omnes, quæ ergo temporalibus ſolum afficiuntur pænis, non ſunt mortalia, ſed venia-

nialia peccata, & natura ſua, prioribus minora. Præterea in ſacris Scripturis pluries dicitur, neminem sine peccato vivere, ita ut nec ipsi justi eo unquam vacent. Sic Eccles: Cap: 7. ſcribitur: *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Jacobi Cap: 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Joan: Cap: 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos ſeducimus, & veritas in nobis non est.* Clarius vero ac prorsus decisive, Prov: Cap: 24. *Septies cadet justus, & resurget.* Si ergo peccant quandoque homines, licet á gratia, & amicitia Dei, per id non excidant, quinimo in illius amore, charitateque permaneant, ſequitur neceſsario; admitti debere peccata aliqua, quæ natura ſua neque Dei amicitiam diſsolvunt, neque æternam merentur pænam, ac proinde natura ſua venialia ſunt, non mortalia. Et hæc est doctrina SS. Patrum. Ambrosius libro 2. de Pænitentia Cap: 10. ait: *Sicut baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati, ſed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* Sunt ergo peccata levia, & quotidiana, hæc autem aliá eſse nequeunt, nisi venialia. Sed etiam S. Gregorius M. libro 21. Moralium Cap: 9, aperte eandem doctrinam confirmat, dicens: *Hoc inter peccatum & crimen distat, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen est. Et in hac vita, multi sine crimine, nullus vero sine peccatis eſse valet. In qua videlicet peccatorum, & criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina extingvunt.* Demum ipsa ratio hanc corroborat veritatem. Hæc enim ostendit, non omni offensione amicitiam Divinam diſsolvi, adeo; ut odium, & abominationem illius incurramus. Ut enim offensio aliqua gravis eſse potest, gravior alia, alia denique graviſsima, ita etiam levis alia, levior, & leviſsima quædam eſse potest. Porro injustum foret, si æque Deus ob offensionem ſui graviſsimam, ac propter leviſsimam, amicitiam diſsolvere, omnemque gratiam abrumpere velſet. Anne Deus justum hominem longe à ſe proijciet, sive officiosum protulerit mendacium, sive furta, homicidia perpetraverit? Id certe Divinæ clementiæ multum derogat, & bonitati, ac justitiæ ipsius adversatur. Displicent quidem Patri, parva etiam ac communia filiorum vitia, nec tamen eos propterea vel ſua privat gratia, vel iure hæreditatis exspoliat. Si hoc præstant homines, & recte ac juste quidem, istud ipsum à Divina bonitate ac justitia removeri

nequit.

nequit. Postremo: quis non exhorrescat ad hanc propositionem, Deum velle nos, quos proprio cruore redemit, propter levissima quæque, æternis inferorum cruciatibus torquendos, addicere. Sacris itaque litteris, Patrum traditione, ac naturali ratiocinio statutum immobiliter manet, præter mortalia, esse etiam quædam peccata, quæ sint ex natura sua venialia.

Obijcies 1mo. Joannis Cap: 13. refertur, recusanti Petro pedum lotionem, ita Christum dixisse: *Si non lavero te, non habebis partem mecum:* nempe ut sacri explanant Interpretes, in consortio in regno cælesti. Illa autem Petri recusatio, quia ab ejus fide, reverentia, atque humilitate proveniebat, excusabilis erat à peccato mortali, fuitque venialis culpa. Tantam ergo pænam comminatus est ei Christus, ob solam venialem culpam, adeoque nullum peccatum tam leve censeri debet, quod exclusionem non mereatur à regno cælorum. *2do.* Epist: Jacobi Cap: 2. dicitur: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus,* per cujusvis ergo generis peccatum, incurrere debet homo, æternam mortem. *3tio.* Math: Cap: 5. absolute Christus dixit: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.*

Resp: ad 1mum. Petro fuit comminata exclusio à regno cælorum, quia præcepto Christi obsequendum erat, sicut olim præcepto Dei vetantis primis parentibus, ne de ligno scientiæ ederent, Non tamen Christus verba tam severa proferre voluisset, nisi mysterium aliquod in eis intendisset, illudque magnum, quod nemo scilicet potest habere partem cum Deo, quem Christus gratia sua non laverit, atque sanctificaverit.

Ad 2dum. Videtur nihil aliud S. Jacobum innuere voluisse, quam unius præcepti trasgressionem, qua etiam mortale peccatum committitur, satis esse ad perditionem, etiamsi cætera omnia serventur, unde Paulus verba Moysis repetens Epist: ad Galatas Cap: 3. scripsit: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea:* ideo ergo dixit S. Jacobus quod qui offendit in uno, factus est omnium reus.

Ad 3tium. Christus eo loci exagitat hypocrisim, fallacemque Pharisæorum justitiam. Contendebant siquidem illi, satis observari legem non occidendo, non mæchando, non jurando per terribile nomen Dei, licere tamen iræ fræna laxare, contumelia proximum afficere, per cæ-

lum, per caput ſuum jurare. Hæc autem graviſsima, cum eſsent peccata, Pharisæi tamen minima illa appellare non verebantur. Jllos ergo tam perverse ſentientes compescere Christus volens merito dixit: *Qui ſolverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum.*

Dices. Opus bonum quodcunque vitæ æternæ stipendium promeretur, quidni cujusvis rationis opus malum, promereatur pænam mortis æternæ.

Resp: Inter meritum operis boni, & demeritum peccati, non mediocris reperitur differentia. Meritum boni operis dependet totum à Dei voluntate, & ipsius miseratione, quæ proportionem non requirit, inter opus & mercedem, demeritum vero peccati dignoscitur ex ſola operis mali conditione. Quare nihil mirum, si opus bonum coronetur ex Divinæ bonitatis abundantia ac liberalitate, ultra condignum, cum vero Deus sit justiſsimus, ſemper castigat ſervatis æquitatis regulis, pænasque decernit juxta demeritum.

Quæres 4to. In quo præcise consistit discrimen inter peccatum mortale & veniale?

Resp: Peccatum mortale & veniale eo differunt, quod peccatum mortale gravis ſit legis transgreſsio, veniale vero levis ſolum. Peccatum namque est transgreſsio legis. Ergo ubi transgreſsio est gravis, peccatum erit grave, ubi transgreſsio est levis, peccatum erit leve. Quæ vero censeri debet transgreſsio legis gravis, quæ autem levis, id ab ipsa lege, materia sive imperata, sive prohibita, modo quo lex disponit, ex fine & modo legem transgredientis, atque ex variis circumstantiis dependent. Certe si lex gravis, graviter præcipiens, in materia gravi violetur, erit tranſgreſsio gravis, si in materia levi, vel lex leviter ſolum precipiens violetur, erit transgreſsio levis. Pariter si lex etiam in materia levi violetur, ſed fine, modo, graviter disordinatis, atque disconvenientibus, erit transgreſsio gravis, si desit istiusmodi adeo perversus finis, modus, erit transgreſsio legis levis.

Quæres 5to. Quæ, & quanta sit malitia peccati mortalis?

Resp: Malitia peccati mortalis, licetsi re vera finita ſit, aliquo ſensu tamen infinita dici potest. Peccatum namque mortale, quatenus actus humanus est, finitum eſse nemo dubitat, ab homine siquidem, utpote finita causa, non nisi finitus effectus prodire potest. Sed quando consideratur

ratur peccatum, quatenus gravem supremo Numini infert injuriam, Deumque graviter offendit, in hoc sensu dici potest, habere malitiam infinitam. Enimvero qualitas offensæ, desumitur ex qualitate & dignitate personæ offensæ, & quæ injuria afficitur, quemadmodum qualitas honoris, ex qualitate & conditione personæ honorantis rite æstimatur, ut habet tritum illud, ac notissimum axioma: *Honor est in honorante, offensio in persona offensa*, hinc multo gravior creditur contumelia, præclaro, vel præcellenti alicui illata viro, quam quæ infertur inferiori, & viliori. Cum itaque per peccatum mortale gravis irrogetur injuria, & atrociter offendatur Deus ter optimus, maximus, infinitæ dignitatis, atque excellentiæ, consequens est: peccatum mortale infinitam habere malitiam.

CAPUT SECUNDUM

De pœnis peccatorum.

Pænæ peccatorum aliæ sunt præsentis vitæ, aliæ futuræ.

ARTICULUS 2dus

De Pœnis peccatorum præsentis vitæ.

Quæres 1mo. Quæ sunt peccatorum pœnæ præsentis vitæ?

Resp: Pænæ peccatorum, quas in hac vita homines peccatores sufferre coguntur, sunt aliæ internæ, tristitia, meror, perturbatio, timores, anxietates, maxime vero conscientiæ remorsus, animique tribulationes; externæ, morbi, calamitates, ærumnæ, languores, infirmitates, ac denique mors ipsa.

Quæres 2do. Utrum peccatores experiantur in hac vita remorsus conscientiæ?

Resp: Commune, atque usitatissimum est, impios ac scelestos homines, gravissimos conscientiæ, in pænam suorum scelerum, experiri remorsus, qui ipsos condemnant & tor-

& torquent, quod & continua probat experientia, & nemo est tam obdurati cordis, ut non aliquando & audiat vocem conscientiæ ſuæ, ſua sibi ſcelera exprobrantis, & duros ipsius ſentiat aculeos animum ſuum pungentes, atque dire torquentes, cujus veritatis, & Plutarchus ſuum ponit testimonium, libro de tranquillitate & ſerenitate animi pro certo affirmans, quod *neque tecta ſumptuosa, neque auri vis, nec natalium claritas, neque moles imperii, ſerenitatem & tranquillitatem vitæ præstat tantam, quantum á factis animus, et consiliis tetris purus, qui vitæ fontem habet mentem placidam, atque impollutam, ex qua honestæ emanant actiones. Contra malefactorum conscientia, veluti ulcus in carne, in animo pœnitentiam relinquit pungentem ſubinde, atque ſauciantem.* Sicuti ergo homo virtute præditus, animum habet sibi bene conscium. tranquillum, atque ſerenum, ac interna perfruitur pace, quæ juge est animi convivium, ita è contra homo vitiis deditus continuo timoribus angustiatur, angoribus constringitur, sibi etiam irascitur, dentibus fremet, & tabescit. Et hæc est pæna peccatorum, quam impii primo in hac vita experiuntur, unde juvenalis initio Sat: 13. ita ſcribit: *Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi displicet auctori. Prima est hæc ultio quod se.*

Judice nemo nocens absolvitur.

Quæres 3tio. Præsentis vitæ calamitates quæ accidunt hominibus, ſuntne peccati pœnæ?

Resp: Calamitates præsentis vitæ, quæ hominibus accidunt, ſunt & peccati originalis, & aliorum personalium peccatorum pænæ, juste nobis à Deo impositæ. Enimvero ut inquit S. Augustinus libro 1. Oper: imperf: Cap: 39. *ſub Deo justo miser eſse quisquam, nisi mereatur, non potest.* Profecto contra ſanam rationem videtur eſse, Divinæque naturæ atque attributis ſummopere repugnat, hominem omni culpa vacuum, planeque inſontem tot angi angustiis, tantisque opprimi malis, ut hominis conditio longe deterior videatur, quam belluarum. Namque non est dubium, hominem nobiliſsimum eſse, inter omnia viventia, è contratio autem constat ipsum gravioribus miseriis, calamitatibusque acrioribus opprimi, quam cetera experiantur viventia. Quamobrem, si hæc omnia homini nullius peccati reo, ſed innocenti advenirent, jam natura iniqua ei fuiſset noverca, ipsique bestias præposuiſset. Quod cum nemo, nisi insanus aſseverare poſsit, concludendum est, præsentis vitæ calamitates, quæ nobis acci-

accidunt, esse pænas nostrorum peccatorum. Et certe esse in vita, ac natura hominis gravissima mala, ipsæ sacræ litteræ testantur, Job Cap: 14. ait: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*: & Sapient: Cap: 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio, deprimit sensum, multa cogitantem.* Quis enim non malum affirmet, hominem multis miseriis undique oppressum, & brevi tempore vivere, diesque habere adinstar umbrarum prætereuntes, jugum grave per totum vitæ tempus ferre, & animam nobiliorem, digrioremque partem, á corpore aggravari, atque ab illius inordinatis appetitibus violenter abripi. Jam vero justissimus Deus, atque amantissimus hominum Pater, certe non sineret homines tantis malis affligi, tantis miseriis obrui, nisi criminis rei essent.

Et certe justitia divina fundamentum, & norma est ejus, quæ inter homines exerceri debet, æquitatis. Si igitur humani Principes, nec pænas sibi subjectis irrogant, nec malis ullis eos affici sinunt, sine delicto, & demerito, alias tamquam injusti merito audirentur, à fortiori consequens est, neque Deum Rectorem, Conditoremque hominum justissimum, & amantissimum, tantas creaturis suis miserias, calamitatesque immisisse, & immittere, nisi ipsas propter delicta sua promeruerint.

Sed si totam sacram percurramus Scripturam, ubique reperiemus miserias, calamitatesque communes, quæ omnibus hominibus quamquam justissimis, imo parvulis, etiam quæ peccati personalis capaces non sunt, in pænam peccati originalis nobis à Deo immitti, has etiam & alias multas particulares, ac singulares tribulationes, in vindictam personalium peccatorum, à Deo hominibus imponi. Genesis Cap: 3. post lapsum Protoparentum nostrorum sic Deus Evam affatur: *Multiplicabo œrumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub potestate viri eris.* Ad Adam vero ait: *Quia audisti vocem uxoris tuœ, & comedisti de ligno, ex quo prœceperam tibi ne comederes maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitœ tuœ. Spinas, & tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terrœ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua assumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Ex quibus clarissime patet, omnes miserias, calamitatesque vitæ præsentis, ipsam quoque mortem, propter peccatum originale, in genus humanum immissas esse, & hoc est ut inquit

Eccle-

Ecclesiastes Cap: 4. *jugum grave, quod imposuit Deus ſuper humeros filiorum Adæ, â die exitus de ventre matris eorum, usque ad diem ſepulturæ.* Pariter propter personalia multorum peccata, calamitates varias Deus adduxit, vindictam de peccatoribus justam ſumens. Sic cum Cain occidiſset Abel fratrem ſuum, ait ad eum Deus: Genesis Cap: 4 *Maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum & ſuscepit sanguinem fratris tui. Cum operatus fueris eam, non dabit fructus ſuos:* & quando omnis caro corruperat viam ſuam, diluvio mundum damnavit, completa iniquitate, de Cælo immiſso igne vastavit Civitates Sodomam, & Gomorram, Saul quia non obedivit voci Domini, regno privatus est, David propter adulterium, homicidiumque â se patrata, tot calamitatibus à Deo afflictus fuit. Si legatur vel unus Deuteronomii liber, videbimus omnes maledictiones à Moyse filiis Israel prædici, in pænam prævaricationis divinorum mandatorum. Indubitatum ergo est, miserias, & calamitates præsentis vitæ, eſse pænas peccatorum.

Obijcies 1mo: Magna hominis miseria est cæcitas. Porro hæc absque ullo peccato immiſsa fuit aliquando à Deo, quemadmodum constat ex historia cæci nati. Joan; Cap: 9. de quo ait Christus, *neque hic peccavit, neque parentes ejus*: *2do*: calamitates atque miseriæ præsentis vitæ, ſunt consectaria naturæ, non vero pænæ peccati.

Resp: Post exortas sectas quorundam Philosophorum, Platonicorum scilicet, & Pythagoreorum, constat etiam apud Judæos, ex commertio cum Græcis, irrepsiſse ſententiam metempsycheseos, sive transmigrationis animarum, quæ ex uno in alterum corpus, perenni transi[illegible]rent revolutione. Et hoc liquet ex Philone Judæorum [illegible]ſsimo, qui hanc opinionem amplexus est. Interrogan[illegible] itaque Judæis, de illo cæco nato: *Quis peccavit, hic, parentes ejus, ut cæcus nasceretur.* Christus respon[illegible] *Neque hic, neque parentes ejus*, scilicet ipsum nullum [illegible]nteriori vita, actuale commisiſse peccatum, propter [illegible], quemadmodum illi ſuspicabantur, pænam cæcitatis [illegible] ipso ortu, ſustineret.

Ad 2dum: Attento præsenti hominis statu, miseriæ, ac calamitates hujus vitæ, ſunt pænæ peccati. Enimvero indubitatum est, quemadmodum docet Sapiens Cap: 2; hominem ab initio creatum à Deo fuiſse rectum, & inexterminabilem, ſed invidia Diaboli ſeductus, per peccatum, in

in deterius commutatus, infinitis pene miseriis, in pænam sui delicti, obnoxius factus est.

ARTICULUS 2dus

De pœnis peccatorum alterius vitæ.

Quæres 1mo: Utrum in altera vita supersint aliquæ peccatorum pœnæ?

Resp: Dari post mortem hominis alteram vitam, animamque hominis esse immortalem, compertissimum est. Sic enim de homine Spiritu Dei locutus est Ecclesiastes, Cap: 12. *Revertatur pulvis in terram suam, & Spiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum:* & infra ait: *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium, pro omni errato, sive bonum sit, sive malum:* pro bono præmium retribuendo, pro malo pænam infligendo, quare Proverb: Cap; 14. dicitur: *in malitia expelletur impius, sperat autem justus in morte sua,* & in Psalmis: mors peccatorum pessima, & mors Sanctorum prætiosa in conspectu Domini vocatur. Et Christus Mat Cap: 3. prædixit, quia in fine Mundi *congregabit triticum suum,* quo justi intelliguntur, *in horreum, paleas autem,* quo impii denotantur, *comburet igne inextinguibili.* Post mortem igitur hominis, & altera futura est vita, & judicium in quo omnes à Deo judicabuntur homines, ut quemadmodum docet Paulus Apostolus 2. Corinth Cap: 5. *referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Dantur ergo in futura vita & præmia bonis, & pænæ malis constitutæ. Ad hæc sufficiet hic egregium Grotii addidisse ratiocinium, qui libro 1. de veritate Religionis Christianæ, sic nervose probat, præmia & pænas, post hujus vitæ exitum homines manere. *Etiam animos superesse corporibus, statui necesse est, quæ antiquissima traditio à primis Parentibus, (unde enim alioqui) ad populos moratiores pene omnes manavit, ut ex Homeri carminibus apparet, & ex Philosophis non Græcorum tantum, sed & Gallorum veterum, quos Druides vocabant, & Indorum, quos Brachmanes, & ex iis, qui de Egyptiis, & Thracibus, quin & Germanis, scriptores plurimi prodiderunt. Quia & de judicio divino post hanc vitam plurima extitisse videmus, non apud Græcos tantum, sed & apud Egyptios, & Indos, ut nos Strabo, Diogenes, Laertius, Plutarchus docent, etiam cum in Canarias*

Ame,

Americam, & alia longinqua loca primum ventum est, reperta ibi quoque eadem, de animis ac judicio ſententia. Neque vero ullum reperiri potest ex natura petitum argumentum, quod hanc tam veterem, tam late patentem traditionem refellat. De animarum igitur humanarum immortalitate, futura vita, futuroque judicio, quod neceſsario præmiorum, pænarumque consequitur retributio est vetustiſsima, à primis Parentibus nostris orta, late patens, ac apud omnes Gentes Philosophosque pervulgatiſsima traditio, atque doctrina. Quoniam vero ut scribit Cicero, omnium consensus, naturæ vox est, quæ fallere & falli nequit, & commenta hominum deleant dies, veritatem confirment, evidentiſsimum est, post mortem hominis dari alteram vitam, in illaque ſupereſse pænas malis præfinitas.

Quæres 2do: Quales ſunt istiusmodi pœnæ, in futura vita, peccatoribus præordinatæ?

Resp: Duplices ſunt, aliæ æternæ, quæ in Inferno à damnatis luentur, aliæ temporales, qualibus justi, quibus adhuc in hac vita luendum aliquid ſupererat, expiantur. Cum enim & peccata inæqualia sint, alia graviora, alia leviora, & qui peccatis onusti ſunt, alii vere pænitentes, alii impænitentes, in sceleribus obdurati, ex hac vita discedunt, ideo alii justo Dei judicio in æternum, ad pænas inferni condemnantur, alii temporalibus Purgatorii pænis expiantur.

Quæres 3tio: Utrum reipsa pœnæ Inferni æternæ sint?

Resp: Pænas inferni eſse æternas, evidentiſsime Sacræ Scripturæ testimoniis evincitur. Isaias Propheta Cap: 66. de damnatis, atque à Deo reprobatis dicit: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extingvetur, & erunt usque ad satietatem visionis omnis carnis.* Conveniunt omnes cum interpretibus Christianis Hebræi, de peccatorum futuris pænis, hoc loco à Propheta sermonem institui. Vermis itaque sive litteraliter accipiatur, sive pro conscientiæ clamore, non morietur, eritque immortalis, æternumque damnatos excruciabit, ignis autem eorum non extingvetur, eadem nempe ratione, infelices illos perpetuo aduret, atque torrebit. Unde idem Propheta Cap: 33. Peccatores & hypocritas ita allocutus est: *Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Luculentiſsimum est pariter testimonium Danielis, quod Cap: 12. ita legitur:

Multi

Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant ſemper. Et ut habet fons ipse hebraicus, *in contemptum* quam etiam lectionem secuti ſunt. 70. interpretes. Agit itaque hic Propheta de futuro hominum statu, in die ſupremi judicii, ut totum illud caput legenti statim innotescit. Prædicit vero de bonis, quod æternam vitam sint habituri, de cæteris autem ait futuros ſemper in opprobrium ſempiternum. Igitur ex Daniele: æterna erit impiorum pæna. Salomon quoque in libro Sapientiæ Cap: 4. de impiis affirmat, quia *erunt decedentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum,* de beatis vero ait: *Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces illorum.* Neque hæc quæ de impiis dixit, intelligenda ſunt, de hujus Sæculi dedecore, & contumelia, postquam enim Salomon recenſuit illorum post hanc vitam quærelas, & inutilem pænitentiam, eorundem tandem ſupplicia æterna, opponit. Beatorum, quos in hac vita ipsi contempserunt æternis gaudiis, quemadmodum ergo affirmat, infutura vita justos perpetuo victuros, & apud Deum mercedem illorum permansuram, ita quoque aſserit; impios in contumelia, & dedecore ſempiterno, à Deo relictos fore.

Aſsertioni tam perspicuæ Salomonis, præiverat ipsius parens David variis in locis. Sed præcipue Psalmo 48. ubi de divite verba faciens, ait: *Quoniam cum interierit, non ſumet omnia neque descendet cum eo gloria ejus, introibit usque in progenies patrum ſuorum, & usque in æternum non videbit lumen.* Et longe ante Davidem scripserat Job: Cap: 4. de peccatoribus: *De mane usque ad vesperam ſuccidentur, & quia nullus intelligit, in æternum peribunt:* de inferno pariter loquens Cap: 10. vocat eum *terram tœnebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tœnebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Sed in novo Testamento clariora hujus veritatis inveniuntur testimonia. Math: Cap: 3. de Christo ait S. Joannes Baptista: *Cujus ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextingvibili.* Et ipse etiam Christus apud eundem Evangelistam Cap: 18. inquit: *Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum:* tandem ut ipsemet Math: Cap: 25. prædixit in die judicii con-

contra reprobos hanc proferet ſententiam. *Discedite à me maledicti in ignem æternum:* ac tandem concludit: *Et ibunt hi in ſuplicium æternum, justi autem in vitam æternam*, quæ verba decretoria ſunt, nam æque ignis æternus dicitur, ac vita beatorum æterna. Porro hæc vere æterna est, ergo etiam ignis vere æternus est. Hinc Paulus Apostolus Epist: 2. ad Theſs: Cap: 1. ait: *Qui non obediunt Evangelio Domini Nostri Jesu Christi, pænas dabunt in interitu æternas*, & S. Judas Apostolus Epistolæ ſuæ versu 13. inquit de peccatoribus: *Quibus procella tenebrarum ſervata est in æternum*, versu autem 6. dixerat: *Angelos, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reservari.* Vincula igitur hæc in æternum constrictos tenebunt, demones pariter & damnatos. Tandem S. Joannes Apocal: Cap: 14. de omni qui bestiam adoraverit scribit: *Hic bibet de vino iræ Dei, et cruciabitur igne et ſulphure, et fumus tormentorum eorum ascendet in ſæcula ſæculorum.*

Dices: Verbum illud, *in æternum*, ambiguum est, ac in pluribus Scripturæ ſacræ locis, finitum tempus designat.

Resp: Id non negatur, ſed quoniam in iis omnibus locis, in quibus de pænis impiorum ſermo est, non ſolum habetur verbum, *in æternum*, ſed aliquando etiam dicitur *in ſæcula ſæculorum*, quod immutabiliter veram & permanentem designat æternitatem, hinc concluditur illud, *in æternum*, in adductis Scripturæ locis, non tempus aliquod longum, quamquam definitum denotare, ſed veram significare æternitatem. Præterea quando verbum istud, *in æternum*, in Scripturis ſacris finitum tempus designat, id ex orationis ſerie, vel ex rei natura, vel ex collatione illius ſententiæ, cum aliis colligitur. At cum de pænis impiorum verba faciunt ſacri Scriptores, istud verbum, *in æternum*, aliter ſumi non potest, quam pro vera, & perenni æternitate. Quod enim aliqui Scriptores ſacri de istiusmodi pænis loquentes, per hanc vocem, *in æternum*, aserunt, id alii per voces *in ſæcula ſæculorum*, per *ignem inextingvibilem, vermem qui non moritur, ardores ſempiternos*, exprimunt. Hæc autem veram important æternitatem, illamque exprimunt. Merito itaque ubique ſemper proscriptus, et ab Ecclesia damnatus fuit Origenis & aliorum ipsius aſseclarum error, quo contendebat Dæmonum & impiorum pænas, non æternas, ſed temporaneas fore. Sufficit hic adduxiſse Epistolam Justiniani Imperatoris

toris, datam ad Mennam adversus Origenem; quæ ſcripta est instigante, & dictante, Pelagio Romanæ Ecclesiæ Diacono, quam Vigilius Papa probaverat, in qua ſequens Origenis recensetur, & damnatur error: *Si quis dicat, aut ſentit, temporaneam eſse dæmonum, vel impiorum hominum punitionem, ſinemque aliquo tempore hanc habituram, nimirum restitutionem futuram dæmonum, vel impiorum hominum fore, anathema sit.*

Quæres 4to: Utrum etiam aliqua ratione theologica; ſvaderi poſsit æternitas inferni pœnarum?

Resp: Potest utcunque ſvaderi, plures vero istiusmodi rationes adducunt Theologi, quarum hæc est. *ıma* Ecclesiastici Cap: 11, dicitur: *Lignum ubicunque ceciderit, illic erit.* Status ergo cujuscunque demortui, immutabilis erit, vel itaque in ſpe moritur vitæ æternæ, sive hic & nunc consequendæ, sive post aliquod tempus, purgatorii flammis expurgatus adipiscendæ, vel sine ſpe illam obtinendæ, in eo itaque statu perenniter manere debet, ac proinde aut ſalutem consequi, aut ab illa exul, & reprobus, in æternum permanere. *2do:* tanta est in inferno tormentorum vis, & acerbitas, tantusque omnis generis calamitatum cumulus, damnatos obruet, ut in feralem desperationem acti, clamaturi continuo sint: *Montes cadite ſuper nos.* Si autem vel remotiſsima eis illucesceret ſpes, fore ut aliquando ex iis miseriis eriperentur, jam minus ipsis congruere videretur, perluctuosus hic mæror, & tanta desperatio. *3tio:* haud licet pro damnatis fundere preces, vel ſacrificia offerre. Verum si ſuspicio aliqua foret, posſe inferorum flammam extingui, jam orare, & ſacrificia pro damnatis offerre liceret, quemadmodum Ecclesia pro iis, qui purgatoriis expiantur pænis & orare, & ſacrificia offerre consvevit. Sed maxime validum est rationis argumentum, quod ex communi hominum desumitur ſensu. Scilicet, communis hominum, Nationumque ſensus, fortiſsimum est indubitatæ veritatis argumentum. Porro in inferno damnatorum pænas eſse æternas, communis hominum & Nationum credit ſensus. Enimvero quantum ad Judaicam gentem, cujus præ ceteris antiquitati refragari, Eruditi piaculum ducunt, jam ex iis ſententiis, quæ ſupra de illorum libris allatæ ſunt, ſatis liquidum est, quid de futuro impiorum statu crediderint. Eandem veritatem confirmat Flavius Josephus tum libro de Bello Judaico, tum libro 8. Antiquit: cap: 2. de Thalmudistis, Bartolosius, quo nemo erat in eorum lectione exercitatus Tom: 2. Biblioth:

blioth: Rabin: Difsert: de inferno affirmat, *ex eis colligi. Infernum dari damnatorum, ibi ignem inextingvibilem, gelu, & alia tormenta reperiri, in eo animas tantum, & post judicium universale, simul cum corporibus impios usque in perpetuas æternitates, absque ulla ſpe ſalutis, cruciandos fore.* Idem ſentire Mahumedanos testantur, & pluribus probant Clafsenius, & Petrus Daniel Huetius in Concord: fidei, & rationis. De veteribus etiam Græcis, idem Huetius in laudato opere, libro. 2. Cap: 24. sic testatur: *Nefarios detrudunt in horribile Barathrum, in quo fluvius ingens Pyriphlegeton ex rapido & igneo fluvio Danielis ut videtur confictus, illic item tristes & inamœni omnes in loco immensæ latitudinis. Cruciatus illic varii, cruciatumque ministræ furiæ, ſævifsimi præcipue ignes, & vastus horror tenebrarum expreſsus, ad illas tenebras exteriores non ſemel à Christo memoratas. Spes illic omnis, ſcelestis præcisa, melioris ſortis. Hinc Belidum inexplebile dolium, hinc æterna illa Thesei ſ.ſsio. Hinc irremeabiles inferorum viæ. Hinc ferreæ portæ & centum vectes œrei.* Romanorum etiam Poætæ, qui ut plurimum communibus, maximeque à populo receptis opinionibus accomodare ſe ſolent, nusquam cefsaturas impiorum pænas cecinerunt, Virgilius, Seneca Tragicus. Propertius, Horatius, & alii. De Indis, & Brachmanis refert Strabo, libro 14. Geographiæ, illos & immortalitatem animarum, & inferorum æternas pænas tenuiſse. De Egyptiis tandem ſcribit Diodorus Siculus, libro I. ipsos de inferis eorumque pænis, eandem tenuiſse ſententiam, quæ apud Hebræos vigebat.

Ex quibus pronum est colligere, ſententiam, de pænarum infeni perpetuitate, quæ omnium populorum animis insederat, aut illos eam à natura hausiſse, aut ad illos ex Majorum traditione perveniſse. Quomodo enim fieri potuit, ut opinioni, quæ rationem offendit, ſuum afsensum adjecerint, tot ſapientifsimi ex antiquitate Philosophi, tot gentes, & nationes tum humaniores, tum immanitate barbaræ, illæque, moribus, ingeniis, legibus inter ſe difsidentes, immensisque terrarum intervallis ab invicem difsitæ. An ea opinio de ſempiternis impiorum crutiatibus, aliquid jucunditatis habebat, per quod populorum genitum in ſui complexum allicere poſset, & ſubinde tam generaliter propagari, tantoque ſæculorum intervallo perdunere? Quinimo ſquallorem illa undique ſpirat, amaritudiram, & desperationem. Itaque nimia confidentia jactitant

incre-

increduli, naturali rationi oppositam eſse ſententiam illam, quæ pænarum inferni perpetuitatem docet, cum ipsam tot populi receperint, tantaque constantia hucusque retinuerunt. Certe hanc opinionem Deus ipse primis hominibus, quos creavit, inspiravit, deinde per Noe ad ſeniorem transmiſsa posteritatem, singulariter autem in Hebraica gente conservata fuit, ex cujus commercio iterum aliæ Gentes, maxime Græci, Ægyptii, ac Romani eam acceperunt.

Objicies 1mo: Impoſsibile est ſupremum omnium rerum moderatorem Deum, eum finem circa res à ſe factas non obtinere, quem sibi in ipsarum creatione propoſuit. Finis autem quem sibi Deus proposuit, & ad quem rationales creaturas ordinavit, est ipsarum beatitudo, sive perfecta, & perpetua felicitas. Igitur si ad hanc nullo unquam tempore pervenirent, finem Deus sibi præstitutum non aſsequeretur, ac vehemens ille qui in nobis est beatitudinis appetitus, frustraneus, & inanis in damnatis eſset. *2do:* Dei clementia tanta est, ut nulla major cogitari poſsit. Porro nonne major foret Divina clementia, si post aliquod pænarum ſæcula, peccatoribus indulgeret, quam si perpetuo eosdem cruciari sineret. Et indulgere Deum ipsis poſse negari nequit, & si faceret, nihil inde detrimenti caperet, imo istud bonum ex hoc facto exurgeret, quod creaturæ ipsius, in æternum non torquerentur, divinamque misericordiam collaudarent. *3tio:* Sævus & crudelis ille merito judicatur, qui in reis puniendis non eorum emendationem & correctionem, ſed punitionem ipsam propter ſe quærit. Posito autem, quod pæna, quæ reis infligitur, non temporanea, ſed æterna sit, jam non eorum emendatio, aut correctio quæritur, ſed ſola punitio propter ſe. Est ergo ſævitia & crudelitas.

Resp: ad 1mum: Primus finis quem Deus in rerum omnium creatione sibi proposuit, fuit gloria ipsius, deinde bonum generale totius universi, ac tandem cura peculiaris individuorum, præsertim autem creaturarum rationalium, creaturas autem rationales ita ab initio formavit Deus, ut eas libero voluntatis arbitrio exornaverit, atque leges quasdam ipsis præscripsit, quas si recte observarent, æternam gloriam consequerentur. Quare creaturæ rationales ad Beatitudinem quidem ordinatæ à Deo ſunt, ſed conditionate, ita; ut illius consecutio à legum præscriptarum observatione dependeret. Verum est ineſse Homini à Deo sibi inditum Beatitudinis appetitum, ſed etiam in manibus hominum, ac in illius potestate relictum

est

est à Deo, ut & viribus naturæ bene utens, & gratia à Deo præventus, atque adjutus, desideratam obtinere poſsit Beatudinem, idque ſatis est, ad ſalvandam Divinam Providentiam, ita; ut si illam exoptatam felicitatem homo non consequatur, ipsius tantum culpæ, non autem Dei providentiæ tribuendum sit. Hinc præclare Eccles: Cap: 15: ait: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii ſui, adjecit mandata et præcepta ſua, si volueris mandata ſervare, conservabunt te.*

Ad 2dum: Divina clementia ſemper parata est ad remittenda hominum peccata, si id Dei justitiæ, aliisque ipsius attributis non adversetur. Clementia enim talis eſse debet in Deo, quæ æquitatis regulas, à ſemetipsa maxima ſapientia positas, non frangat. Exigit autem Divina justititia, ut perpetuæ pænæ iis infligantur, qui in obſirmata in malo voluntate, & obstinato erga Deum odio perseverare nunquam ceſsabunt, quemadmodum Divinæ pietatis est, eos, qui ab ejus amore nunquam desistent, æternis adimplere gaudiis.

Ad 3tium: Ad eſsentiam pænæ non requiritur neceſsario, ut ſemper sit medicinalis, & ad emendationem imponatur. Finis namque legislatoris in statuenda pæna, hic est, ut illa ad bonum publicum dirigatur, & pro criminum varietate, ac natura, vel sit medicinalis ipsi, cui pæna infligitur, vel aliis utilitatem offerat ex illius metu quemadmodum legitur Proverb: Cap: 19. *Pestilente flagellato, stultus ſapientior erit.* Ita gravium flagitiorum reus, ultimo mortis ſupplicio plecti ſolet, quod cum eum perpetuo vita privet, & ab humana divellat ſocietate, dici certe non potest, quod illa pæna ei inferatur ad emendationem, cujus non amplius erit capax, adhuc tamen ea pæna censetur justa, tum propter delictorum atrocitatem, tum ut reliqui, similium pavore contineantur in officio, & ita tranquillitas, & ſecuritas in ſocietate habeatur. Ita quoque damnatio impiorum æterna, medicinalis est, & ad correctionem viventium ſervit, qui ſcientes malos in æternum perditos eſse, ad mala non tam faciles, nec tam proni erunt.

Quæres 5to: Purgatorium estne etiam admittendu 1?

Resp: Purgatorium omnino admittendum est. Et id ipse agnovit ethnicus Philosophus Plato in Phædone, in quo Dialogo postquam Inferni locum descripserat, sic ait: *Animas quæ virtutem inter & vitium mediam viam tenuerunt, post ſententiam ab inferni judicibus latam ad*

Ache-

Acherontem profectas, conscensis vehiculis ad Acherasiadem paludem deportari, expiatisque illic per supplicia sceleribus solvi, & præmia tandem rerum bene gestarum recipere. Quœ vero insanabilibus sese facinoribus alligarunt, in Tartarum, absque ulla futuri exitus spe, precipitari. Hic Plato satis clare præter Infernum pro impiis destinatum, & ex quo exitus nulla est spes, pro iis qui inter virtutem & vitium mediam tenuerant viam, alium quempiam agnoscit locum, in quo animæ per supplicia a suis vitiis expiatæ, præmia tandem rerum bene gestarum recipiunt. Non levis certe Purgatorii adumbratio. Sed misso Platone, ex Scripturis sacris luculenter evincitur Purgatorii existentia. Enimvero: si in futura vita peccata à Deo hominibus remittuntur, si orationes, & preces pro mortuis fiunt, sacrificia pro iis offeruntur, ut á peccatis solvantur, ut istiusmodi precibus & sacrificiis juventur, existit indubie Purgatorium, in quo à reliquiis peccatorum animæ purgantur, pænas peccatis suis debitas, Divinæ justitiæ exsolvunt. Porro hæc ita se habent. Et quidem *1mo:* in futura vita peccata remittuntur. Mat: C: 12. ait Christus: *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Apertissime hic Christus supponit, in futuro sæculo peccata remitti. Ex eo autem evidenter consequitur dari Purgatorium. Non enim peccata remittuntur in Cælo, quia ut notissimum est, in illud nihil introibit coinquinatum. Non remittuntur in inferno, quia inde nulla datur redemptio. Super est ut aliqua peccata remittantur in Purgatorio. Ex eo igitur, quia infutura vita remittuntur peccata clare consequitur dari Purgatorium. Et vero Mat: C: 5. ait Christus: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum eo in via, neforte tradat te adversarius judici, & judex tortori, & mittaris in carcerem. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Per quæ Christi verba designatur in futura vita locus ubi delicta solvuntur, & unde tandem post solutum novissimum quadrantem, datur exitus. Hic vero locus cum non sit neque Cælum, neque Infernus, est ergo Purgatorium. Quas re antiqui Patres Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Eusebius Emissenus, prædicta Christi verba de Purgatorio intelligunt.

2do: Orationes, preces pro mortuis fiunt, sacrificia pro ipsis offeruntur, ut à peccatis solvantur. Sic Judas Machabæus, ut habetur libro 2. C: 12. duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum, sacrificium, sanctam siquidem ac salubrem noverat esse cogitationem, pro mortuis exorare, ut à peccatis solvantur. Sanctus quoque senior Tobias juniorem sic instruit Cap: 4. *Panem tuum, & vinum super sepulchrum justi constitue, & noli ex eo manducare, & bibere,*

cum peccatoribus, quibus verbis præcipitur, post mortem justi instituendum convivium, vocandos ad illud fideles, & pauperes ut ipsi orent pro anima defuncti, unde etiam nata est consvetudo, ut propinqui convivium faciant, cibum, potumque pauperibus præbeant, quatenus orent pro anima defuncti. Unde S. Chrysostomus hom: 32. in Mathæum ait: *Post mortem tuorum, pauperes convocas, Præsbyteros, ut pro illis velint orare, obsecras* Præterea Apostolus Paulus I. Corint: Cap: 15. ait: *Quid facient, qui baptisantur pro mortuis, si mortui non resurgent, ut quid baptisantur pro illis.* Baptisabantur ergo fideles pro mo tuis, hoc est, ut SS. Patres communiter interpretantur, orabant, jejunabant, se ipsos pro illis affligebant. Porro neque orabant, neque preces fundebant, aut sacrificia offerebant neque denique jejunabant, aut se affligebant pro mortuis, quorum animæ aut in cælo, aut in inferno sunt, ergo orabant, sacrificia offerebant, jejunabant, atque sese affligebant pro mortuis quorum animæ in Purgatorio detinebantur, ut per istiusmodi preces, sacrificia, jejunia, ac cætera pia opera juvarentur. Ex quo dari Purgatorium invicte comprobatur. His accedit auctoritas SS. Patrum Epiphanius hæresi 75. docet: præces quæ pro mortuis concipiuntur, iis utiles esse. Gregorius Nyssenus oratione de mortuis scribit: eos, *vel in præsenti vita sapientiæ studio & precibus purgatos, vel post obitum per expurgantis ignis fornacem* [illegible] *tos, ad sempiternam felicitatem pervenire.* S. Augustinus in libr: decura pro mortuis gerenda Cap: I. hæc habet: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consvetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo, ad ejus Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Sed antiquiores Augustino, Tertulianus, Cyprianus, Arnobius testantur ex consvetudine Ecclesiæ oblationes pro Defunctis fieri. Idem habent SS. Ambrosius, & Paulinus Nolanus. Sufficiat hic annectere Magnum Gregorium, qui libro 4. Dialo: Cap: 55. hæc habet: *Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multorum solet animas, etiam post mortem, sacra oblatio Hostiæ salutaris adjuvare, ita: ut hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur.* Tandem veritatem hanc Catholicæ Ecclesiæ confirmant Concilia. Carthaginense 3. statuit commendationem pro Defunctis de mane faciendam esse ad Altare, post oblationem incruenti Sacrificii, post prandium vero, solis orationibus perficiendam. Florentinum vero, cui omnes subscripserunt Græci, doctrinam de Purgatorio expresse tradit, & suo Decreto confirmat, quod ultimo etiam præstitit Concilium Tridentinum Sess: 6. Can: 30.

E R R A T A

Pag:	lin:	errata	corrige
13.	8.	eodem	eadem
15.	36.	etinm	etiam
22.	4.	perardum	perarduum
ibid:	30.	Conformationem	Confirmationem
24.	5.	Non vobis	Non parva vobis
25.	15.	indigne	in digne
76.	32.	olentes	volentes
ibid:	43.	nos	os
102.	27.	sicus	sicut
103.	3.	benedicto	benedictis
107.	34.	celatus	cælatus
159.	29.	obsolvi	absolvi
230.	23.	tu	ut
280.	4.	Rolcy	Rolnicy
528.	18.	dispensat:	desponsat:
ibid:	39.	pachatis	Paschatis
349	31.	tandtm	tandem